ANGELI GALLVCCII
E SOCIETATE IESV
DE
BELLO BELGICO
AB ANNO CHRISTI MDXCIII.
AD INDVCIAS ANNORVM XII.
AN· MDCIX· PACTAS·
PRIMA PARS.



CAROLO II. CATHOLICO REGI POTENTISSIMO FELICITATEM.

NVNQVAM me tanta inuasisset audacia (POTENTISSIME REX) ut ab angulo Religiosæ domûs, ubi vitam ago propè solitariam, vel per epistolam, quæ non erubescit, accedere non timerem ad Maiestatem istam, cui Mundi gemini famulantur: nisi verecundiæ meæ fecisset animos eius præscriptum, cuius mihi pro lege nutus est; Pauli nempe Marchionis Spinulæ, Insubriæ paulò antè pro Maiestate Tua iam secundò Gubernatoris, nunc verò eiusdem apud Cæsaream Auunculi Tui Maiestatem Oratoris. Et sapienter ille quidem hanc Historiam voluit sub augustissimo Tuo Nomine apparere, quæ Maiorum Tuorum gloria ex omni parte illuminatur. Agnoscet enim hìc Regia Maiestas Tua inclytos illos Austriaci Sanguinis Heroes, quibus Belgæ Moderatoribus laudatissimis gloriantur. Ernestum Archiducem, Cæsarum Fratrem, Filium, Nepotem: quem Belgio tantùm ostendit Deus, ut videret quidquid virtutum elucere posset in Principe Christiano. Andream Cardinalem, cuius memoriam, præter cætera, admirabilis Arx in Belgio ab eo condita, atque à Diuo eiusdem Nominis appellata, perennauit. Præ omnibus verò Ernesti Fratrem

Albertum, Belgarum priùs Gubernatorem, postea Principem, religione, clementiâ, fortitudine, felicitate paucis æquiparandum. Ex Hispanis autem Regibus in hoc opere spectandum sese dat Maiestati Tuæ Proauus Philippus eo nomine Secundus; Idea illa prudentiæ in omni ætate, magnanimitatis, & constantiæ in omni euentu, in vitæ supremis patientiæ, ac pietatis prorsus admirandæ. Auus verò Tuus Philippus Tertius quantam huius Historiæ partem illustrat consultissimis deliberationibus suis; perpetuo Catholicæ religionis tuendæ, ac propagandæ studio; Belgarum suorum armis omni ope iuuandis; pace in primis curandâ, inducijs demum auctoritate, ac benignitate suâ constituendis; belloque tam pertinaci, quàm pernicioso metam aliquam omnibus optatissimam imponendo! Hoc etiam Paulus Marchio non minùs grati, quàm prudentis animi significatione præoptauit, ut hæc eadem Historia, cuius ferme dimidium obtinent Aui sui Marchionis Ambrosij obsidiones, pugnæ, victoriæ; & nonnihil Fratris eius Friderici, morte non ingloriâ prærepti, res bene gestæ; glorioso Maiestatis Tuæ Nomini dicaretur: cuius Augustissima Parens, nostrorum temporum Heroina, per Insubriam ad Regalem thalamum properans, ipsum suæ militiæ initiauit, ac feliciter auspicata est eius Tyrocinium: cui se totum, suaque quocumque modo, deuoti Maiorum suorum animi futurus æmulator, donauit, deuouitque: suamque voluntatem Regijs Maiestatis eiusdem nutibus humillimè dedicauit. Sapientissimè demum idem Marchio præcepit, ut hæc Historia, quæ quanta quanta est, bellum perpetuum est; Maiestati Tuæ venerabunda se sisteret, cuius oculis ad magna erectis species rerum nulla gratior arridet, quàm Bellatoris armis omnibus præfulgentis, pugnamque spirantis. Quin & annis tenerioribus non alia Te magis crepundia delectabant, quàm icunculæ res, aut

per-

perſonas bellicas effingentes. Hos in Te militares animos cum generoſo ſanguine,atque inclyto Nomine transfudit Carolus Abauus Tuus, Quintus in Imperio, Primus in Regno; à quo geminatos quòque ſpiritus hauſiſti, per Genitorem Regios,per Genitricem Cæſareos.Martiam indolem iſtam admirans veneratur Hiſpania,gratulabunda celebrat Europa, ſuſpicioſa formidat Hæreſis,pallens horret Superſtitio. Orbis terrarum totus rerum à Te fortiter,ac feliciter gerendarum expectatione ſuſpenſus, proſpectat, quos victoriarum paritura ſit Soles bellica iſthæc Aurora. In hoc igitur Belgici Belli campo ferrea ſegete conſito, ſanguine irrigato, & Cadmeæ meſſis non fabuloſæ fœcundo, ſpatiari iucundè poterit Anima Magna Maieſtatis Tuæ: ubi quatuordecim anni ſupra triginta numerant obſidiones, & earum unam tres ampliùs annos delaſſantem Obſeſſos, atq;Obſeſſores: ubi Milites,& Ductores quadraginta horarum ſpatio continenter inſident equis: ubi Sol & naſcens, & moriens eaſdem acies videt ſine intermiſſione pugnantes:ubi nè quies certamini detur, quando quieſcunt omnia,ignibus noctes accenduntur in dies: ubi finis unius prælij principium eſt alterius,& unâ decerptâ victoriæ laureâ, ſtatim alia repullulaſcit. Sola Oſtendana Obſidio,portentoſa non falsò dicta, & Belli Academia, quale Tuæ Maieſtati theatrum aperiet! Videbit in ea Hiſpaniam, Germaniam, Belgium, Italiam, Burgundiam ad unum expugnandum Oppidum agglomeratas. Hoc verò terris oppugnatum, aquis defenſum; ignibus & offenſum, & propugnatum; aëre per tormenta concuſſum; quaſi elementis omnibus ibidem dimicando occupatis. Spectabit impetus aſſiduè factos, quotidianas ex Oppido eruptiones,conflictus perpetuos. Mirabitur repentè natas in mari ſyluas,in ſolo mœnia è dirutis, ac ſepultis mœnibus reſurgentia: è globis ferreis aggeres: è coaceruatis cadaueribus

muni-

munimenta; vias penſiles, pontes ductiles, currus truſatiles, candelabra bellica, lignea farcimina, aliasque machinas ſæculis antiquioribus irrepertas. Militaria verò præcepta, quàm multa, quàm varia Magnorum Ducum tum latis legibus, tum exemplis in hoc opere confirmantur? Ac nè quis belligerum animum alienum exiſtimet ab Regnatore; intuebitur hic Maieſtas Tua non ſemel prælianteni Magnum illum & Regem, & Bellatorem Henricum, qui Galliam priùs armis, quàm imperio ſubiecit ſibi; gladium ſtringens antè, quàm ſceptrum, ut mox galeam verteret in coronam. Tot ergo nominibus Tuæ Maieſtati debitam hanc Hiſtoriam verè bellicam nè dedigneris eo vultu excipere, quo res, & Viros excipis militares. Sic Deus Optimus Maximus & Tuam, & Reginæ Parentis Maieſtatem ad Hiſpaniarum felicitatem, & gloriam, ad Chriſtianæ Reipublicæ ſecuritatem, ad huius æui memoriam immortalem diutiſſimè conſeruet: ut ex intimo ſenſu precor, & auguror

CATHOLICÆ MAIESTATIS TVÆ

Seruus indigniſſimus

Angelus Galluccius è Societate Ieſu.

IOANNES PAVLVS OLIVA
Præpositus Generalis Societatis Iesu.

CVM Historiam de Bello Belgico à P. Angelo Galluccio nostræ Societatis Sacerdote conscriptam aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus; ut typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Datum Romæ 7. Septembris 1666.

Ioannes Paulus Oliua.

Loco ✠ sigilli.

IVssus à Reuerendissimo P. M. Hyacintho Libello Sacri Palatij Apostolici Magistro, legi, & recognoui opus egregium Historiæ Belgicæ viginti Libris conscriptæ à P. Angelo Galluccio, Societatis Iesu Sacerdote; & non modò nihil in toto eius contextu reperi abhorrens à moribus, & instituto optimi & grauissimi Viri Auctoris sui, quodque adeò integræ, sanæque doctrinæ non perfectè consentiat; sed imò plena omnia ciuilis iuxta ac christianæ prudentiæ, & animi laudabili quodam in causam religionis incensi studio; ut meliorem se, sanctioremque ab eius cognitione reuersurum, non solùm doctiorem, meritò Lector sperare possit. Romæ hac die undecima Octobris 1670.

Ita censeo ego Stephanus Gradius S. Indicis Congregationis Consultor.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss.P.Mag.Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus, Sacri Palatij Apostolici Magister, Ordinis Prædicatorum.

DE BELLO BELGICO
LIBRI PRIMI
SVMMA.

HISTORIA Belli Belgici vtilis ad recentem Artem militarem. Multa in eo bellica inuenta: præsertim in Ostendana, ac Bredana obsidione. Post obitum Alexandri Parmensis Ducis, plures idonei Belgio gubernando recensentur. Prouinciarum status per ea tempora. Belgio noxia traductio armorum in Galliam. Fontium Comes ab Rege Hispano missus ad Belgas. Eius concio in eorumdem Senatu. Petrus Ernestus Comes Mansfeldius renunciatur Belgij Gubernator. Carolus eius filius subsidio mittitur Galliæ Fœderatis aduersus Regem Henricum. Ab Henrici Tertij morte, multi Regni Competitores. Carolus Mansfeldius Neouillam expugnat. Dux Mænius Fœderatorum caput, ad eligendum Galliæ Regem Comitia Lutetiæ habenda indicit. Eiusdem scriptum vulgatum. Carolus Mansfeldius cum Gallis Fœderatis Nouiodunum oppugnat. Eo potitur, deditione quodam stratagemate accelerata. Appij de Comitibus, Pontificii Ducis in ea oppugnatione mors infortunata, & prædicta. Camillus Capisucchius Stapulas capit. De illo, eiusque familia. Congressus Rhemensis Principum Lotharingiæ. Varij pro-

ponuntur ad Gallicum Regnum. Petri Ernesti Mansfeldij sedulitas in militari disciplina. Mauritius Comes Nassauius Gertrudisbergam obsidet, atque oppugnat. Serum à Petro Ernesto subsidium accusatur, & defenditur. Post duorum Gubernatorum necem, Gertrudisberga, transfugæ indicio ad extrema redacta, deditur Mauritio. Crepicordium ab Regijs frustrà tentatum.

DE BELLO BELGICO LIBER PRIMVS.

BELGICI Belli nouissimi momentum, ac diuturnitas vti plurimos exacuerunt gladios ad pugnandum, ita calamos ad scribendum. Et varijs quidem Europę linguis euulgari debuit, quod recentibus belli artibus Europam imbueret vniuersam. Quemadmodum enim Belgium nomine tam vero, quàm glorioso, Martis Gymnasium appellatur: ita Belgica hæc Historia quid est, nisi doctrina militandi? Aucta propè in immensum cruentis institutionibus Ars illa rite homines occidendi: vt si cum antiqua recentior componatur; merum ea tyrocinium sit, & rudimentum disciplinæ milites fieri docentis.

Cur multi huius Historiæ Scriptores.

Eius vtilitas ad Artem militarem.

Hæc recentior præstat antiquæ.

VRBIBVS, Oppidisue propugnandis, bellici laboris parti non vltimæ, mœnia circumduxit antiquitas, turres, ac propugnacula excitauit. At hæc villaticam sepem apposité dixeris, non magis aduersus homines, quàm contra feras. Et sanè Arietes, Catti, Musculi, Cunicul', Cerui, Ericij, Vulpeculæ, Testudines, Scorpiones, veterumne machinarum muralium veriora nomina sunt, an Belluarum?

Vetera munimenta.

Murales machinæ.

Iustus Lips. in Poliorc.

RECENTIORA iam respice Vrbium munimenta. Quot valla, fossæ, aggeres, receptus? Per has molitiones obsessi, dum se recipiunt, bellum gerunt; & more Parthorum, refugiendo pugnant. Adde cæcas cryptas, ad hostem tutò inspectandum: tectas vias, ad se cautè protegendum: congestitiam humum, ad immissos globos humandos: pontes versatiles, ad ingressum intercidendum: pensiles cataractas, ad portas ipsas ferro armandas. Quid opera nuperrimæ inuentionis à cornibus appellata, mœnibusque subinde adstructa; tribus fossis, multiplici lorica, lunatis molibus, ac sudium pluribus sæpimentis communita? Quid coronata quæ dicuntur, duobus dimidiatis propugnaculis, atque vno integro conflata: quibus imminens à Finitimis locis infestatio cohibetur? Quid partibus instructæ omnibus Arces, ac velut Vrbes Vrbibus impositæ, non magis arcendis hostibus, quàm Ciuibus coërcendis? Iam verò

Recentes munitiones.

Trincere, Ridotti, Case matte, Strade coperte, Terrapieni, Ponti leuatoij, Saracinesche, Parapetti, Mezelune, Palificate.

Cittadelle.

Batium figuræ.

rò munitionum formæ quam variæ? Lunantur in arcus; ex quibus non sagittæ, sed ferrei orbes torquentur: acuuntur in cuneos; ut aduersas acies diffindant, ac disijciant: decussantur in forcipes; vt locum tenaciùs tueantur: exeruntur in dentes; vt minaciter hostem terreant: circumducuntur in stellas, ferales obsessoribus, obsessis salutares. Immò ac si non Vrbes, sed homines ad bellum instruerentur; adiectæ sunt cassides, parmulæ, loricæ.

Antiquorum Arma.

Recentiora tormenta.

NEQVE solùm tegentibus armis, sed etiam petentibus vicit nostra ætas antiquam. Gloriabatur illa, se *pennas ferro dedisse*, hoc est metallo grauissimo leuitatem: & quasi mortem tarditatis argueret aduersus hostes; *alitem eam fecisse*. At hoc æuo maior ferro velocitas ab igne, violentissimo elementorum. Eo sollicitante, volatum omnem prævertit: ut quodammodò hîc etiam dici possit: *Alæ eius alæ ignis*. Mors verò iam ad prædandum non auis, sed fulmen est. Alio quoque elemento ludum crudelem ludit recens Militia: terra nimirum, hoc est puluere nitrato, ac sulphurato. Hoc puluere quid non redigit in puluerem? Contra quem, munimentum aptius nullum, quàm terra coagmentata. Perinde quasi huius, ceu parentis, in sinu ira omnis cadat. Nec temerè lusum dixi militarium impetum tormentorum; qui tanquam in ludo follis, aut pilæ, humana capita, vel alios artus huc illuc propellit: siquidem (quod olim dictum de Dijs) bombardarum globi homines quasi pilas habent.

Plin. l. 34. cap. 14.

Cant. cap. 8. versic. 70.

Terrapieno.

Plaut. Captiu. Prolog.

Veterum falcati currus.

Bombardæ horrendes.

CELEBRES quoque olim falcati Persarum currus, in quibus stulta temeritas ante victoriam triumphabat; quique tot falcibus Martialem Campum metebant; ac si multis mortibus falx vna non esset satis. Cum feralibus hisce machinis recentiorem illam confer, quæ ex horrifico tubo plures eructat globos ferreis nexos catenis: vt erumpentes, ac sese crudeliter explicantes, non vnum, aut alterum militem, sed integrum penè ordinem; nec primum modò, sed alios, aliosque posteriores, ac tantum non totum exercitum, eodem impetu quatiant, & prosternant. Has catenatas neces, & volantes ruinas, non messem credideris militares manipulos secantem, vt falcatæ quadrigæ: Sed ferream grandinem, & lacrymosam procellam fulgure, ac tonitru simul terrentem, simul ineuitabili strage consternantem.

Q. Curt. lib. 4. Veget. l. 3. c. 24.

Militaria in hoc Bello inuecta Belgarum.

HI tam varij, tam vehementes militaris industriæ conatus, & oppugnandi artes, ac repugnandi, vt in Belgio præsertim quotidie magis emicarent; tum ingenium Gentis effecit ad

exco-

excogitandum sagax, ad elaborandum felix, pertinax ad perficiendum: tum continuatum tot lustra Bellum: cui sustentando suffectæ vires fuere, non solùm à milite coacto, atque conducto; à pecunia corrogata, ac mutuata: sed à bellicis etiam inuentis duplici scaturigine manantibus; experientia, & necessitate.

Nec Belgæ accuratiùs in suo solo, quàm aliæ Nationes in alieno, his ingeniosis laboribus insudarunt. Italica præ cæteris in militaribus machinamentis architectandis illustre sæpe dedit spectaculum natiuæ perspicacitatis, ac solertiæ: vt non tam arma armis, agminibus agmina; quàm vtriusque Gentis ingenia, atque artificia concurrere, ac de gloria certare in eo campo viderentur. Testis huius certaminis erit Ostenda, nobile illud obsidionalis ex vtraque partium Artis ostentum: ac noua Troia non immeritò vocitata; quam Austriacus Agamemnon Albertus Archidux quadriennij obsidione fatigauit: ac sub eius imperio Genuensis Achilles, Polyxenæ non sponsus, sed filius, Ambrosius Marchio Spinula tandem cepit. In ea tamquam noua, ac vera Vulcani potiùs, quàm Martis officina, tot cusa de integro arma, tot machinæ inuentæ; quarum vel ipsa nomina ignota sæculis anteactis omnibus fuere: vt de sola nomenclatura non leue sit negotium hanc historiam latinè scribenti. Testis etiam Breda, eiusdem Liguris Herculis labor alter gloriosus. De huius obsidione Vrbis præstat hîc reddere, quod scriptum appositò reliquit militaris Architecturæ Magister optimus, quia nouissimus. *Fortissimum* (inquit) *& prudentissimum exercituum Imperatorem Spinulam nunc post inuidiam nemo hostium fateri dedignabitur. Et neque ingenium, neque animus deerat ad excidia Vrbium. Portentosa Ostenda illum iam ante imbuerat: & pulcherrima illa circa Bredam corona obsidionalis extructa sapientissimè, nemini Polioreetarum fortunatorum secundum esse satis testabatur. Verum tot Bredæ centimanæ cornua, capitaque iustissimè Spinulam absterrebant; vt tanti exercitus vires sub vnum, vel alterum fortunæ tergiuersantis ictum cadere nollet pati*. Hæc ipse magnificè, sed ex vero. Quippe Princeps ille Mauritius, qui ad inuidiam Fabij, Marcellique scutum idem, & gladius Fœderatæ Reipublicæ Belgarum dicendus fuit; in ea re, Regiaque sua ad mortem vsque tutanda (breui namque spatio præiuit Vrbis casum Principis occasus) omnes ingenij, experientiæ, potentiæ vires exeruit. Cunctas munitionum formas qui velit compendio discere; Bredæ tunc obsessæ Ichnographiam subijciat oculis. Eam si quis è loco superiore despexisset;

Italorum.

In obsidione Ostendæ.

Franc. Haræus Anno 1604.

Et Bredæ.

Matthias Dogen Architect. militaris lib. 1. cap. 14.

set; non Vrbem existimasset, sed Labyrinthum Cretensi veriorem, atque ingeniosiorem; tot erroribus inobseruabilem, quot impenetrabilem muris, fossis, receptaculis. At animosior Theseus, non ad Atticum, sed ad Ligusticum ortus mare, accepto felicis auspicij filo ab Ariadna Hispanica Isabella Clara Eugenia, Regis filia longè potentioris; ingressus hunc Labyrinthum fortiter, & gloriosè egressus, monstrum occidit omni ferocius Minotauro, Hæresim nempe, nefanda commistione natam Christianæ fidei, atque indomiti erroris. Vti verò Darius olim cum Artapherne, ac Datide Vrbem quamdam sagena circumducta cepisse dictus est: ita Spinula circumuallatione, ceu rete circa Bredam posito, eam expiscatus est ex Hollandico mari: quo ritu capitur in Siculo thynnorum copia,

Spinulæ Marchionis vtrobique victoria.

Aristides in Roma laudat.

———vasta circumuallata sagena.

Manil. Astron. lib. 5.

POST nouem verò menses Vrbs obsessa deditionem fecit: vt iusto parturiendi tempore exacto, tam insignis victoria pareretur. Ex eadem obsidione bellicam scientiam percipi, confirmat auctoritas, qua nulla maior in terris. Vrbanus quippe Octauus sapientissimus Pontifex in literis, quibus hanc Marchioni victoriam gratulari dignatus est, hæc inter cætera scribit. *Ibit in sæcula Bredensis obsidionis memoria; atque ab ea artes bellandi, & exempla fortitudinis discent Duces posteritatis.*

Apud Herman. Hug. in obsid. Bred.

QVOD si militaris Artis tam multa, tam varia capiuntur in hoc Belgico Bello experimenta; quid mirum tot ex eo prodiisse bellicæ rei Scriptores, qui æquè sapientes, ac liberales, quæcunque didicerunt in Belgio, totum terrarum Orbem docuerunt? Illos loquor rite pugnandi Præceptores: Bastas, Valdesios, Brancaccios, Melzios, Crucios, aliosque: quos scitè pronunciaueris; aut cruentato mucrone scripsisse, aut extra iocum, exacuisse calamum pugione. Ab his, qui cum fecerint fortiter, peritè præceperunt; neminem pudeat scientiam petere militandi. At quis eandem hauriat ab hominis narratione non imbellis tantùm, sed à bellicis fragoribus & natura, & institutione alienissimo? Quasi verò ignotum sit: & ab cote ferrum acui ad secandum, quæ secare non valeat: & Homerum, qui mares animos inflammabat ad bella, Poëtam fuisse, non militem: & veteres Romanos ad bellicum laborem, & gloriam ab ipsis Maiorum statuis incitatos. Quinimmò si Poëtarum Heroes, & Amadisiorum Errones, hoc est fabulæ meræ, ac somnia vigilantium, legentem plerumque ad bella sollicitant; quid in hac faciant Historia, vtcumque scripta, egregiorum Ducum, ac Bellatorum tot illustria exempla, documenta, consilia?

Qui de Arte militari scripserunt ex huius belli experientia.

Horat. de Arte Poet.

Salust. Proœ. de bello Iugurth.

ATQVE

Huius Historiæ antecessio.

ATQVE in Belgici equidem Belli ſerie pertexenda eundem habeo ductorem, quem in Eloquentiæ ſtudijs olim habui Doctorem, Famianum Stradam, magni Scriptorem nominis, ætatis noſtræ Tacitum, nulla tacendum; & Curtium Parmenſis, non Macedonis Alexandri. Verùm ego impar ingenio, iudicio, arte, ſtylo;

Stat. in fin. Thebaid.

Et longè ſequor, & veſtigia ſemper adoro.

Initium.

ORDIOR ab eiuſdem Parmenſis obitu, anno nempe Chriſtiano milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio: quo me anno natum, ad hanc ſcribendam hiſtoriam natum diceret, qui fortuitos euentuum concurſus ad certam rationem reuocaret. Ad Belgicas duodecim annorum inducias narrationem perduco. Siquidem ex effato ſapientum: finis, & fructus belli pax eſt.

Cic. 1. de Offic.

Finis.

Anno 1592.

Belgicæ Præfecturæ poſt Farneſium qui aptiores.

ALEXANDRO Farneſio Parmæ, ac Placentiæ Duci quis ex omnibus in Belgio tam regendo, quàm armis recuperando, ſubrogari poſſet, oneribus haud impar, deceſſori non indignandus; diu, ac ſedulò deliberatum eſt ab Rege Hiſpano. Agebant in diuerſa Philippi, eo nomine Secundi, animum cæteroqui iudicij ſummum, ſed natura Gentis, ac ſua cunctatorem, & paribus librata momentis merita multorum; inter quos iudicare arduum foret, eligere inuidioſum: & gemini neceſſitas belli, tum Belgici recrudeſcentis in dies magis, tum Gallici (in quo Catholicus Rex contra Henricum Regem, tùm non Catholicum, auxiliaribus Belgij armis Galliæ Fœderatos fouebat) ex ingenio Nationis, moras nullas tolerantis. Auſtriaco præſertim ſanguini, vt originem è Germania, ita multum ingenuitatis Germanicæ trahenti, ea deberi adminiſtratio videbatur: quòd plurimum illi conueniret cum moribus Belgarum, quibus cor patet in vultu. Archiducem igitur Albertum è Luſitania, quam paucis ab annis Hiſpano ſubiectam, pro Rege ſumma cum laude moderabatur, cenſuit euocandum. Verùm interceſſere Luſitanorum preces, tam gratum ſibi Principem eripi tam ſubitò lamentantium: quæ tantò efficaciores fuere, quantò chariora ſolent eſſe quæ recentiſſimè, quæque haud ſine labore ſunt parta. Quare ad fratrem eius Erneſtum adiecit animum Rex: eumque vix deſignatum Belgio præfeciſſet: niſi Hungariæ, Stiriæ, Croatiæ res, quas ea tempeſtate adminiſtrabat, adhuc turbidæ motibus bellorum, prudentiam eius, militaremque virtutem aliquanto diutius poſtulaſſent. Neque ſua deerant ad Belgij præfecturam ſuffragia Petro Henriquio de Azeuedo, Fontium Comiti: quem animus ma-

Albertus Archidux.

Erneſtus Alberti frater.

Conte de Fuentes.

Petrus Henriquius Fontium Comes.

magnarum rerum capax, & inuicta virtus in Lusitanico armorum Imperio spectata, iam tum ad celsiora prouehebant. Quod si Belgicum Gubernatorem extra Belgium quærere tam difficile Regi erat, quàm eis Prouincijs periculosum: cùm regentis intersit plurimum nosse quos regat: Petrus Ernestus Mansfeldiæ Comes, tum perpetua in Regem fide, inter tot perduelles illustriore; tum cruda senectute, quæ conciliaret auctoritatem, robur mentis haud minueret: tum etiam Belgicarum vsu rerum tot per annos cum ipso inueterato; merebatur, vt in ea designatione nulli secundus haberetur. Addiderat eidem, quasi controuersia præiudicata, suffragium Dux ipse Parmensis, Mansfeldium sibi toties substituendo, quoties è Belgio fuerat euocatus in Galliam. Hi tanquam competitores muneris, incertum honorifici ne magis, an onerosi; Regis in animo: aut (quod alij scripsere) in Aula Hispanica, velut in magno Comitio prudentiæ regnatricis; suis cuique meritis suffragantibus, ambiguum Principem fecerant decernendi. Regias interim curas sollicitabat Belgicæ status rei; qui per ea difficillima tempora maximè inclinatus, is erat.

1592.

Petrus Ernestus Comes Mansfeldius.

Quis tum esset Belgij status.

E Provinciis, in quas Belgium discreuit, non amplitudo regionis, sed Principum ambitio: quæ vt multorum ingluuiem regnandi impleat, Regna discerpit; Hispano parebant Artesia, Hannonia, Namurcum, Limburgum, Lucemburgum; Brabantia, Flandriaque penè integræ, Geldriæ pars magna, Frisiæ minor. Quicquid verò supererat Belgij, velut ab reliquo corpore, & communi capite recisa membra, sui se pronunciauerat Iuris. Ex quo enim Finitimorum hæresis, inuidia Principum, Vulgi licentia; tres illæ Furiæ, quæ Tartarum in Terras transportant, Belgium vsquequaque percursarunt: Belgæ se quærere in Belgio, ac prorsus alios inuenire. Non in eis auita Religio, non ingenui mores, non timor legum, non reuerentia tam Diuinæ, quàm humanæ Maiestatis. Pietas, probitas, fides, concordia, quies; bonæ simul artes omnes exularunt. Earum statim locum occupauere odia, dissidia, tumultus, insolentia; rebellionis antecursores. Actum penè de Belgio toto fuisset, his Furijs agitato; ac ditio illa tam felix antè, tam florẽs rebus omnibus, ab Hispano & Catholico dominatu reuulsa, pro vno Rege tot passa Dominos esset, quot vulgaria capita in populo se arrogantiùs extulissent; nisi lacero corpori, ac vulneribus sanguine crebrò manantibus salubria accommodassent remedia plures, ac valde inter se diuersi Gubernatores. Alij lenientibus vsi, magis tamen ingenio Gentis, quàm conditioni temporum oppor-

Artoys, Enau, ò Hainault, Namur, Brabante, Frisa.

Caussæ tumultuum Belgicorum.

Remedia diuersa.

1592. opportunis. Igne, & ferro alij, ac frequenti sanguinis missione, quamuis exulcerare viderentur plagas; serpentem latè pestem, ac duplici nomine erraticam, magna ex parte cohibuerunt.

☞ Farnesius Alexander tempore, non virtute, prudentiaque postremus; quòd vtramque adhibuit artem, tum alliciendi clementia, tum armis compellendi; Belgium quasi Belgio restituit, dum partem illius maximam Regi recuperauit, ac Deo. Tres ille tantùm Prouincias, easque minoris & ambitûs, & momenti, regendas initio gubernationis suscepit; vtpote solas Hispano obedientes: Namurcensem, Lucemburgi, Limburgi. Immò postremam hanc ipsemet armis paulò antè redegerat in regiam potestatem sub Austriaco Ioanne. Mox administrationem tam ciuilem, quàm bellicam aggressus, Valentini Pardiæi Mottæ Domini vsus industria, suæque virtutis fama per Populos didita; Artesiam, Hannoniam, eamque Flandriæ partem, quam Gallicanam dicunt, Principi reconciliauit. Benignis exinde conditionibus, hoc est aureis catenis, eidem Frisiam, ac Transisalaniam reuinxit. Atque vt non minus armis, quàm consilio pollens, Traiectum ad Mosam obsedit, & vicit: eiusque terrore victoriæ Syluam-Ducis subegit, Bredam, Tornacum, Ardenardam, Stenouicum, quâ ipse conspectu suo animos pugnæ faciens, quâ per suos Militiæ Præfectos, manus tali capite dignas, expugnauit. Eidem tum virtuti, tum fortunæ subiecere se Dunchercha, Neoportus, Axela, Hulstum, Middelburgum, Brugæ, Hypræ, atque alia his finitima Oppida. Verùm in vna Vrbe regiam ditionem totam recuperasse visus est Alexander; cùm Antuerpiam, rerum illud compendium, & Belgij Belgium, recepit; admirabili constructo ponte, quo sibi viam strauit ad victoriam sæculis omnibus memorandam; viribus hostium, ingenij, potentiæque suprema tentantium, profligatis. Antuerpiâ deditâ, puduit quodammodò non se dedere Gandauum, Teneramundam, Bruxellas, Mechliniam, Neomagum, Herentaliam. Quarum Vrbium exemplum sequutæ Grauia, Venlona, Dauentria, Blanchenberga, Slusa. Iamque parum abfore videbatur, quin Belgij quod reliquum erat, Hispano se redderet: nisi Gallicum bellum hanc ei felicitatem, hanc Alexandro gloriam inuidisset.

Alexandri Farnesii prudens gubernatio.

Prouinciæ ab eo recuperatæ.

Ouerissel. Mastrich. Bolduc. Tornay. Steenuich.

Vrbes receptæ.

Anuersa.

Antuerpia præcipué.

Gante. Malines. Nimega. Venlò. Deuenter. Esclusa.

Quàm noxia Belgio translatio armorum in Galliã.

Ardebat id inter Henricum Regem, Gallicum sibi sceptrum iure sanguinis vindicantem; & aliquot Galliæ Principes Fœderatos, quorum caput Mænæ Dux, ab eodem illum arcentes, dum Huguenotorum hæresim sectaretur. Ad horum arma suppetijs roboranda, iussus ab Rege Hispano Farnesius Belgicas vires in

Duca di Mena. Hugonotti.

Galliam transportare; duabus expeditionibus susceptis, vitæ quidem suæ postremis, sed ob quas in omni viuet memoria; Lutetiam Parisiorum alterâ, alterâ Rhotomagum Henrici obsidione liberauit: hoc est eum è solio, cui propè insederat, deiecit. Verùm cum armis Hispanam quoque fortunam in Galliam è Belgio transferre visus est: dumque Fœderatos Gallos amicos tam opportuno subsidio subleuauit; hostibus quoque Belgis Fœderatis profuit, ditionem amplificandi opportunitate relicta. Mauritius quippe Nassauius Guilelmi Auriaci filius, Fœderatæ Belgarum Reipublicæ Gubernator, & Dux, ad incrementa rerum suarum vsquequaque oculatus, regiarum virium imbecillitate firmauit suas: & dum Alexander aliena curat in Galliâ, proprijs ipse studet in Belgio. Zutphaniæ Prouinciæ principem, & cognominem Vrbem, eique vicinam Dauentriam nullo ferè negotio cæperat. Vasiam terram ingressus, Hulstum tentauit, ac pari felicitate subegit. Neomagum tumultibus intestinis, & factionibus ex industria sua perturbatum, in turpem deditionem accepit. Stenouico exinde potitus, & Couordia; multum ditionis apposuit Fœderatis, multum ademit Hispano. Tantum detrimenti attulit regiæ rei tum inuicti Ducis absentia, tum diuisio copiarum.

1592. Parigi. Roano. Lega di Francia. Guglielmo d'Oranges. Prouincie vnite. Zutfen.

Malis ergo præsentibus vt mederetur, instantibus vt occurreret Hispaniarum Rex, iam ante Parmensis obitum allegarat in Belgium Ioannem Paceccum Cerralui Marchionem, virum & illic bellandi veterem, & in Hispania recenti Corumnæ defensione nobiliorem. Sed ei sub ingressum itineris extincto Fontium Comitem subrogauit. Huius aduentus varijs omnium animos suspicionibus impleuit. Verùm qui æquâ mente tam anteacta, quàm subsequuta inspectabant; transmissi priùs Cerralui, postea Fontani causam duplicem agnoscebant. Altera erat, vt si tertiò in Galliam pergere Parmensis prohiberetur, aut valetudine grauiter affecta, aut regiarum in Belgio rerum præsenti discrimine (quod vtrumque causabatur ipse per literas) is qui mittebatur, eius loco ad Fœderatos Gallos copias auxiliares traduceret. Altera, vt si quid eidem humanitus accideret (nam de Ducis vitæ periculo Medentium quoque testimonium perlatum fuerat ad Regem) de successore in administratione Belgica, deque eo, qui suppetias in Galliam ferret, mentem Regis, ac mandata exponeret. His, alijsque iussis instructus Fontanus Comes iam Bruxellas intrauerat, atque inde Atrebatum cogitabat, vt Parmensi, tùm inibi commoranti, regiam voluntatem, atque aduentus sui causas aperiret. At repentinus de Ducis obitu nuncius

Cur Fôtanus Comes missus in Belgium. *Arras.*

cius

1592.
Rolandus Mirt. de Comite Font.

cius eum subsistere coëgit. Vtrique feliciter, nec nisi diuinitus id euenisse, non nemo Scriptorum censuit. Quippe si Fontanus Parmensi parum placitura renunciasset ab Rege: ægritudinem illi, & morbi cumulum, odium sibi facilè apud alios creasset.

Iam verò funebribus pompis, vt Atrebati priùs, ita postea Bruxellis eâ magnificentiâ peractis, quam & promerita Ducis tanti, & communis in eum beneuolentia postulabant; de Belgio interim moderando, dum nouus ab Rege præficitur Gubernator, contentio acris erupit. Regius enim Belgij Senatus (Concilium Status appellant) suarum esse partium ex antiquo iure contendebat, præesse Belgio, quoties deficiente Gubernatore sequeretur interregnum. Contrà verò Petrus Ernestus Mansfeldius id sibi muneris, & curarum vendicabat; propterea quòd à Parmensi Gallias repetente commissa sibi fuisset administratio Belgica, ipsius consensu Senatus. Longiùs hæ progressæ dissensiones forent, pristinis vtriusque partis offensionibus ventilatæ; nisi medius intercessisset, velut ab Regia Hispanica missus Arbiter, Fontanus Comes. Qui partim, vt perniciosa Regiæ, ac Belgicæ rei dissidia præmaturè componeret; partim vt Regis mentem, cuius Interpres aduenerat, euulgaret: quod ante dies aliquot se facturum spoponderat: cogi Senatum iussit, & Bruxellensem in Aulam eum Proceribus cæteris, Ordinibusque conuocari. Hîc in frequentissimo conuentu, summaque omnium expectatione, cùm de rebus alijs regio nomine decernendis, tum præsertim de Belgico Gubernatore renunciando, in hanc ferme senentiam locutus est.

Contentio inter Mansfeldium, & Belgicum Senatū.

Philippus Rex, vester, ac meus Princeps, in plurimis, grauissimisque curis, quibus mentem illam gemino terrarum Orbi regendo parem, satis exercet moles immensa Regnorum; non postremam habet Belgij sui procurationem. Suum quippe rite Belgium appellat, quod à Parente Carolo Cæsare, ceu libamentum regnandi, atque imperij magni primitias, accepit. Suum vocat, quod tam profusis ei sumptibus ad hanc diem stetit, vt aliena regna complura ea coëmere pecunia potuerit, qua suam hanc omnem redimere non potuit ditionem. Sed tanti erat Belgium totum recuperare. Suum denique, quod suis armis tot hîc annos occupatis repetiuit, suorum sanguine vindicauit, quo toties Vrbes, & campi maduere, Rhenusque, Scaldis, & Mosa purpurarunt: totque clarissimorum Ducum iactura pretiosissima fecit suum. Et erit tamen, qui velut os in Cælum ponens, regiam prouidentiam incusare non dubitet, quòd militem suum semel, atque iterum hinc ablegarit in Galliam, tertiamque iam expeditionem iusserit.

Fontani oratio ad Senatum.

Regis sollicitudo de Belgio.

Schelda.

Querelæ de translatione armorum.

rit. *Quasi præposterè Rex aliena curet, suorum incuriosus: qui Belgio neglecto, totus incumbat in Galliam: subiectos sibi populos, tot copijs exarmatos, incursionibus rebellium expositos relinquat: vt armis auxiliaribus regnum tueatur, quàm propinquum finibus, tam innatis odijs dissitum; cum quo pacem toties init, nunquam prorogat. O quantùm aberrat à vero, quicumque sic sentit. Alienum ab Rege Catholico non est, quicquid Catholicæ interest religionis. Hanc ille dum suis armis defendit, vbi ea cumque periclitetur; dignum se titulo præstat, quo insignitur; dignum Austriaca gente, à qua ducit cum sanguine pietatem. Quam verò suo militi perorandam dedit, causam esse religionis; Romanus Pontifex docet, qui tamquam huius Præses, in partem venit auxilij.*

Ad eas responsio.

At enim in curas impulit non suas Hispanum Regem, non tam religiosa mens, quàm ambitiosa vel suæ coronæ Gallicam adnectendi, & Belgium tanto interuallo distractum interiacente sui iuris regno continuandi: vel eamdem Galliam Isabellæ Filiæ, Hispaniarum Infanti, quocumque lætæ connubio, subijciendi. Nam & hæc passim iactari non ignoro. Ad Isabellam quod attinet; quid ea iuris habeat in Gallicum regnum, æstiment, quicumque illam ex Elisabetha, natu maxima Henrici Tertij sorore, genitam sciunt. At Regem viuendi iam, nedum regnandi fessum, & ad Cælum affectantem viam, sibique soli vacare cupientem, ac Deo; noua scilicet aliorum regnorum titillet ambitio. Quod si posteris relinquere tam opimam hæreditatem æquè sibi præclarum ducat, ac fructuosum suis: non tamen adeò rerum ignarus est à tot annis & vitæ, & regni; quin optimè norit, non tam ditionem amplissimam se Filio parare, quàm vberrimam segetem bellandi, ac rebellandi; & campum, in quo quidquid ex Belgicis prælijs est reliquum, aut opum, aut virorum consumuletur. Et Gallia quidem Regibus suis sæpè refractaria, frænum accipiet ab alieno? aut Hispanorum iugo se Galli subijcient: quos è contrariis natura ipsa conflasse videtur elementis? Non igitur inanem hanc spem Rex prudentissimus fouet. Studio religionis & gentilitio, & suo impulsus est ad auxilia Fæderatis Galliæ submittenda. Neque tamen idcirco Belgium vult copijs destitutum, ad regiam ditionem tuendam necessarijs. Romanorum olim fuit, nunc Hispanorum, pluribus simul bellis sufficere; & spargere cum Sole longas tam ad pugnandum, quàm ad largiendum manus.

Quare sumite animos, Belgæ, à vestra nobilitate non degeneres: spem concipite parem Principis nostri de vobis sollicitudini. Qui vel ante Parmensis Ducis excessum, de istius Reipublicæ Gubernatore illi sufficiendo, deque alijs ad præsentem opportunitatem idoneis, suis literis me latore perscripsit. Ipsius ergo Regis voces de rebus tanti ponderis

au-

1592. *audiatis malo, quàm meas. Magnorum enim Principum quot verba, tot oracula.*

His vbi dictis Fontanus ad regia iussa promptiùs capessenda Belgarum animos præparauit, recitari perlatas ab se literas iussit. Quarum hæc summa. *Si de Parmensi aliud statueret Deus; Belgij gubernacula Petrus Ernestus Mansfeldius acciperet, donec alius è regio sanguine adesset. Carolus eius filius supremum retineret armorum imperium. Galliæ Fœderati quàm possent maximis auxiliaribus copijs iuuarentur. Militis tantum in Belgio subsisteret, quantum ad rem tutandam regiam satis esset. Cæterum Fontano Comiti præstarent fidem in omnibus, quæcumque regio nomine significaret.*

Regis literæ.

Mansfeldium Gubernatorem electum haud æquo Belgas animo passos ferunt: siue ob anteactam contentionem, cuius quasi victor declararetur: seu quòd annum agens propè octogesimum, periclitantibus, vt numquam, rebus parum videretur afferre posse subsidij. An quod inter multos pares vnus præhabitus plus inuidiæ colligit, quàm gloriæ? Vicit tamen regiæ voluntatis reuerentia, & lex illa prudentiæ: vltro amplectendum, quod recusari non potest. Addunt aliqui Fontani suasionem, atque hortamenta: vt qui aderant Viri Principes, ac Senatores & par meritis munus Mansfeldio gratularentur, & debitum sponderent obsequium. Ipse quoque solemni sacramento suam Regi fidem obligauit. Exinde per omnes obedientes Hispano prouincias transmissæ literæ, quibus tum regia iussa, tum præfectura Mansfeldij promulgaretur.

Petrus Ernestus Mansfeldius Belgio præficitur.

Eisdem Prouincijs singillatim regendis impositi Proceres; incertum an Regis in literis nominati: Philippus Croyus Dux Arschotanus Flandriæ: eius filius Carolus Chimacensis Princeps Hannoniæ: Carolus Comes Arembergius Geldriæ: Marcus de Ria Varamboni Marchio Artesiæ: Namurco Batlæmontius Comes: Insulis, Duaco, Orchisæ Comes Billius: Tornaco Solræus Comes Molembasius, non ita pridem ex Hispania redux. Restitutus etiam Belgio, pristinæque Belgici ærarij administrationi Fridericus Perenottus Campinij Dominus, Granuellani Cardinalis Frater, quem Farnesius & munere, & regione paulò antè submouerat; vel ob rem se absente male gestam: vel ut alij censent, quod parum honorificè de se scripsisset ad Regem. Contrà seuerè inquisitum in Comitem Cosmum Masium, qui Parmensi fuerat à secretis: & pecuniæ regiæ rationes iussus exponere; quando eo inconsulto nihil Alexander egisset.

Alij singulis Prouincijs.

Iacob. August. Thuanus lib. 104. Cæs. Campana in fine 2. par. de bello Belg. Lilla. Douai. Orcies.

Haræus anno 1592.

Interea de mittendo in Galliam opum, armorumque subsidio Senatus habitus est. Iam enim id postulatum aduenerat

rat

rat Suessione Ioannes Baptista Taxius, Hispanas agens partes in fœdere Gallicano, alijque Fœderatorum Legati. Equites mille, Peditum sena millia decreta. Vsui verò tum Gallici, tum Belgici belli ab Antuerpiensibus Mercatoribus mutuo sumpti aurei millies, & ducenties mille. Atque in ipso exitu anni supra millesimum, & quingentesimum nonagesimi secundi Carolus Mansfeldius cum exercitu discessit in Galliam, Fontano Comite, ac Procerum plerisque Landrecesium vsque comitantibus. Sed antequam hanc prosequor expeditionem; præstat, quæ tum esset florentissimi quondam regni calamitosa conditio, paucis in conspectum dare.

1592. *Soissons.*

Carolus Mãsfeldius copias ducit in Galliam.

Landresy.

Galliæ status.

Regni competitores.

Rex Hispanus pro Filia.

GALLIA Henrico Rege huius nominis Tertio per capitale parricidium orbata, duplici laborabat malo: & quòd haberet neminem, qui rite regnaret; & quòd multos, qui regnum suo iure deposcerent. Hispaniarum Rex non tam sibi molem tantam confinis imperij vendicabat, in qua tamen multum illi tribuebant frequentes copiæ in auxilium Fœderatorum immissæ, opesque ingentes erogatæ: quàm Isabellæ Filiæ ab Elisabetha genitæ, Henrici Tertij natu maxima sorore. Suo quoque Filio Marchioni de Ponte regnum idem asserere contendebat Lotharingiæ Dux: quòd ille Claudia Genitrice, Regis eiusdem sorore altera, gloriabatur. Neque Sabaudiæ Dux erat ab hac petitione alienus: quippe Margarita natus Henrici Secundi germana; faciente præsertim animos hinc Pontificio, hinc Hispanico patrocinio. At Carolus ex Gente Guisia, & Lotharinga, Manæ Dux, initi ante aliquot annos in Gallia contra Hæreticos hominés sacri fœderis caput, & Princeps, ac Regni Locum tenens, Fœderatorum, & Parisiensium suffragijs id sibi, suæque stirpi deberi censebat regnum; quod maiorum suorum sanguine, quod tot ab se laboribus, vitæque periculis fuisset ab extremo exitio vindicatum. Huic innatæ hominibus regnandi cupiditati non deerant, qui suggererent faces, è familiaribus, & propinquis; rem suam agentes, dum alienam prouehere videbantur. Adstruebant momenta rationum. *Non intercipere ipsum, sed recuperare coronam Gallicam familia sua. Opportunitatem illam imperij non sine pœnitentia metu prætermitti. Lutetiam regni caput; ac proinde regnum ipsum eius in manu esse. Nationis exercitum, ac Nobilitatem Catholicam fere omnem ipsi militare. Haud timendum Competitorem, qui Romana desertor Ecclesiæ, à bonis omnibus deserendus foret. Non demum tempus, aut huius ad fidem Catholicam reuersioni, aut aliorum eòdem spectantium Principum consilijs, & machinationibus concedendum.*

Dux Lotharingiæ pro Filio.

Dux Sabaudiæ.

Carolus Manæ Dux, suadentibus alijs, alijs dissuadentibus.

Henric. Catherin. Dauila de bel. ciu. Gal. lib. 10.

HAEC

1592. HAEC speciosa dictu, & quòd auditu dulcia, blandè in animum descendentia, refellebantur à duobus ingentis consilij Viris, Nicolao Villaregio, & Petro Ianino; qui ad aures Mænij frequentes erant. Vnum hi contra omnia, quæ illi iacerent, obiectabant: *Sapientis non esse id sequi, quod assequi non daretur. Eum quippe sibi Gallos in Regem deposcere, qui opibus, qui milite posset præsentes auertere, instantes prohibere calamitates, & publicam causam tueri. Quæ ipse præstare in eo rerum articulo ægrè posset.* Quin etiam ab incœpto tam arduo facilè se Mænius abstinuit, quòd Hispanum videret Oratorem, atque in eo Philippum Regem agnosceret, his consilijs aduersantem. Indignitas quoque rei dehortabatur, ac periculum existimationis: ne seruijsse tantopere videretur, non saluti publicæ, sed ambitioni suæ.

Prouehit tamen Carolum Cardinalem Borbonium.

QVAMOBREM principio ad Carolum Cardinalem Borbonium, pronis partium suarum suffragijs, Regem creandum appulerat animum. Is è regio sanguine primus Princeps, & Catholicæ seruantissimus religionis, regno dignissimus habebatur: nisi quòd extrema iam ætate, affectaque valetudine tanti oneris impotens, carcere insuper attinebatur; in quem Henrici Tertij iussu redactus cùm fuerat, cùm Guisij Principes morte mulctati. Quamquam ipsa hæc impotentia Mænium hortata erat ad eligendum: vt regium nomen, atque insignia penès illum; regnandi vis, atque auctoritas apud se foret. Hunc itaque à Fœderatorum Concilio, ac Parisiensi ab Senatu Galliæ Regem curauerat declarandum: & Caroli Decimi appellatione iusserat per Lutetiæ compita proclamari, cunctis ferè populis plaudentibus, ac malorum implorantibus finem. Non tamen ipse interea regias vices obeuntis nomen, aut potestatem deposuerat. Verùm tale ludibrium Regis, cuius Regia carcer esset; ac Regni, in quo captiui coronarentur; sustulit mors plusquam tempestiua senis miserè fortunati. Huic extincto successit, vt in familiæ cognomentum, ita in spem (an vmbram verius?) imperij magni, Carolus Cardinalis Vindocinensis. At hæc spes imbecillis nixa subsidijs, in apertum vix educta; cum funditus succisa, statim exaruit.

Qui paulò post moritur.

Præ omnibus est Henricus Borbonius Rex Nauarræ.

OMNIBVS tamen, qui ad Regnum idem aliquo iure velificabantur; & prærogatiua regij sanguinis, & suffragio ætatis, & regiarum conspiratione virtutum, Nauarræ Rex Henricus Borbonius antecellebat. Eum Tertius Henricus, postquam sobolem desperauit, ab adolescentia in spem coronæ educauerat: eumdem morti proximus ingentis imperij reliquerat hæredem, circumfusam Nobilitatem adhortans, vt mox futurum Regem

co-

1592.

celeret. Ipsum verò verbis nouissimis præmonuit: nisi Catholicis adiunctum, & Romanæ conciliatum Ecclesiæ, numquam Galliæ sceptrum accepturum. Hoc scilicet illud erat, quod Henrico vel vnicè, vel maximè obsistebat ad regnum: à puero fuisse Caluini prauis opinionibus imbutum: eas verò à Carolo Nono coactum abdicare, paulò post ad ingenium rediisse in eosdem relapsum errores: atque arma toties pro Huguenotis Hæreticis in Catholicos mouisse. Hæc à Fœderatis Gallis præcipuè, ab eorum auxiliaribus Hispanis, ab Romano Pontifice, qui sacro eum fulmine, tamquam iuratum hostem Ecclesiæ, perculerat; iactabantur. Qui verò ab eo stabant Catholici, spe freti ad suas illum partes traducendi; hortamentis, consiliis, precibus frequenter vrgere: *Vt se fidei simul, ac regno assereret: vt fidelium Assectarum suorum, totiusque Christiani mundi expectationem ne falleret, aut diutius fatigaret. Misereret eum Regni & naturæ, & merito sui, tot calamitatibus pressi, proximamque felicitatem inhiantis, ab vna Regis deliberatione suspensam.* At ille alia quęrere omnia regni consequendi adiumenta, quam quod optimum, vnicumque suggerebatur. Reditum ad Catholicam fidem in dies protrahere. *Causari momentum rei, quæ maturitatem temporis, diuturnumque consilium postularet.* Palam testari: *Oecumenico, vel Prouinciali Concilio subiicere se velle conscientiam suam. Inter armorum strepitus adhuc circumsonantes, quem esse locum quietis de saniore fide consultantibus? Videri se nolle aut hostium insectantium terrore, ac vi, tamquam gladio in iugulum intento, coactum; aut regni ambitione pellectum, haustam à puero mutasse religionem: cuius veritatem, animique salutem supra timores, ac spes omnes haberet.* Mutuo quòque in scriptis iureiurando se inuicem obstrinxisse Henricum, & Sectatores eius Catholicos ferunt: hos eum legitimum suum Principem profitentes, eidemque vt Galliæ Regi fidelitatis dicentes sacramentum: illum regio dicto spondentem, intra sex menses coacturum se vel prouinciale Concilium, vel doctrina, ac dignitate præstantium Virorum cœtum, quorum staret sententiis, decretisque pareret: interim verò Catholicam, Romanamque religionem sartam, tectamque seruaturum.

Sed obstat Hæresis.

Alexander Căpiglia de motib. Gall. lib. 7. Ant. Herrera hist. Gall. lib. 4. c. 6.

Eam eiurare cur differat.

NON ideo tamen cessatum ab armis est; hinc Henrico cum Huguenotis plerisque, paucis Catholicis; hinc Mænio cum exercitu Fœderatorum, altero in alterum frequentia prælia inferentibus. Iamque successu prospero Rex Normanniæ Arces, atque Oppida sibi ferè subiecerat vniuersa. Memorabili ad Iberium Oppidum certamine victoriam de Fœderatis retulerat eò

Eius progressus in bello.

Iard.

1592. *Meluno. Corbel. Lagni.*

cò clariorem, quòd horum fuerat duplo maior exercitus. Hoc alacrior euentu, Meloduno, Corbolio, Latiniaco, Dammartino, Sancti Dionysij Oppido feliciter occupatis; Lutetiæ belli simul, ac regni capiti superimminebat. Eamque obsidione cinctam arctissima, non tam ferro, quàm fame debellasset; nisi Fœderatorum rogatu, missus in tempore ab Rege Hispano Parmensis Dux Alexander, impendens Parisiensium ceruicibus aut iugum, aut exitium excussisset. Secundiore fortuna Carnutum, ac Nouiodunum expugnarat. A Rhotomago verò bis oppugnato Parmensis eiusdem armis, ac virtute submotus fuit. Ita Gallia infelix inter duas aduersas distracta partes, & miserè lacerata, tamquam cui Domino parêret incerta, suas deplorabat Vrbes, ac Populos nunc huius, nunc illius prædam victoris: vt si quid vnius exercitus crudelitas, & cupido fecisset reliquum, alter mox irruens inimicus exercitus prorsus absumeret. Ignorabatque, lacrymosum ne magis esset, quòd ab exteris Nationibus vltro accitis flos Gallicę Nobilitatis succideretur: an quòd gladijs suis in sua viscera conuersis, à Gallis ipsis Gallia deuastaretur.

Ciartres. Noyon.

Galliæ calamitates.

HAEC erat nobilissimi Regni vel hostibus miseranda conditio; cum in Belgium reuerso, extinctoque Farnesio; eius loco, in auxilium Fœderatorum Galliam, cum exercitu intrabat Carolus Comes Mansfeldius. Is Landrecesio Guisiam petijt in Picardiæ finibus sitam. Inde Moncornetum: vbi suis copijs adiunxit Italicas à Camillo Capisucchio, Germanicas ab Appio de Comitibus ductas, ab Romano Pontifice conductas: atque ab Hispano Rege aliquot Equitum turmas, quibus Alexander Marchio Malaspina, & Georgius Basta præerant. Hinc digressus exercitus Vrbem Suessionum tenuit. In ea diutius consistere, quam operæ pretium erat, coëgit & ingenua credulitas Ducis, & alterius in rem suam attenta solertia. Etenim Laudunì Præfectus Neouillæ Dominoiam olim infensus, ea militum opportunitate vti statuit, ac suas offensiones alienis armis vlcisci. Ergo ad Mansfeldium defert: Neouillam esse Prædonum asylum, qui Laudunensemagrum omnem infestum habeant. Faciebat dicto fidem recentissimum cuiusdam prodiroris exemplum, qui Laudunum, cuius erat Præsidiarius, Henricianis tradere tentarat: sed re detecta, Neouillam transfugerat. Neque multum, addebat Laudunensis, operæ, temporisve ad expugnationem impensum iri. Modicum quippe Præsidium in loco parum naturâ, minùs arte munito, sub primum aspectum hostium deditionem facturum. His adductus Mansfeldius, in

Carolus Mansfeldius Galliam ingreditur.

1593.

Soissons.

Laòn. Cæsar Campana de bello Belg. par. 3. lib. 1. Ant. Carnerus lib. 10. c. 1.

Alius Præfecti Laudunensis, quò Neouilla oppugnetur.

1593.

eam iubet curam incumbere Ioannem Pernesteinium cum Germanicis copijs ipsi subiectis. Adiungit quas pro Anglario Curtio Vespasianus Comes de Arcu regebat: & Vallonum centurias aliquot, & duas Equitum turmas ex eis, quibus Appius de Comitibus imperabat. Duas quoque bombardas, ac tertiam longiorem; exarmatas tamen, & ad solum terrorem deferri voluit.

NEOVILLAE Dominus, qui ad eam diem neutrarum fuerat partium; vbi militem ad suum Oppidum audiuit accedere, tamquam non inimico, immò vt amicum, atque innoxium redderet, ea benignus offerri iussit, quæ facerent ad exercitum viæ lassum reficiendum. At mox pertrahi visis muralibus tormentis, & comperto se non hospites excipere, sed hostes; ad hanc agnitionem conuersâ repente scenâ, ingentem sclopetorum copiam in eos displodi mandauit. Postulatum exinde ab illis, vt Fœderatorum & partes sequeretur, & Præsidium admitteret. Vtrumque recusauit Neouillæus, cum diceret: videri satis debere, se neutris addictum, neutris infensum, vt antea fuerat, perdurare: sibique per summam iniuriam vim inferri. Subdebat irato faces transfuga Laudunensis, communi quærens periculo suum defendere: suadebatque, vt Oppidum tueri quacumque via conaretur. Quare nitrati pulueris copia, & reliquum bombardarum instrumentum arcessendum ab oppugnantibus fuit. Eo concussis acriter mœnibus, missi qui ruinam ad impetum faciendum inspicerent, è Germanis duo: quorum alter extinctus est, alter grauissimè sauciatus. Tandem Claudius Barlota Vallonum Tribunus cautiùs accedens, & patentem satis hiatum animaduertens, ad impressionem faciendam suum Peditatum effudit. Italæ quoque acies duæ sub Ductoribus Iosepho Valmarana, & Virginio Blanca plurimum ibidem exhibuere virtutis, gloriæ retulere. Horum omnium impetu reiecti Defensores à muris, in Arcem se recepere. Vbi vehementer oppugnati; ac metuentes, ne subter actis cuniculis, pyrij pulueris vi disijcerentur in aërem; nocte proximè subsequuta in hostium vltro venere potestatem. Quatuordecim ex ijs, ac præsertim transfugæ, morte mulctati. Re demum tota Mansfeldio Comiti patefacta, restitui Domino iussit Oppidum: doluit operæ, temporisque iacturam: & suæ credulitati succensuit, quòd periculis, & sanguine suorum expleßet odia non sua. Expectabat interea, dum quò essent arma vertenda, ab Duce Mænio mandaretur. Huius enim ex nutu omnino pendere iussus fuerat ab Hispanis, ad sua promouenda consilia, studentibus Ducis sibi gratiam penitùs demereri.

Oppugnatur Neouilla.

Maestro di Campo.

Capta Domino redditur.

1593.

Mæniꝫ tractatiõnes de regno Galliæ.

LVTETIAE Parisiorum is tùm agebat, pacatis tractationibus quærens regni calamitatibus eum finem, quem imponere arma non poterant. Instabat iampridem Hispanus Rex, vt publica totius Galliæ, omniumque Ordinum Comitia indicerentur; in quibus Populi per suos Delegatos communibus suffragijs sibi Regem, Catholicum tamen, atque ab Romana Sede non alienum, eligerent. Idem enixè contendebat Philippus Cardinalis Sega Placentinus Episcopus, & Pontificius in Gallia Legatus, tum sua sponte, quippe qui Hispanorum voluntati credebatur obnoxius in spem Pontificatus: tum Octaui Clementis vrgente imperio, ad Christianæ clauum Reipublicæ paulò antè admoti. Verùm his postulatis, quòd ab Hispanis erant, Hispanorumque fautoribus, suspectis; diutius moras, ac difficultates obstruxerat solers Mænius, modo bella causatus omnem sibi curam vindicantia; modo Fœderatorum Principum aliorum priùs coniungenda suffragia: præsertim verò Delegatorum itinera per Galliam tot implicatam prælijs, tot factionibus abruptam, difficilia æquè, ac periculosa. Longè tamen aliam nonnulli causam interpretabantur: inexpletam ipsius sine Regis titulo regnandi cupiditatem, ac timorem rebus compositis amittendi, quantum turbidis adeptus erat. Huic de se iam publicæ suspicioni vt obuiam iret, Hispanosque propterea subiratos, atque in Aula Legati passim obtrectantes, in sua commoda placaret: decreuit aliquando Comitia tot petitionibus concedere. Neque enim ingenio ad dissimulandum cauto, ad excogitandum sagaci multi defuturi erant obices, in tanta præsertim animorum, ac sententiarum varietate, qui perducendis ad finem deliberationibus obstruerentur. Igitur id offerens vltro, quod iam negare non poterat; & maturuisse tempus dicens habendis Comitijs; ad regni Prouincias omnes, ac Populos, quibus suffragij ius erat, literas dedit, vt electos ab vniuersis mitterent Delegatos.

Henric. Catherinus lib. 13.

Mænius Comitia decernit.

OPTARANT Comitijs locum Hispani quidem Suessionum Vrbem, quæ Belgio vicina, ad Regis eligendi libertatem, foueri, ac muniri poterat Belgicis armis, non longè ab suo limite distractis. Lotharingiæ verò Dux Rhemorum Vrbem designauerat, vt sibi viciniorem, eadem de causa non reluctante Hispano. At Mænius, Villaregij, & Ianini consilijs confirmatus, Vrbi regiæ Parisiorum hanc dare voluit prærogatiuam. Parem quippe iactabant rei tractandæ magnitudini maiestatem loci. Deberi constanti Parisiensium in Fœderatos fidei hoc seu præmium virtutis, seu tot calamitatum solatium. Ad eam itaque Vrbem indictus fuit Gallicorum Ordinum conuentus. Huic

Catherinus ibidem.

Comitiorum locus.

præmittendum censuit Mænius libellum, quo mentem in euocandis Ordinibus suam omnibus aperiret: eumque hoc anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio Nonis Ianuarijs iussit Lutetiæ promulgari. Summa illius capita hæc erant.

1593.

Mænij denunciatio.

Relatio congressus Parisiensis.

Quantum Galliarum Reges actis retro temporibus terra, marique laborassent pro Christiana religione (vnde gloriosum titulum obtinent) quâ tuenda, quâ propaganda. Laudis huius sequutam nouissimis annis intermissionem Hæresi debere acceptam referri, clam in regnum insinuatæ, latèque vulgatæ. Iam non in Christiani nominis hostes, sed in ipsos Christianos homines, hoc est in suum corpus ferrum stringi. A prauis opinionibus id suaderi, quæ bellum initum tribuunt non amori religionis, sed ambitioni regnandi. Quid tamen quæsierit ipse cum Fœderatis; declarari satis Borbonij Cardinalis in Regem electione, quem Rex ipse defunctus è regio sanguine primum, ac regno proximum nominasset. At non placuisse Regi Nauarræ Henrico Patruum diuturno carcere liberare: Catholicos omnes eo sibi munere deuincire: breuissimum eius regnum tolerare, quod ipsemet statim, veræ fidei redditus, accepturus erat. Eum quippe adhuc erroribus implicatum, ab Romana Sede toties vt Ecclesiæ communione, ita regni iure submotum, Regem haberi, salua religione, atque inueterato Galliæ more, non posse. Neque enim ante quemquam inaugurari solitum; atque à subiectis populis obsequij, fideique sacramentum accipere, quàm solemni iureiurando spoponderit, Catholicam se, ac Romanam fidem ad supremum vsque spiritum professurum: eam tutam, incolumemque seruaturum: & conatus adhibiturum omnes, vt hæresim quamcumque regno exterminet. Hanc legem in Blesensibus Comitijs anni eiusdem sæculi sexagesimi sexti habitam fuisse præcipuam, ac tamquam Regni fundamentum: decretumque ipsius, qui aderat, Henrici Tertij Regis auctoritate; vt è singulis Ordinibus duo ad Regem Nauarræ, Principemque Condæum legarentur: qui publico eis nomine denunciarent: nisi ad Catholicæ sinum Ecclesiæ se reciperent, ab Gallici regni successione, si forte obtingeret, perpetuò depulsum iri. Eamdem postea legem Rhotomagi firmatam. Eidem se Regem ipsum, & Delegatos Ordinum omnes in postremis Blesensibus Comitijs sacramento validissimo subiecisse.

Catherinus ibidem.

Regē Galliæ Catholicum esse debere.

Quanto igitur iure Fœderatos, Ecclesiæ decreta, exempla maiorum, leges regni primarias sequutos, in eadem mente persistere? Regem verò Nauarræ non semel ab ipsis, & quidem inter prospera, ad Catholicam fidem, & certam inde regni possessionem inuitatum, obfirmato animo renuisse; vim sibi fieri dictitando, atque ad Oecumenicum prouocando Concilium, in re toties ab Ecclesia, & recentissimè ab Tridentina Synodo definita. Sustentasse sanè ipsum spem suam obsidione

1593. *dione Parisiensi, tanquam in Vrbe regia regnum totum expugnaturum. Sed liberatam Vrbem auxiliaribus auspicijs, animoque Catholici Regis, perpetui Catholicæ causæ Defensoris; cui propterea semper plurimum debeatur: & Parmensis Alexandri virtute, Principis numquam satis pro dignitate laudandi. Non ideo tamen Nauarræ Regem ad meliora consilia reuocatum. Quare Catholicos omnes, qui partes eius fouerent, per Deum obsecrari, vt ab eo quàm primùm secedentes cum reliquis Catholicis ad agendum de rei publicæ summa conuenirent. Cum regij sanguinis Principibus, regnique Administris; siquidem ab Hæreticis abiuncti eidem adsint conuentui, pro cuiusque meritis, ac dignitate actum iri. Iamque Galliæ Paribus, Præsulibus, Præfectis, atque Vrbium, Oppidorumque Delegatis sacro fœdere comprahensis, in diem decimum sextum Calendas Februarias ad Vrbem Parisiensem indicta Comitia: in quibus procul priuatis vtilitatibus, ac studijs, de optima religionis, ac regni conseruandi ratione deliberetur. Ita demum tamdiu optatam contentionibus quietem, calamitatibus finem sperari posse.*

Comitiorum indictio.

HIS igitur, eiusdemque generis alijs scripto propositis, ac peruulgatis, & suas partes Mænius egregiè tuebatur, & rectam profitebatur mentem suam: neque tamen de nouo eligendo Rege sua sensa prodebat. Integram quippe rem in medio reliquit: vt aditum sibi liberum pararet ad ea capienda consilia, quæ temporis opportunitas, & conditio tractationum suppeditarent. Nam aliquando concepta regni consequendi spes, ex obitu Parmensis facta debilior, Ducum Guisij, ac Nemorosij Competitorum æmulatione propemodum extincta videbatur. Itaque nec se, nec suos electioni committere constituerat, nisi vbi prospiceret cuncta se laturum suffragia, communemque consensum; sibique nec vires, nec auxilia defutura ad tuenda, quæ parta essent. Id si minùs feliciter eueniret; alterutrum sequi consilium induxerat animum: aut regni Locum tenentis continuato munere bellum producendi, quod ope Delegatorum facilè posset, ac modico exterorum subsidio sustinere: aut hac via præclusa, Ordinibus persuadendi, vt Henricum ad Catholicam reductum Ecclesiam Galliæ Regem, aut alium quemuis agnoscerent. Certus quippe animi continenter fuit: neque regnorum Hispanici, Gallicique coniunctionem, neque vnius Gallici diffectionem tolerare. Quæ mens index patriæ charitatis, vt plerisque Fœderatorum gratissima erat; ita hostibus, ad quos multis penetrauerat argumentis, & ipsi nonnumquam Regi laudata.

Mænii solertia.

PONTIFICIVS quoque Legatus sui muneris esse duxit, atque ex mente Pontificis, ad Catholicos Henrici consectatores hor-

hortatorias literas dare: vt eos ab Rege distractos cæteris Catholicis associaret; atque Octaui Clementis nomine, & suo euocaret ad indicta Comitia, in quibus religionis, ac regni conseruatio tractaretur. Has literas à plerisque Scriptorum fusè relatas, non est huius operis repræsentare. Sed opportunius fuerit ad Belgicas copias, quæ in limitibus Galliæ Mænij Ducis præstolabantur imperia; narrationem reuocare.

1593.

Relatio cõgressus Parisiẽsis, Catherin. Herrer. l.4.c.15.

Copiæ quò ducendæ.

Ad eas igitur Dux ipse progressus, adeò deprehendit expectatione minores; vt de alicuius vel emolumenti, vel nominis expeditione suscipienda propè desperaret. Quò tamen vtiliùs arma conuerteret, diutiùs in ancipiti fuit. Suadebat quidem per literas Pontificis Legatus, & cum eo Parisienses; vt ad robur, præsidiumque Comitijs addendum, Luteriam versus exercitus traduceretur: atque ad Sancti Dionysij Oppidum ab Henrico repetendum, castra poneret. Multa dicebant inde commoda prouentura; cum præsertim duabus non ampliùs leucis Luteriâ locus ille distaret: ac transuehendæ ad Parisienses annonæ transitus illac pateret. Verùm aduersa vicit sententia: non esse ad interiora regni eum exercitum admouendum. In hanc pari voluntate, sed mente dispari Mænius, & Mansfeldius conueniebant. Cauebat ille, ne suarum vicinitate copiarum maiores in rebus agitandis Hispani sumerent animos. Hic verò haud ingentem exercitum, pecuniaque parum instructum, Belgicis procul finibus opere longo implicare, aleæque periculosæ committere formidabat. Igitur omnium consensu, coniunctisque Belgarum, & Gallorum copijs ad Nouiodunum obsidendum arma vertuntur.

Catherinus.

Ad Nouiodunum oppugnandum.

Noyon.

Vrbs hæc est Gallica in finibus olim Suessionum, nunc Campaniæ, & Picardiæ, tum multitudine Ciuium, tum Episcopi sede præclara. Ab vsque Romanæ Reipublicæ temporibus repetit antiquitatem suam; Iulij Cæsaris & armis, & calamo nobilitata. Quâ vergit ad septemtriones, montem habet ab auersa parte præruptum. Quâ verò meridiem spectat, lacus est ex aquis Æsiæ fluuij ibi stagnantis collectus. Ingentes funduntur ad tergum, ac densissimæ syluæ. Vnus à fronte patet aditus breui explicatus planitie, quæ tendit ad portam Diui Eligij nomine appellatam. Mediam interfluit Vrbem amnis ignobilis, qui paululùm extra mœnia euolutus, in Æsiam influit. Ante duos annos Nouiodunum ab Henrico Rege oppugnatum, paulòque pòst deditione acceptum, eius in fide manebat. Ad hanc Vrbem per noctis tenebras intercipiendam præmiserat Mansfeldius cum militibus mille quingentis Claudium Barlotam. Sed vigilan-

Nouiodum situs, & descriptio.

Cæsar de bello Gall. lib.2.

Oyse.

Campana.

1593. lantiores ad suam salutem (vti par erat) hostes fuere, quam hi ad eorumdem perniciem. Orta verò luce Nouiodunenses rati, nocturnis elusis insidijs, ac fraude patefacta, nihil interdiu tam paucos tentaturos; securi ab tuendis mœnibus ad quietem se recepere, transactæ defensionis vigilijs interruptam. Qua securitate pellectus Claudius admoueri scalas iussit ad mœnia scandenda, qua parte respicit Vrbs Hanum, Oppidum tribus ferè leucis remotum. Illic enim minùs alta fossa, & aqua humilior rem conficiendi spem dabat. Sed breuiores æquo scalæ paucis ascensum præbuere. Et accurrentes Præsidiarij milites Vrbis, non modò propulsarunt hostes, sed audaciam quoque punierunt, compluribus quâ captis, quâ cæsis, quâ vulneratis. Capti è præcipuis Claudij Frater saucius, & Laudunensis Præfectus.

Interceptio vana.

EADEM die, Idibus nempe Martijs, vniuersus adfuit Fœderatorum exercitus. Numerabantur in eo quatuor millia Peditum, & Equites mille; quos Rex Catholicus miserat, Carolo Mansfeldio Duce: ducenti supra mille Pedites è Germania conducti ab Romano Pontifice Clemente Octauo; Equites verò centum, quibus ob discessum Herculis Sfondrati, Montis Marciani Ducis, præerat Appius de Comitibus, & Commissarius, vt vocant, Innocentius Maluasia: alij Germani Pedites ferè sexcenti, quorum Ductor erat Eguillonius Princeps. Italorum legio, cui præerat Camillus Capisucchius. Gallorum autem tria millia Peditum, Equitesque prope nongenti sub Mænii Ducis imperio, cui aderant Guisius, & Aumalius Duces, & Domini de Rosne, & Castreus. Vrbi præfectus fuerat ab Henrico Antonius Estreæ Dominus; cui præsto erant ad eiusdem præsidium Pedites nongenti; Equites octoginta partim Galli, partim Heluetij. Populus verò propensior ad Fœderatos erat. Hi ad bombardæ ictum Nouioduno propinqui, vt impressionem facerent, in hunc fere modum castra disposuere.

Obsidentium copiæ.

QVA nemus protenditur, ad dexteram Italicæ copiæ sub Camillo Capisucchio fixere stationem: ad sinistram Pontificiæ sub Appio partem aduersam secus lacum binæ occuparunt Peditum acies, ad oppugnandum paratæ, cum bellicis instrumentis. Earum altera murorum angulum spectabat, munimento ex vsu recentiore instructum. Hæc ex Hispanis, Vallonibus, Germanis ab Antonio Zuniga Tribuno regebatur. Alteri fermè planitiem obtinenti præerat Aloysius de Velasco cum Hispanis & suis, & Alphonsi Idiaquij: & Claudius Barlota cum Vallonibus. Qui omnes eò murorum oppugnationem direxerant; vnde validissimum Vrbis propugnaculum eminebat. Vtrique interiectum

Castrorum dispositio.

Quartiero.

Carolus Coloma lib. 6.

1593.

teriectum extruxere munimentum, vt ambas acies quasi coniungeret, mutuoque subsidio iuuaret: quod quamuis hostilibus tormentis expositum, coërcendis tamen eruptionibus peropportunum fuit. Ab hac parte, quâ planities explicabatur, potissimam statuere vim oppugnationis; quòd eam expugnatu facillimam ducebant, seque validè munierunt, quòd illac metus erat, ne ab Henrico subsidium immitteretur. Hinc aggeres excitati, & ad faciendam impressionem instructa tormenta. Ex aduerso verò (quem locum Pontificij tenebant) aggeres quoque erigebantur, non tam inde oppugnandi consilio, quàm hostis fallendi. Inter se quidem certabant Gallicæ copiæ, Belgicæque; vtræ in communem hostem vim facerent vehementiorem.

Dar l'assalto.

Oppugnationis initium.

PRIMVS impetus in eminens portæ propugnaculum destinatus: quod ab Arce, & Vrbis angulo, ac fossa præsertim defendebatur; aquis in eam è proximo flumine tunc vberiùs solito deriuatis. Illas tamen aliò diuertendi curam Mænius Claudio demandauit. Quamobrem is magnam partem exinanitâ fossâ; cum Aloysio Velasco, eique subiectis Hispanis, aggerum loricâ præ se ductâ, ad fossæ labrum mœnibus aduersum peruasit. Hinc abiere diuersi: sinistram partem Velascus, Barlota dexteram tenuit. Huic mens erat quinis tormentis propugnaculi portam, ac turres quassare; vt indefessa murorum longitudo relinqueretur. Parte alia cum Germanis à Mænio ductis Antonius Zuniga ad fossam irrupit; vt ancipites animi redderet obsessos, ab utro latere faciendus impetus esset. Tres igitur in partes distributa tormenta turrim portæ impositam, quâ premebat Velascus, transuersis ictibus decussatim feriebant.

Riuellino: Hom. Tursura Gallic. histor. par. 3. lib. 19.

Trincera Contrascarpa.

Cortina.

De Regis Henrici aduentu rumor.

VARIIS eodem tempore locis mœnia quatiebantur; & iam pluribus fatiscebant hiatibus: cum ecce subitus rumor, aduentare subsidiarium hostem: ipsum adesse Regem Henricum, certum conferere manus, vt Nouiodunum obsidioni eriperet. Ea fama oppugnantium primos impetus fregit: oppugnatis spatium dedit resarciendi ruinas. Quoniam verò quâ fluit Æsia ad tormenti iactum mœnibus procul, venturus credebatur Henricus; Appius de Comitibus, qui locum Vrbem inter, ac flumen situm cum suis, Hispanisque centurijs tuebatur; supra munimentum planæ formæ suis aggeribus interiectum imponi bombardas iussit: ac suorum Equitum turmam Chionium præmisit, ut id latus custodiret. At rumore vano comperto; postridie concussa vehementiùs, & frequentioribus tormentis porta: non tamen expugnata, vel quòd extra ictum esset, vel quòd latè aggesta humo valde munita. Ne igitur sine fructu tempus ef-

Far breccia.

Piattaforma.

Trappa: Scioni.

Sed vanus.

1593. effluerer; ad propugnaculum magna ex parte ruinosum occupandum, missi ex Hispanis lectissimi quique. Hi quamuis strenuissimè pugnarent horarum quatuor spatio, rem tamen haud peruicerunt. Quare sub propugnaculo stetere; ab deiectis in se lapidibus, cratibus se tueri coacti.

Graticci.

PROXIMA nocte ibidem effodere cuniculum aggressi sunt: qui perductus ad finem, ac tormentario puluere instructus; vbi prope fuit, vt ignem conciperet, parum abfuit quin impetum, & ruinam verteret in auctores. Qui enim Vrbem tuebantur, vt hostem è fossa distinerent, magnam in eam proiecere vim fascium è sarmentis vnguinosa materie delibutis; ipsisque igne superiecto, minaces inde flammas excitarunt. Hæ vicinos, ac dispositos intra cuniculum pyrij pulueris cados facillimè succendissent; nisi prouidi Vallones, quibus erat id operis commissum, tempestiuè cados ingesta terra texissent, ac subitò recedentes se periculo subtraxissent; Hispanis quoque propterea, quem occupauerant locum sub propugnaculo, deserentibus.

Fascine.

Incendii periculum.

NEC magis fausta Ciuibus eadem nox fuit; quæ magnam spem simul attulit, abstulitque. Namque vt opem ferrent obsessis, ducentos Equites (quingentos alij numerant) transmiserat Henricus: quorum singuli sacculum nitrati pulueris conuehebant. Et quamquam per tenebras, magnaque cautione iter haberent; cum tamen ad Vrbem propiùs accessissent, à Vallonum, & Pontificiorum custodijs detecti, repulsique fuere. Eorum plerique ab equis desilientes, quo faciliùs saluti suæ consulerent; clam in Vrbem aduolarunt: equosque, & puluerem in hostium potestate reliquerunt. Ex quo cum intelligerent obsessores, militaris instrumenti ad defensionem penuria hostes laborare; accelerandam oppugnationem duxere. Igitur Mænij iussu vehementissima impressio præparatur ex eo latere, quod Claudius obtinebat. Interea ducti aggeres procedebant ad mœnia; crebris illinc militum eruptionibus, præ virtute obsistentium, parum opera disturbantibus. Multum tamen vtrinque sanguinis fusum. Et iam ad fossam peruenerant; cùm ad rem citiùs conficiendam, congeminare pugnam decreuerunt: & Vrbem inuadere cominus insidijs armati cuniculi, eminus aperta displosione tormentorum. Cuniculus propugnaculo suppositus, igne concepto plus attulit detrimenti obsessoribus, quorum aliquor extinxit, quàm obsessis. Verùm eius impetu, & repetitis ictibus bombardarum perfractus propugnaculi murus tantum duxit hiatum, vt illac oppugnationi patefacta fuerit via. Ergo cum suis Hispanis Velascus, cum Vallonibus Barlota hostes alacriter

Subsidium penè irritum.

Corpi di guardia.

Batteria.

criter aggrediuntur, feriunt, cædunt. Sed non impunè. Nam Claudius in brachio sclopeto vulnus accepit: è socijs alij sauciati, alij perempti. Tandem propugnaculo potiti, stationem in eo locarunt, atque aliquot imposuere tormenta, quibus Vrbem propiùs, validiùsque concuterent. Plurimum inde gloriæ retulerunt Hispani, & Vallones; eorumque præcipuè Tribuni Velascus, & Barlota.

1593. *Archibugio.* Propugnaculum capitur. *Alloggiare. Piãtar ar. tiglierie.*

NEQVE vi solum, sed etiam astu militari in hac obsidione gesta res. Italus erat (vel vt alij scribunt Epirota) in copijs à Georgio Basta ductis, animorum, & solertiæ egregius: qui vt Vrbis obsessæ statum, & conditionem exploraret, has artes adhibuit. Equo conscenso, & pectori obliquè prætentâ candidâ fasciâ, quæ insigne militum Henrici erat, vt ex eis vnus videretur; simulauit se maximo cum discrimine inter Fœderati Exercitus acies percurrendo elapsum. Id vt fieret similius vero, ad eiusdem effugientis tergum sclopeta fuere plura displosa. Ille anhelantis instar, propior factus mœnibus, proclamauit. *Bono, Ciues, animo estote: paucos intra dies subsidium aderit.* Id verò parum lætis animis cum acciperent Custodiæ militum, responderunt. *Necessitatibus suis serum illud esse subsidium; neque diutius Vrbem posse defendi.* Quibus auditis, & deprehenso quod exquirebatur, eos nempe ad extrema redactos; Italus miles exonerato per ludibrium in mœnia sclopeto, & adactis equo calcaribus, citatissimo cursu remeauit ad suos. Id commenti non modò patefecit obsessoribus supremam Ciuium necessitatem; sed ipsos etiam perpulit Ciues, vt hostibus eius conscijs deditionem popularent. Alij tamen præproperum hoc se dedendi consilium referunt ad occupatum ab hostibus propugnaculum; vnde Ciuitas ineuitabile sibi timere poterat exitium. Neque desunt, qui hoc ipsum tribuant Mænio Duci, obsidionem sollicitè celeranti, operaque omnia præsentia sua vrgenti, vt se vel solum ostenderet Imperatoris oneri parem: Vrbemque, quâ cuniculis, quâ tormentis, & diuerticulis aquarum, & militum aggressione prementi; vt quamprimum ad Comitia (quod rerum caput erat) rediret: neuè quidquam per ipsius absentiam, parum eius rebus profuturum, aut Delegati decernerent, aut molirentur Hispani. Cæterum opinio prudentium fuit, potuisse obsidionem, quæ sexdecim tenuit dies, à Ciuitate diutius sustineri, pro numero, ac virtute Defensorum, & propinquitate subsidij: nisi penuria commeatuum, ac maior pyrij pulueris, deditionem præcipitassent. Igitur Nouiodunenses postulato colloquio cum hoste conuenerunt: vt nisi tridui spatio subsidium adesset ab

Stratagemma. Albanese. Campana. Caneruns. Militis stratagema. Deditionis acceleratæ causæ. *Campana. Coloma. Catherinus. Tartura.*

Rege,

1593. Rege, dederent sese. Per id temporis obsessores custodientes aditus omnes, magna cauere diligentia, ne quâ subsidiarius Miles ad Vrbem penetraret. Quare demum Martij postrema die Gubernator Vrbis Estreæ Dominus Nouiodunum in manus Fœderatorum dedit. Mænio Victori non placuit Ciuitatem ad Fœderatos propensam depopulari: quod exanthlati labor s pretium Miles exigebat. Quippe Princeps ingenio erat ab rapinis alieno: & exteros Gallico sanguine pinguescere indignum rebatur.

Nouioduni deditio.

Mænius direptionem vetat.

Deditionis eæ fuere conditiones præcipuæ: vt Præsidiarijs Militibus cum armis, signis, impedimentis abire liceret: Ciuibus salua essent omnia. Ex Militibus abscessere Vrbe ferè octingenti: paucis vtrinque nece, pluribus fugâ desideratis in Exercitu Fœderatorum, præ stipendij penuria. Vbi verò Mænius triumphantis in speciem ingressus est Nouiodunum, insonuerunt vndique voces populi proclamantis vitam, & victoriam Principibus optimis, ac Fœderi sacro. Quo plausu comitante deductus ad Templum fuit, vbi grates persoluit vero Exercituum Deo. Domum deinde prouectus cum ingenti lætitia Ciuium, quòd essent Hæretico ab iugo liberati. Patefecerunt hæc prudentiam Ducis, qui Vrbem haud permisit militari licentiæ deprædandam.

Cum plausu excipitur.

Minvs lætam hanc victoriam reddidit, & res Fœderatorum attriuit inusitati facinoris miserabilis euentus, qui per ipsum contigit tempus obsidionis. Nonum iam diem premebatur à Fœderatis Nouiodunum: cùm Appius de Comitibus, quem paulò antè memorauimus, obsecundandi Mænio studiosus, Germanos sibi subiectos ad opera facienda acriter impulit. Mox eiusdem rogatu iterum eundem illis laborem per Internuncium imperauit. At eorum Chiliarcha Georgius Chateobrinus, vir è Lotharingia princeps, obluctatus imperio est, cùm diceret: *nolle se suos milites fraudatos mercede semel, gratis denuò laborare.* Commotus ad hoc responsi Appius, adit ipsemet Catheobrinum, & iussa renouans pollicetur, *eos vtriusque laboris vnà præmium laturos.* Recusauit adhuc obstinatè Georgius. Quare Appius maiore succensus ira, percontatur: *Agnosceret-ne se Ductorem suum? Non satis se meminisse*; ille respondit. Tum verò Appius indignationis impatiens, & memor magis generosæ stirpis, quàm muneris impositi; ex equo se deijcit in pedes, & gladium è vagina rapiens Catheobrinum inuadit. Qui cùm pariter descendisset, ensemque nudasset: tamen vel illius reuerentiâ, vel pœnitentiâ contumaciæ suæ repressus, tueri se tantùm, ac tuendo retrocedere. Vrgere Appius, & premere adeò, vt eius

Appii de Comitibus infortunium.

[illegible] Turtura, & alij.

brachium sauciaret. Eoque impetu delatus, in aduersum gladium irruit; cuius mucro pectus ei sub mamilla transfodit. Lethale hoc vulnus tantum ipsi vitæ spatium dedit, quantum ad expianda Christiano more peccata, Deoque commendandum fugientem spiritum satis esset. Nec multò pòst inter brachia Ducis Lotharij fratris, qui ad rei famam aduolarat, extinctus est. Dignus sanè, qui diutius viueret, ad animæ magnæ argumenta illustriora memori æternitati relinquenda: vel certè nobiliore letho & Maiorum suorum Romanis celebrem fastis æquaret gloriam, & secuturis non minori laude Nepotibus militarem præiret viam. Documento certè Ducibus alijs fuit memorando non minùs, quàm miserando: imperio, ac nutu subiectos milites in officio continendos esse, non manu.

1593.

In huiusce rei narratione, quam cuncti ferè tum Gallici, tum Belgici Scriptores belli vulgarunt; variant inter se. Nam alij Germanum, & Bauarum, non Lotharingum fuisse illum tradunt, cuius gladio cecidit Appius. Causam verò contentionis non iussum iterari laborem aliqui scribunt: sed quòd locum periculis obiectum, adeoque desertum ab alijs, vt occuparet cum suis, Chateobrino imperasset Appius; ille peruicax abnuisset. Immò & æmulationem inter eos, atque inueterata odia, alij dicebant, impulisse Appium, vt plus ei operis, quàm cæteris iniungeret, & contumaciam sua punire aggrederetur manu. Vulnus quoque à Georgio data opera inflictum, non autem ira percitum Appium in ferrum se induisse, plerique retulerunt. Additur facto prodigium: quod vt tantundem haberet fidei, quantum admirationis; auritum, atque oculatum se testem profitetur ille, qui scripsit.

Catherinus, Turtura.

M. Ianson. Merc. Gallo-belg. lib. 6.

Coloma.

Campana, Carnerus, Iansonius, Herrera lib. 4. cap. 18.

Coloma.

Appij necis præsagium.

Pridie quàm id facinoris patraretur, Alphonsus Idiaquius cum Velitibus Ferà redibat, commeatus ad exercitum deducens. Cumque ex Italo Equite, quem habuit obuium, sciscitaretur, vti fit: *Ecquid noui afferret è Castris: Vnum*, ille respondit, *& valde insolens, quod ante duas horas euenit. Chateobrinus Chiliarcha suum Ductorem Appium interemit.* Exceperunt Alphonsus, & comites rem tam nouam, quo par erat, animi sensu. Cumque progrederentur, vt Mansfeldium Comitem adirent; ecce illis obuiàm fit Appius ipse, quem occisum audierant. Substiterunt illicò, attoniti miraculo rei; & quod ab Equite nuper acceperant, renarrarunt. Ille risu excepit, vt moris est. Die proximè subsequuta eàdem hora, quam prædixerat, quisquis ille fuit, Appius interfectus. Ita plerumque magnos rerum euentus insitata prodigia vel præeunt, vel comitantur: vt humanas doceant

1593. ceant mentes, quicquid in terris euenit, venire de cœlo. De interfectore quid factum; non conuenit inter Auctores. Quidam eum statim equo conscenso consuluisse saluti suæ ferunt. Alij tradunt, facinus quamuis improuisum, ac sine fraude, pessimi tamen exempli, quod in oculis exercitus, atque ex contemptu militaris imperij factu esset; adeò displicuisse Mænio Duci: vt ipsemet Germanorum aciem ingressus, Chateobrinum captiuum in manus suorum satellitum tradiderit, mandaritque iudicium institui de scelere perpetrato. Quod sui iuris esse, denunciante Pontificio Commissario Maluasia; iussit vt ad eius sistendus Tribunal, haberetur in custodia. Verùm intereà dum de causa cognoscitur, copijs iam Hanum ductis, aufugisse reus fertur, duobus satellitibus vbique custoditus, ac sua obstrictus fide, more Germanico. Huic fugæ contulisse ope Mansfeldium Comitem, ac Rosni Dominum Chateobrino iunctos sanguine, communis opinio fuit. Nec abfuit suspicio, Mænium ipsum consensisse. Quamquam in speciem adhibuit industriam omnem, & Pedites, Equitesque ad eum vestigandum quaquaversus dimisit. Vulgato prætereà scripto palam fecit, eum fidem datam fefellisse, quod apud Germanos maximo solet esse dedecori, ac detrimento. Ea demum fuga Commissarium Maluasiam perpulit, ut nulla ratione habita vel opportunitatis temporum, vel rerum necessitatis, Pontificium Exercitum dimitteret; quod animo priùs agitarat, vt pecuniæ parceret. Et quamuis querelis acribus Mænius reclamaret, damna memorans ex altera Mattheuccij, Pontificij pariter Commissarij, militum missione; non tamen à dimittendo cohibuit Maluasiam. Magnam id perniciem attulit rebus Fœderatorum. Cùm enim perlata res esset Lutetiam ad aures Delegatorum, quibus Pontificius Legatus promiserat, militem à Pontifice conductum venturum ad tantæ Vrbis custodiam: quippè nolebant Hispanis, aut Mænio Duci vim addi suarum accessu copiarum: minitari palam omnes, abituros se re infecta, aut cum Henrico Rege consensuros. Mansfeldius quoque, à quo accepisse consilium ferunt Maluasiam Exercitus dimittendi; eam nactus, quam quæsierat occasionem, negauit aliam vllam suo ductu susceptum iri expeditionem, copiarum tenuitatem causatus. Atque vt mala plerumque gregatim confluunt: ipsi Regis Hispani milites, ac Peditatus præsertim Vallonum imminuebantur in dies, plurimis ob non soluta stipendia diffugientibus. Galli verò, non præter solitum, erant & pauciores numero, & viribus languidiores. Quare cùm Parisienses vehementer instarent, vt Vrbis præsidia nu-

Turtura. Catherinus.

Copiarum Pontificiarum dimissio.

Fœderatorũ Exercitus diminutus.

1593.

numero militum augerentur, quò tutiùs eò peruehi possent commeatus, à circumfusis hostibus frequenter interuerti soliti; Mænio Duci data, quæ in votis erat, opportunitas fuit Principis filij sui copias Lutetiam transmittendi, eoque robur addendi partibus suis. Ipse verò valido Germanorum, & Vallonum præsidio sub Francisco Blancardo Nouioduni relicto, Rhemos profectus est, vt ibi cum suæ Gentis Principibus viris colloqueretur; inde ad Parisiensia Comitia migraturus. At Mansfeldius cum suis copijs Belgium versùs recedens, Bohanium Castellum, & Sancti Valerici Oppidum leui negotio expugnauit.

Carolus Mansfeldius redit in Belgium.

EODEM tempore ad Stapulas capiendas misit Camillum Capisucchium, legionis Italicæ Tribunum, cum copijs eidem subiectis, & Germanica legione Ioannis Manricij, alijsque Germanis, ac Vallonibus: quibus omnibus ille præerat. Castellum id est in æstuario amnis Canceiæ, seu Cauchiæ: quod dies paucos obsessum, deditionem fecit. Et quoniam Camilli virtus in hoc Belgico bello multos annos enituit; meritus est, vt in parte huius historiæ inclyta eius memoria posteris commendetur. Ortum duxit è veteri, ac nobili Capisucchiorum familia, quæ à pluribus sæculis Romæ illustris, plures numerat in longa maiorum serie, quâ toga, quâ sago præclaros. Inter illos præcipuè recensentur tres Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales: Ioannes Robertus ab Vrbano Secundo creatus anno millesimo nonagesimo secundo; vti non nemo scriptum reliquit: Petrus Apostolicæ Sedis Legatus sub Callisto Secundo anno millesimo centesimo vigesimo secundo: Ioannes Antonius à Paulo Quarto Cardinalis, & Laudensis Episcopus creatus; & à Pio Quinto subsignandis gratiæ rescriptis præpositus. Paulus Neocastrensis Episcopus, & plurium Pontificum Vicarius: Petrus Vrbis Senator, Nicolaus Camerarius, Iacobellus Castri Turris Candulforum Dominus, Vrbisque Conseruator: alijque optimè de Catholica Ecclesia meriti.

Camillus Capisucchius Stapulis potitur.

Estaples. Thuan. lib. 105. Campana p. 3. lib. 1. Carnerus l. 10. c. 1. Cauchè.

Camilli clarum genus.

Vincentius Armannus de Capisucchiorum familia.

Ex eius familia Cardinales, & Præsules.

Alphonsus Ciac. in Vrbano II. Ferdin. Vghell. Italiæ sacra T. 4. & 9. Ciacon. in Paulo IV. Ioann. Ant. Petramel. in Pio V. Iacob. Sadoletus in Epist.

INTER sagatos verò Cincius consilio, & manu strenuus; qui Carolo Quinto Cæsari, & multis Pontificibus cum summo etiam imperio militauit: Papirius exercitus Ecclesiastici supremus Instructor sub quatuor Pontificibus: Tarquinius sub Alexandro Farnesio, & Ernesto Archiduce nunc Peditum, nunc Equitum Ductor: deinde in ditione Ecclesiastica Generalis Campi Magister ab Vrbano Octauo declaratus. Verùm his, & compluribus alijs Camillus, & Blasius Fratres præfulsere.

Viri armis insignes.

Iacobus Schrenchius in Imagin. Principum.

CAMILLVS Podij Catini Marchio annos quadraginta in armis fuit. In Belgicis præsertim illustris, Parmensis Ducis Alexan-

Camilli virtus bellica.

dri

1593.
Fam. Strada de bell. Belgico Dec. 2. lib. 5. 6. 7. Ant. Herrera hist. Gall. l. 4. c. 7. Turtura lib. 16. Catherinus lib. 12. Campiglia lib. 8.

dti perpetuus comes fuit tum in prælijs, tum in victorijs. In Antuerpia obsidenda, in Lutetia Parisiorum, & Rhotomago obsidione liberandis, pari virtute, & gloria ei præstò fuit. Latiniacum sub oculis Henrici Regis expugnauit. Redeuntem è Gallia victorem exercitum ab eodem insectante defendit egregiè. Tot decoratus laureis in Italiam reuersus, à Gregorio Decimo Tertio Ecclesiasticæ militiæ supremus Campi Magister electus est. Tùm ab Octauo Clemente cum eodem imperio auxiliaris Rodulpho Cæsari missus in Hungariam. Ibi Pappam Oppidum Christianis recuperauit. Cumque Danubij pontem, ad Turcas retardandos, post acerrimam pugnam, interrupisset; equo subter confosso, & lethali morbo contracto, victoriæ suæ immortuus est Comaræ sexagenarius.

Blasij laudes militares.

Fam. Strada de bel. Belg. Dec. 2. l. 5. Cather. l. 5. Turtura lib. 16.

Blasivs in Gallia Romani Horatij magnum animum renouauit, & gloriam. Pontem quippe ab Huguenotis Pictauium obsidentibus constructum, aquis immersus, telis appetitus, dissoluit, ac dispersit in profluentem. Adfuit Parmensi Duci Traiectum ad Mosam obsidenti. Coloniensi Electori mente, ac manu opem tulit. In Italiam redux ab Octauo Clemente Auenionensibus, & Venayxinis armis impositus, decennio præfuit. A Cosmo Secundo Hetruriæ Magno Duce præfectus Equitatui, ac Monterij Marchio confirmatus, Hetrusci exercitus Legatus eum, in Mantuani Ducis subsidium, per hosticam ditionem traduxit incolumem. Hæc de Capisucchiorum familia in hac Belgici belli historia memorasse licuerit: quandoquidem tot illa Viros egregios, & de re bellica, Belgicaque optimè meritos tulit: vt propterea generosæ, ac militaris familiæ titulos mereatur.

Rhemensis congressus Principum de Lotharingis.

Turtura. Catherinus.

Rhemis conuenere Duces: Lotharingus, Mænius, Guisius, Aumalius, Ellebouius, ac pro Mercurij Duce Salignius Comes eius Frater: qui licèt Regis Henrici captiuus esset, suæ tamen sponsionis deuinctus fide, liber commeare sinebatur. Ab huiusmodi congressu iudicium de rerum Gallicarum exitu faciendum expectabatur. In eo Mænius, qui secum malè actum existimabat ab Hispanis: quique optimè intelligebat, electionem Infantis nequaquam commodam rebus suis futuram, cum eius nuptias frustra vel sibi, vel suis Liberis ambiret: Principibus alijs in animum inducere conatus est, eam vel præ summis difficultatibus nullam fore, vel certè regno inutilem: Siquidem Philippus Parens, vt in coronam Gallicam succederet filius, eam nemini erat connubio iuncturus. *Nouum in Gallia monstrum, & detestatum legibus futurum, regnantem fæminam. Non*

Mænius electionē Isabellę dissuadet.

1593.

eo restinctum iri cum Rege Nauarræ bellum: immò acriùs exarsurum, maiora ipsi suppeditantibus auxilia Principibus Italiæ cunctis, & omni connitentibus vi, ne Gallicum Regnum Hispanam, Austriacamque potentiam in immensum amplificaret. Quod si tamen Isabella nuberet; nulli è Principibus Galliæ nupturam. Itaque anxios animi se futuros, cuius ingenium Regis passuri essent. Is verò cum ab vxore in tantum euectus esset imperium, periculum fore, ne totus esset in vxoris potestate. Cui potiùs debere Coronam vellet, quàm Gallis: ne scilicet sibi subiectis referendæ gratiæ vinculis obstrictus viueret sempiternis. Hinc regium ipsum Galliæ sanguinem apud eum nullius pretij futurum. Quid si tandem belli pertæsus Hispanus auxilia subduceret necessaria? Si vita priùs, quàm bello finem imponeret? Neque verò in paternas curas filium ingenio valde dissimilem successurum. Sic imminutis viribus, crescente bello, quid reliquum aliud fore, nisi vt in id incurrant, quod vitare tamdiu, tantoque operè studuerunt; atque Hæretico demum iugo vel reluctantia colla supponant?

Principis Hispanæ suadet.

ALIIS verò Mænius argumentis persuadere Principibus contendebat: *Religioni, Regno, atque ipsis sibi longè futurum vtilius, si Principem Hispaniæ Regem Galliæ crearent. Ab eo, qui tot habeat Regna subiecta, feliciores multò conditiones Gallis sperari posse, quàm vel ab sorore, vel ab alio minoris potentiæ Rege. Auxilia quoque longè validiora, vel superstite Genitore, vel extincto: quando ea rebus ipse suis impenderet. Id suscipi debere consilij, quod maximè profuturum omnibus esset: vbi vana spes foret, ab Rege Catholico Regem ex Lotharingis Principibus impetrandi. Qui etiam impetratus, Hispanis destitueretur auxilijs, aut certè tam inualidis iuuaretur, vt aduersus potentissimos hostes se tueri nequiret. Neque aliundè superessent speranda subsidia; Principibus alijs, ac potissimùm Italis in Partes de more distractis.* Inopinatum hoc Mænij consilium

Qua mente.

Turtur. lib. 19.

eò spectabat: vt siquidem Hispanus Princeps in Regem Gallicum eligeretur; ipse qui prouexisset, plurima sibi, suisque præ cæteris emolumenta consequeretur à Principe, præsertim teneræ adhuc ætatis: eiusque beneficio administrationem Regni prorogaret: Vrbes, Arcesque præcipuas in sua fide retineret, homines sibi deuinctos eisdem præficiendo: Et si quid humanitus Principi, aut Regno noui contingeret, ipsemet rerum potiretur. Sin, quod erat propius vero, tentamentum in irritum caderet; Hispanorum sibi gratiam promereret ipse, qui tentarat.

ET iam in suam sententiam Aumalium, atque Ellebouium Duces pertraxerat: non autem Lotharingum, aut Guisium, qui magis ad electionem Infantis propendebant, quòd eius coniu-

gium

1593. gium sperarent. Minorem tamen spem conceperat Lotharingus, difficillimam eam electionem ratus. Quamobrem alteri tractationi præbebat aures, quam cum eo Hieronymus Gondius Venetæ Reipublicæ, ac Magni Ducis Hetruriæ Ferdinandi nomine instituerat: vt nempe Henricum Galliæ Regem agnosceret, vbi tamen ad Catholicam ille fidem se reuocaret. A qua si pergeret aberrare, vel ipsos aiebat aduersùs eum arma moturos.

Ab aliis Henricus promouetur.

Turtura. PER idem tempus Alincurij Dominus, filius Villaregij, obtulit Mænio Duci amplas ab Henrico Rege conditiones, tum ad conseruandam Catholicam Religionem, tum ad priuatas eius res promouendas. Faciliùs quippe inter ipsos, quàm inter Delegatos, conuenire posse iactabat. Conuentionis vades sex Germaniæ Principes proponebat. Vtrique tractationi dissoluendæ per Agucchium Protonotarium operam omnem adhibuit Pontificius Legatus, Hispanis calcar addentibus.

Obstat Pontificius Legatus.

Negauit Lotharingus, *Hæretico se vnquam assensurum: sumptus tamen, atque incommoda Belli diutius ferri non posse adiecit ab auxilijs destituto. Vltro se in consilia Christianæ Religioni tuta venturum. Eò Rhemos commigrasse, vt cum suæ stirpis Principibus, aut alijs mentis eiusdem de publica re deliberaret.* Hæc Lotharingiæ Dux, ad Pontificij Legati, Hispanorumque conceptas de ipso suspiciones amoliendas.

AT in congressu Principum affirmare: *Arduam sibi videri alterius ab Henrico Regis electionem. Eam tamen omnino vel Isabellæ Infanti, vel Hispaniæ Principi, vel è stirpe Lotharinga cuipiam obuenturam. Hispaniæ Principem omnium difficillimè electum iri: vtcunque secus Mænio Duci videretur. Gallis namque Regem placere, qui totus ipsorum sit: neque ad alia, quæ Galliæ non subiaceant, Regna se partiatur. Faciliùs in id fortuna venturam Infantem, dum vni nuberet è Principibus Gallicis. Eum verò futurum præ cæteris è familia Lotharinga; vbi Catholicus Rex, Romanus Pontifex, alijque Italiæ Principes eisdem adesse velint auxilio. Non id sperari posse ab Hispano, nisi suum ad arbitrium Regem nominaret: non à solo Pontifice, qui par oneri tanto non esset: neque hunc socios habiturum ob innatas Italiæ factiones. Quare nihil sibi promptius, opportuniusque videri, quàm cum Rege Nauarræ fidei reddito inire concordiam. Quòd si pertinax adhuc in hæresi persisteret; Catholicæ Nobilitatis vniuersæ ab eo alienatæ consensu, alium è gente Borbonia creandum Regem. Romanum ipsum Pontificem è duobus hisce consilijs alterutrum amplecti debere, si saluam in Gallia Religionem, ac Regni totius Apostolicæ Sedi obedientiam vellet.* Hæc Lotharingiæ Ducis

Dux Lotharingiæ propendet in hæreticum.

E sen-

sententia fuit. At Guisius fouens adhuc spes suas, & cum Borbonio sanguine simultates, tractationibus pro Rege, vel eiusdem stirpis alio, prorsus obluctabatur. 1593.

MAENIVS verò varias in partes agitatus, vni tamen consilio sedulus insistebat, imperium, atque auctoritatem prorogandi. Immo multa perpetuò mente volutans, maiorem sibi fortunam machinabatur in dies. Induxerat animum, inter cætera, cum suis Guisijs agere de prouehendo ad Gallicum regnum Estensi Alphonso Ferrariæ Duce, Auunculo suo. Quamobrem Annæ Lexouiensi Episcopo, & Deportensi Domino Romam proficiscentibus mandauit, vt Alphonsum Ducem Ferrariæ conuenirent, eique nouum consilium exponerent. Sperabat eâ Mænius viâ ingentem se pecuniæ vim ab eo consecuturum; quem opulentissimum rebatur: & quem Poloniæ coronam nouerat quæsijsse, multò censebat ardentiùs hanc inhiaturum, quæ longè maioris esset imperij, & vbi continenter haberet in promptu Consanguineorum auxilia. Cum verò parum tanta spe commoueri, ad primos illos nuncios, visus esset sapiens rerum æstimator Alphonsus; geminauit Mænius impetum per Camillum Tolomeum Estensis ditioni subiectum: quem ad eundem transmisit suasurum, vt in opus tanti momenti studio, quo par erat, incumberet. Facile id fore successu, quod Guisius Dux, & Mænius essent impensissimè promoturi, in Alphonsum ambo non aliter, quàm liberi in Parentem affecti. In eamdem sententiam perductum iri Aumalium, & Ellebouium Duces. Nemorosiam quoque Ducem filios in eadem studia pertractura m. Vnum requiri ad rem tantæ molis perficiendam, aureorum centies mille. Hanc Mænius exigebat summam, instantibus quidem necessitatibus modicam: sed quæ tamen satis esset, vt palam omnibus faceret, posse Federatos etiam sinè auro Hispanico bellum alere. Alius pariter finis ei propositus in illa deliberatione traditur. Vt nimirum Auunculo ad Gallicum regnum euecto, magna ipse præmia tanquam auctor præcipuus consequeretur. Verùm tot spes, & machinæ (vt pleræque mortalium) ad vnam Alphonsi Ducis repulsam corruère. Repulit autem is tantum ab se honorum, vel quòd opibus in antecessum numerandis non afflueret: vel quòd electionem sui diffideret euenturam: vel etiam, vbi euenisset, quòd hostium, & competitorum viribus aduersis obsistere se posse minimè speraret. Summas quidem egit Mænio grates ob animum felicitatis ipsius tam studiosum: hortatus est, vt cum suæ Gentis Principibus ad bonum publicum conspiraret: iunctim spopondit omnibus auxilia,

Mænius promouere tentat ad regnum Alphonsum Ferrariæ Ducem.

Tuan. lib. 19.

Di Lisieux.

Quibus de causis.

Alphonsus recusat.

1593. lia, quæ si seorsim conferret, offenderet reliquos. Hac vbi spe deiectum se vidit Mænius;ad Romanum Pontificem cogitationem conuertit; de Regis electione mentem eius diligenter exploraturus. Itaque tria omnino consilia per suos Internuncios illi proponenda curauit. Primum vt in Henricum, postquam reconciliatus esset Ecclesiæ, ambo conuenirent. Alterum vt è regio sanguine alius, ac præ cæteris Borbonius Cardinalis, Rex crearetur. Tertium vt è stirpe quis Lotharinga,in matrimonium ducens Infantem Hispaniæ Isabellam,proueheretur ad regnum. Facillimum tamen omnium asserebat Henrico assentiendi consilium. At Pontifex idem, quod semper antea, responsum reddidit. Nihil sibi cum homine ab Ecclesia seiuncto negotij fore: vnumque se spectare Religionis, ac Regni bonum. Igitur Mænius sua videns ab omni parte disturbata machinamenta;ad Parisiensia se conferre Comitia opportunius existimauit. Hic exitus fuit Rhemensis Principum è Lotharingia conuentûs:in quo ne prorsus nihil publicæ rei bono decretum videretur; euulgato libello testati sunt Principes: nullam se vnquam cum Hæreticis tractationem habituros: eamque sequi statuisse sententiam, quæ ad Religionis, ac Regni conseruationem optima censeretur. Exinde facta Rhemis discessione, Lutetiam profecti sunt omnes, præter vnum Lotharingiæ Ducem, qui Dunensem Arcem suam paulò antè ab Duce Bullionio captam recepturus, Christophorum Bassompetræ Dominum ad Comitia suo loco transmisit. Sed antequam res Parisijs gestas exequamur; operis instituti ratio postulat, vt è Gallia reuertamur in Belgium.

Mænius triplex consilium Pontifici proponit.

Huius responsum

IMPOSITVS rei Belgicæ administrandæ Petrus Ernestus Comes Mansfeldius (vti principio diximus) nihil in eo munere antiquius habuit, quàm ex parte dilapsam militaris disciplinæ seueritatem restituere. Sanxerat olim pro sui rigore ingenij Dux Albanus, dum Belgium gubernaret; vt quicunque caperetur ex hostibus statim suspendio plecteretur: à quo non eum gratia, non pretium liberaret. Ea lex vti fertilitatem agris, securitatem Colonis conseruabat:ita militari licentiæ funesta,plerisque verò Belgarum aspera nimis, atque atrox habebatur. Cœpit ergo eamdem abrogare mollior consuetudo: qua institutum est,vt gregarij Milites menstruo stipendio,Centuriones,& Chiliarchæ ad victoris arbitrium se redimerent. Qua facilitate audacia, militum propria, tantùm excreuit, vt nulla ratione tuti degerent,aut in Villis Agricolę,aut in suis Arcibus Nobiles,aut in ipsis vijs publicis Viatores. Adeòque intermissi agrorum cultus; interclusa commercia Populorum. Hac vt pernicie, ac va-

Mansfeldius Gubernator militarem disciplinam instaurat.

stitate se vindicarent, quicunque ob vicinitatem erant incursionibus hostium obnoxij; iisdem tributa pendere singulis mensibus sibi vtilius duxerunt, eâque multâ redimere tot dispendia. Horum verò tributorum census est auctus adeò, vt illo magnam partem exercitus alerent Prouinciæ Fœderatæ. Indignum id Mansfeldio Gubernatori visum; vt Hispano Regi subiecti, sibique commissi Belgæ arma contra se hostilia suis sumptibus æternarent. Igitur ineunte anno nonagesimo tertio supra millesimum quingentesimum promulgato vetuit Edicto: ne quid in posterum hosti ad incursiones præuertendas persolueretur. Imò statim atque illæ imminerent; signum iussit è pagorum turribus dari: arma raptim ab omnibus sumi: conuenire Finitimos ad communem hostem propulsandum: eidem capto suspendium nulla vi pecuniæ remitti. Viguit Edicti vis aliquandiu: sed temporis progressu ad irritum redijt; præoptantibus Villarum, aut Arcium Dominis aliquid hosti pro sua securitate persoluere, quàm continenti subiacere periculo, ne Villæ incendium, ipsi captiuitatem paterentur. Eidem abrogando vim addidit contrarium Hollandię Ordinum Edictum: quo illius sæuities, Hispanorum seueritas, infelicitas Belgij proponebatur: Belgæque pelliciebantur omnes ad communem salutem, ac libertatem aduersus dominatum exterorum tutandam; ac præsertim ad id pecuniæ ex inducto more pendendum, quo se à grauioribus malis liberarent. Mansfeldiani seueritatem Edicti ad Comitem Fontanum auctorem aliqui referunt, haud extra similitudinem veri; si eius ingenium spectetur ab rigida æquitate Albani non longè distans; & suprema in grauibus negotijs procuratio, quam ab Rege commissam clam habuisse dicitur apud Belgas.

1593.

Campana. Carnerus.

ORDINVM verò Edictum, ac tributum pro securitate soluendum, Lucemburgensibus cum fuisset propositum; recusarunt illi morem gerere: quippe qui sibi viderentur & satis instructi viribus ad repugnandum, & regionis suæ longinquitate securi. Ea fuisse fertur causa, cur aduersus eos Philippus Nassauius cum quatuor militum millibus immitteretur. Quamquam alij censent, Henrici Regis artibus, astuque militiæ consueto curatum: vt ab se arma Hispana diuerteret, ad Belgium in regia fide seruandum. Spes erat Nassauio, quam ei diuturna tractatio præstructa faciebat, Sancti Viti Oppido in Lucemburgi ditione potiri se posse. Sed illa, clandestinis consilijs in apertum proditis, euanuit. Quare ad circumiectum agrum depopulandum iras, atque arma conuertit. Inde ad caput Prouinciæ Lucem-

Philippus Nassauius Lucẽburgensem Ducatum infestat.

Gaspar Ens Annal. tom. 3. lib. 3. Campana.

cem-

1593. cemburgum progreſſus, aliquot eius pagos incendit. Tum in Brabantiam excurrens, Hanutum peruetus Oppidum diripuit. Cùm verò Florentium Comitem Barlæmontium, inſtructum copioſo milite è vicinis præſidijs euocato, contra ſe properare inaudijſſet; optimum factu duxit ſuas copias ingenti onuſtas præda in hyberna reducere.

INTEREA Mauritius Comes Naſſauius opportunitatem, quam arma regia dabant, in Galliam è Belgio maximam partem tranſlata, minimè ratus eſt prætermittendam; probè doctus ab antiquæ memoriæ monumentis: occaſionem cunctis quidem in rebus humanis, maximè verò in bellicis dominari: eamque plus in ipſis prodeſſe ſolitam, quam aut virtutem, aut vires. Igitur ad Sanctæ Gertrudis Oppidum (vulgò Gertrudisbergam appellant) obſidione capiendum, animum, atque omnes belli neruos adiecit. Eam ipſi expeditionem ſuadebant tum priuatæ rationes, Bredanam ditionem ſuam hæreditariam, à periculis impendentibus ex eius Oppidi vicinitate ſecuram, poſſidendi: tum publicæ, Fœderatorum partibus illud adiungendi; quod ad oram Hollandiæ ſitum, Dordracenis, Gorcomienſibus, alijsque finitimis Populis vehementer eſſet infeſtum. Neque deſunt qui Hollandicæ id faciant ditionis: imò ad Mauritium ipſum tradant hæreditatis iure pertinuiſſe, vtpote pignoris loco à Parente poſſeſſum. Propoſitum in Belgicorum Ordinum Senatu conſilium, ſummo conſenſu omnium acceptum fuit. Verùm vt felicem exitum conſequeretur, vſitatis prudentium Ducum artibus, habendum erat in arcano. Diſſimulatum itaque fuit, ſimulando motum armorum modò Groningam verſus in Friſiam; modò Sluſam, aut Dunquercam in Flandriam; modò Syluam-Ducis, aut Grauiam in Brabantiam. Et fortunatè quidem ea ſimulatio ceſſit auctoribus. Ad illa quippe loca tutanda prouectæ, ac diſpertitæ Hiſpanorum vires, eam partem imbecilliorem reliquere, quæ vna omnium futura erat indiga præſidij. Ergo Mauritius ad opus deſtinatum nauigijs, tormentis bellicis, alijsque obſidionalibus machinis, quæ Stenouici paulò antè abſoluta obſidione ſuperauerant, affatim inſtructus; ſummaque vſus celeritate (quæ plerumque maximum habet ad victoriam momentum) quinto Calendas Aprilis, cum exercitu quinquies mille peditum, equitum quadringentorum ſupra mille, Gertrudisbergam acceſſit. Exiguum id ambitu Oppidum eſt: at poſitione ſua valde poſſeſſoribus opportunum. Namque in extrema ſitum ora Brabantiæ ad Hollandiam vergente, & ſolo aquarum intercedente obſtaculo; aditus prom-

ptus

San Gertrudenbergh.

Guido Card. Bentiuol. de bello Belg. par. 3. lib. 1. Fr. Haræus anno 1593. Lud. Guicciardinus in Holland. Carolus Coloma lib. 6. Euer. Reid. Belg. annal. lib. 10.

Bolduc.

Mauritius Comes Gertrudisbergam obſidere cogitat.

Gertrudisbergæ ſitus.

ptus est, & quasi clauis vtriusque Prouinciæ. Hinc vetus illa inter Brabantiæ Duces, Hollandiæque Comites de ipsius iure lis, atque contentio: & concipi solitum ab vtrisque principatus initio iusiurandum: à possidentibus Oppidum retinendi, ab alteris recuperandi. Alluitur ad Septentriones, non tam à duobus fluvijs Mosa, & Vahali in vnum lateque patentem alueum confluentibus; quàm velut à quodam sinu maris, quem Meruam vocant: in eumque se euoluens Donga fluuius, & ipse nauium patiens, Gertrudisbergam ab ortu Solis prælabitur. His adeò circùm aquis munita, aliisque circumiecto in agro identidem stagnantibus, redditur quà penitus inaccessa, quà perdifficilis aditu, vbique solo destituta. Quare opus habent Incolæ ad vltro citroque commeandum, aduectâ aliunde terrâ, erigere aliquos aggeres, ac firmare. Nec minùs manu, quàm naturâ munitum Oppidum, parum erat instructum defensoribus: cum eiusmodi loca nonnisi magno bellicarum rerum apparatu expugnari possint; qui necessariò palàm factus spatium præbet, eadem submissis etiam copijs communiendi. At non id præbuit pro sua sagacitate Mauritius: qui modico cum exercitu properandum ratus, atque à lento Mansfeldij Gubernatoris ingenio securior; id quoque habuit ad rem benè gerendam subsidij, quòd antè annos quatuor eumdem locum obsederat, eiusque situm omnem probè callebat.

1593. *Lud. Guicciardin.*

Castrorum dispositio.

Igitur, vt Oppidum vndique oppugnaret; quà continentem insidet, varias Militum stationes disposuit: in aquis verò paratam nauigiorum seriem explicauit. Militibus ad Solis occidentis latus collocatis præfecit Henricum Fridericum suum fratrem cum Georgio Eberhardo Solmensi Comite, alijsque præcipuis Ductoribus: ad Orientis, Philippum Comitem Hoënloium, Brederodium, Locherum, qui prope duos pagos Ramsdoncam, & Osterhoutum, ad vtramque Dongæ ripam castra locauerant. Ipse cum lectissimâ manu propior Oppido constitit ad Meridiem. Primus Hoënloij labor fuit propugnaculo potiri, cui nomen à vicino pago Stellhouio: quodque aggeri maiori impositum erat, secundum Dongam deferenti Gertrudisbergam. Extructum id fuerat ad minoris bombardæ iactum eam prope, Sapienti Parmensis Alexandri consilio: vt viam ad Oppidum aquis terrâque custodiret. Tutabantur propugnaculum Burgundiones: ac diu Hollandis oppugnantibus obstiterunt. At vbi viderunt, hostes in exigua fluminis Insula propugnaculum alterum erexisse, ex eoque suum quatere vehementer; animos desponderunt: & salua corpora, arma, ac supellectilem pacti,

Quartieri.

Gaspar Ens, Campana, Carnerus. Hollach.

Bentiuolus, Fam. Dec. 2. lib. 10. Gaspar Ens. Iulius Cæs. Buleng. hist. lib. 9.

Propugnaculum capitur.

1593. pacti, deditionem fecere; non tamen fine aliquâ ignauiæ notâ, pœnâque à Varambonio Marchione, sub quo militabant, inflictâ.

INGENTES addidit animos Obsessoribus munimenti eius expugnatio, vertentibus tantum hostis præsidium in vsum suum. Nullâ igitur interiectâ morâ, duobus amnem pontibus coniunxerunt: altero, quà is amplior erat, è nauibus connexis; altero ex earumdem malis atque antennis, quà erat angustior: vt per eos promptior esset ab Hoënloij castris ad Nassauiana, atque ab his ad illa profectio. Quò verò tutiores essent ab hoste extrinsecùs veniente exercitus vniuersi stationes; ab eodem Dongâ ad Meruam ingentem duxere fossam, quæ transuersum aggerem intersecans, ac totum occupans terræ spatium, Obsessos simul, atque Obsessores concludebat. Spatio denique ferè bimestri, quo distulere subsidium Regij Duces, commodum interuallum Mauritio præbuere, ita eam obsidionem adornandi, vt inter eius temporis celeberrimas haberetur; ipsiusque existimationem longè amplificaret. Quatuor is munimentis sua Castra obuallarat, eaque singula binis maioribus tormentis, iustoque numero minora displodentium instruxerat, tanto interiecto spatio, vt defendere se mutuò possent. Vallum adiecit è duplici ordine sudium, quæ ferreis in summo cuspidibus armabantur. Quà verò spectabant Oppidum Castra, aggerem præstruxit bis mille passuum longitudine, ad Hoënloij stationes productum. Neque minùs munita Henrici Friderici Castra erant: quippe quæ situs ipse malè peruius, & alluens Merua, & tribus tantùm leucis distans Breda satis custodiebant. Quin etiam, veteris militiæ adminiculis renouatis, per circumiectam planitiem disseminati murices ferrei, in quos hostilis Equitatus indueret sese, vbi subsidio aduentaret. In vijs verò passim effossæ cæcæ scrobes, earum instar, quibus insidiantur feris maioribus Venatores. Quà verò fluuiorum vasto concursu alluitur Oppidum, ingenti numero naues, iactis ancoris consistentes, ita funibus erant inuicem colligatæ, vt veluti catenam de se nectere, quà deferendam fluuijs quamlibet opem intercluderent. Ita via omnis ad Obsessos obstructa, non auxilijs modò, verùm etiam literis. Eiusmodi apparatu tam sese tutum æstimasse, imò & sibi placuisse Mauritium ferunt: vt captum Exploratorem hostium, ad suos redire permiserit, & quæcunque vidisset, renunciare. Illud quoque solerti vel Mauritij consilio, vel Ordinum Belgicorum decreto prospectum est: vt ad concilia ndam iustitiæ, clementiæque famam, nulli obnoxiæ detrimento essent

M. Ianson. Merc. Gallo-belg. t. 1. lib. 6.

Castrorum munitio.

Palificate.

Gasper Ens. Triboli.

Fosse coperte.

Villæ

Villæ complures, agrique intra Castrorum limites comprehensi. In ijs non modò tutis esse licebat Agricolis à militari insolentiâ: verùm & colere terram, atque ad spem annonæ præparare, & munia pastionis omnia exercere, & vtriusque fructus æquo pretio militibus ipsis diuendere. Id verò erat hostium animos antè capere, quàm muros.

1593. *Guillelmus Badaurt, Polemog. Anrsic. par. 1. an. 1593. Reidanus. Thuanus.*

Defensorum virtus.

NEQVE tamen militari laude cedendum Obsessoribus putarunt Oppidani, eisque adiuncti Præsidiarij. Erant hi Pedites è Burgundia sexcenti, quadringenti Vallones, bellandi veteres, & laboribus indefessi: quibus præerat Ductor animi magni, fideique præclarus Masierius; Oppidumque regebat pro Vateruidi Domino Gubernatore, in Hispaniam profecto. Is obsidionis initio certiorem de eâ Petrum Ernestum Mansfeldium fecit: simulque significauit, annonam quidem in Oppido ad quinque sex-ve menses suppetere: pyrij verò pulueris, ac reliqui tormentarij instrumenti penuriam esse. Hostibus deinde propiùs accedentibus frequentes militum eruptiones obstitere: varijsque dimicationibus ad centum quinquaginta è strenuissimis Oppugnatoribus ceciderunt: aliquot etiam Præfectis militum captiuis abductis. Nec minoribus animis cœpta opera disturbare: sua verò munimenta vel infirma roborare, vel diruta restituere: nullam denique partem omittere generosæ defensionis. Hostis quippe ex eo, quod tam opportunè, quàm feliciter occuparat, propugnaculo Oppidum continentibus bombardarum ictibus quatiebat; vnàque è lateribus alijs, atque è Nauibus illis catenatis frequenter tormenta displodebantur. Non his tamen terroribus, ac periculis concussi cedebant animis Oppidani: quos tum imperio prudenti, tum forti exemplo Masierius erigebat. Verùm tam singulare Gertrudisbergę pręsidium breui inopinatus belli casus (an potius pręparatus hostilis dolus?) eripuit.

Bentiuolus.

Gertrudisbergæ Præfecti nex.

TVRRIS assurgebat in Oppido cæteras ædes supereminens, Templo adiecta: è quâ velut è speculâ circumiacentes campos, hostiumque Castra longè latèque prospectare soliti erant Obsessi. Id vbi à quibusdam captiuis cognouit Hoënloius; in eam turrim dirigi è tormentis aliqua iussit. Mox inusitatos, inconditosque clamores totis præcepit Castris excitari. Quibus auditis Obsessi, quod auidè præstolabantur, aduenisse subsidium; hostemque inuadendo eos commouisse tumultus, sibi facilè persuaserunt: vti frequenter solet credula spes humanas mentes eludere. Itaque statim, ad rem de visu internoscendam, turrim ascendunt, ac præ cæteris Masierius Præfectus. Tum Hoënloius admoueri tormentis ignem iussit; quæ displosa Masierium ipsum,

1593. ipſum, vnáque Sacerdotem, & Signiferum percuſſos proſtrauere. Suffectus illi fuit in præfectura Geſantius Ductorum antiquiſſimus, & magnæ inter omnes exiſtimationis.

Mansfeldii mora in mittendo ſubſidio.

MANSFELDIVS interea Belgij Gubernator, cum Gertrudisbergam obſidione liberare meditaretur, regias ad id vires imbecillas, ob expeditionem Gallicam, animaduertit. Vt ergo nouas, ac pares operi copias conflaret, ſpatio temporis erat opus. Iuſſerat illico in Germaniâ, Lotharingiâ, Burgundiâ militem ſcribi, & Vallones, ac Belgas centuriari. Nec minore conſilio pecuniæ vim, ac bellicum ad rem idoneum inſtrumentum præparabat. Quamquam (vt in periculis tardum videtur, quicquid præceps non eſt) erant Bruxellis, Antuerpiæ, cæteriſque in Vrbibus Belgij, qui moram illam Mansfeldij carperent; arguerentque; quòd ſpatium hoſti daret ſe validiſſimè muniendi: quòdque tam opportunum Oppidum occupari ab eodem ſineret, extra ſpem recuperandi. *Potuiſſe*, aiebant, *ad primum obſidionis nuncium, ſubſidium quamuis modicum immitti, quod apertum tueretur aditum ſubſequuturis; ſi præſertim propugnaculum alterum adderetur, ac præſidia ſupplementis roborarentur. Quibus obicibus dum primi ſuſtinerentur impetus hoſtium, licuiſſe maiores militiæ neruos, imò iuſtum exercitum ad ſoluendam obſidionem adducere. Neque expectandum fuiſſe, dum ita viæ omnes inſiderentur, vt promptum eſſet paucis plurimos ab ingreſſu arcere.* Has querimonias non Belgæ ſolùm, ſed etiam Hiſpani iaciebant, ſubſidij tarditatem acriter incuſantes.

Ab aliis accuſata.

Ab ipſo defenſa.

CVNCTATOR contrà Mansfeldius pro ſe non imprudenter aſſerebat: *Cum tribus tantùm Peditum millibus, Equitibuſque quingentis (quæ tum copiæ ſuppetebant) accurrere Obſeſſis auxilio, non futurum Gertrudisbergæ ſaluti: ſed & eam, & auxiliares in manus hoſtium præcipites daturum. Tunc id ſubſidij ſatis eſſe potuiſſe, cùm primùm appulit hoſtis. At quando eiuſmodi appulſus ſerò renunciatus fuit; ſerum etiam id eſſe. Quare opportunius videri: ex eis copijs, quas è Galliæ finibus Carolus filius reduceret; ex alijs, quas ſuppeditarent longinquiora præſidia, quaſque Lotharingia tranſmitteret, bello Argentoratenſi defunctas; & ex pluribus vndique coactis tantam Exercitus molem aduersùs hoſtem mouere, vt citra dubitationem, aut periculum, obſidione deturbaretur.* Interea tamen Varambonio Marchioni mandauit, vt cum aliquot centurijs Turnohuti conſiſteret, vbi luſtrandus erat Exercitus vniuerſus: atque illinc excurſiones compeſceret, quæ Bredâ, Bergâ ad Zomam, & Hulſto frequentes fiebant, cum haud leui finitimarum Gentium detrimento.

Cõuentus ab eodem Antuerpiam euocatus.

1593.

Maivs iam appetebat mensis; cùm Petrus Ernestus Bruxellis Antuerpiam se contulit, auxilijs euocandis percommodam Vrbem. Eòdem triduo post Fontanus Comes conuenit. Habitus ibi de re præsenti Ducum, Principumque Senatus. Alij consuetas suadere militiæ artes, vt hostium soluatur obsidio, hostilem locum aliquem obsidendi; hortante quemque naturâ, vt omittat aliena, ne amittat sua. Breda præ cæteris eligitur, vt quæ maximè Mauritium abstractura, cui erat, non Fœderatorum nomine commendata, sed in patrimonium hæreditario iure deuoluta. *Neque difficilem eius,* aiebant, *expugnationem fore: quando vires hostium omnes ad obsidionem Gertrudisbergæ traducta. Necessarium verò consilium diuerticulum illud moliendi. Nam rectà contra hostem tendere, eiusque Castra ab obsidione summouere velle, temerarium, ac vanum esse; cùm ea tam validè munita forent vndique, vt spem prorsus omnem, atque animos adimerent inuadentibus.*

In quo alii censent arma diuertenda.

Alii subsidium Obsessis mittendum.

Alijs contrà non deerant, quæ aduersùs eam sententiam obiectarent. *In obsidione tantos Hostium fuisse progressus, vt ab eâ recedere nullâ ratione velint, aut debeant. Immo si obsessam audiant Bredam, tantò maiorem facturos vim ad Gertrudisbergam celeriùs expugnandam, vt eâ captâ, quamprimum ad Bredæ subsidium conuertantur. Vtrique hostium victoria se viam facturos, si Gertrudisbergæ succurrere morentur. Neque ita facilem Bredæ oppugnationem æstimandam: quam vbi recuperauerat hostis, magis in dies, magisque munierat. Regias, quæ tùm suppeterent, vires haud esse operi tanto pares. Eas verò inter Bredana præsidia, & hostilem Exercitum obsidentem medias, vtrisque armis interceptas obijcere, vti periculosum, ità temerarium videri. Quare tutissimum esse consilium, opportuna subsidia Gertrudisbergam adducere: quæ licet optato successu fraudarentur; minus id mali futurum, quàm alteram insistendo viam, Bredâ non potiri, & Gertrudisbergam amittere: ac geminatam bis facere iacturam existimationis, & ditionis.* Hæc demum in eo Senatu bellico vicit sententia. Quamquam vt Hostium artibus artes reponerent, & quicquid eorum possent ab obsidione distraherent; Bredam se obsessuros, vulgari voluerunt. Inde Mansfeldius, ad copias recognoscendas, Turnhoutum accessit: quod maximum, ac frequentissimum Brabantiæ municipium vnius ferè itinere diei hinc Antuerpiâ distat, illinc Gertrudisbergâ. Conuenit huc Exercitus vniuersus, qui octo millia Peditum, Equitum bis mille & quingentos haud superabat; militibus quippe magnam partem à Mansfeldio per varia loca distributis, quibus paulò antè ab hostili Exercitu timebatur. Hîc rursus in bellico Senatu disceptatum: qua parte in Obsesso.

Posterioribus cõsentitur.

Turnhouti lustratur Exercitus.

1593. Obſeſſores irrumpendum. Atque ex ijs, quæ de caſtris hoſtium erant explorata, decretum, vt Stellhouius pagus eis proximus ab vniuerſo Exercitu inſideretur. Inde hoſtibus inuadendis futurum aditum opportuniorem.

Columba literas gerens ab Obſeſſoribus capitur, & doloſè dimittitur.

SED antequam eò copiæ traducerentur, res accidit antiquæ memoriæ obſidionibus vſitata, in hac etiam renouata: verùm exitu Obſeſſoribus, quàm Obſeſſis feliciore. Dimiſſa fuerat à Mansfeldianis columba Gertrudisbergam versùs, vnde facilè deportata; cum literis è collo ſuſpenſis: quibus bonam ſpem concipere iubebantur obſeſſi, atque in regiâ fide conſtantes perſiſtere: mox adfutura ſubſidia, quæ ipſos obſidione liberarent. Hanc auem Mauritiana Caſtra præteruolantem, vel ingenti excitato clamore, atque barritu, vel alijs artibus in terram delabi coëgere Obſeſſores. Capta extemplò ad Mauritium defertur. Abripiuntur literæ: apertæ recitantur. Alias pro eis ſupponi Mauritius iubet: quibus contraria planè ſententia continebatur. *Subſidij nullam ſpem in proximo eſſe. Regias vires, aut in Galliam abductas, aut per præſidia diſtributas, nec facilè, nec breui cogi poſſe. Conſulerent ipſi maturè rebus ſuis.* Ita liberè ad Vrbem dimiſſa volucris internuncia eſt.

Mansfeldius caſtra ponit ad Stellhouium pagum.

AT Mansfeldius Turnhouto diſceſſit Maio ad finem vergente: nec multò poſt Bruxellas Fontanus Comes ad ſupplementa militum cogenda reuerſus eſt. Tribus Caſtris Exercitus Stellhouium deuenit: ibique cùm conſtitiſſet, direxit Mansfeldius acies, ac ſi conſerendæ illico eſſent manus. Exploratores quoque ad loca internoſcenda præmiſit. Neque verò minore diligentia Mauritius cum lectiſſimis militum ad hoſtium acies circumſpectandas prodijt è Caſtris; luſtratiſque omnibus, in eadem ſe recepit.

Leuiter cum hoſte dimicat.

MANSFELDIVS ad Caſtra Mauritij propiùs Exercitum admouit. Eminebat ex eâ parte maximus agger, quem immani lorica Mauritius obuallarat. Eum expugnare Mansfeldius cum ſuis aggreſſus; poſt multum laboris, non hoſte modò, ſed & aquâ interiectâ obſtante, tandem expugnauit. Ægrè tulit Mauritius eam non tam loci, qui parui erat momenti, quàm exiſtimationis ſub ipſum initium prælij iacturam. Igitur immiſſis ſtatim militibus recuperauit: ac nouo eum muniens aſtu ſubfodi cuniculum iuſſit, ac nitrato puluere compleri. Mox Hiſpanis eundem iterum inuadentibus, recedentes Hoſtes ignem ſubiecerunt. Verùm aut præfeſtinata ſuccenſio, aut aliâ viâ impetus interuerſus, irritum id machinamentum fecit. Quare vno tantum è Mansfeldianis abſumpto, cęteri alacriores progreſſi ſunt, opem

ferentibus duobus hastatorum agminibus, atque vno Equitum sclopetis instructorum. Hic leue prælium excitatum, in quo tres tantùm è Regijs, munimentorum tormentis icti, ceciderunt: Hostium verò supra viginti cæsi, multi capti. Dies aliquot eum situm sine fructu Mansfeldiana Castra tenuerunt. Exinde Osterhoutum versus mota sunt haud maiore profectu.

1593.

Osterhoutum corpus promouet.

IAM verò pecuniâ laborabant, vno duntaxat stipendio persoluto; & commeatibus, vastatis circum regionibus, omnemque viam intercludente Mauritio. Quamobrem in concilium rursus itur ab Regijs: iterumque decernitur, ad Hoenloij castra propè pagum Vaesbechium exercitum admouere. Factum id non sine ingenti ab Hostibus periculo. Vix enim ibi Castra locauerant, cùm ex inopinato postremas acies octingenti Equites à tergo adoriuntur; qui eo consilio paulò antè Bredâ eruperant. Primus ille, atque improuisus impetus nonnihil terroris, & confusionis Mansfeldianis iniecit. At mox resumptis animis, Ordinibusque coniunctis, repulsi hostes, ac non sine cæde aliquorum fugati.

Contra Regios Bredana eruptio.

TENTATVM est ab hac parte subsidium in Oppidum immittere. Quod vt faciliùs fieret; ad Fontanum scripsit Mansfeldius: *Extremum esse Gertrudisbergæ amittendæ periculum, nisi maturatè illi, validèque subueniatur. Hostium Castra munitissima. Ad Oppidum obsidione liberandum maioribus aliquot opus esse tormentis cum bellico apparatu: eorum verò copiam in Arce Antuerpianâ suppetere.* At Fontanus Comes ne præcipuam illam Belgij totius Arcem ita exarmaret: (an quia rebus propè desperatis, serum, ac proinde vanum id censebat auxilij?) duas tantùm bombardas cum exiguo instrumento transmisit. Quod cum molestissimè Mansfeldius tulisset, impendentem Oppidi iacturam prospiciens, eius culpam ab se transferre conatus est in Fontanum. Et ijs quidem duobus tormentis tantum exhibuisse negotij fertur munimentis Hollandicis: vt si iustus eorum numerus suppeditasset, solutum iri obsidionem sperare licuerit.

Subsidium tenue mittitur à Comite Fontano.

Haræus anno 1593.

AT ille eam interea toto pectore incumbens, neruosque contendens omnes Mauritius, in arctas redegerat angustias Oppidanos. Assiduis ab omni parte bombardarum displosionibus terrorem Ciuibus, ruinam ædibus continenter inuehebat. Maximi Templi Turris, ex qua vel castra, vel naues peti tormentis poterant, magnam partem diruta, ac deturbata. Splendidum quoque palatium, à Guillelmo Mauritij Parente fabricatum, eâdem impressione disiectum; ne suis quidem rebus parcente militari furore. Et iam ad iustam oppugnationem se accingebat

Mauritius obsidionem vrget.

Exer-

1593. Exercitus, aggeribus ad fossam vsque deductis: cum ei promptiùs, ac feliciùs admouendæ profuit admodum transfugæ cuiusdam proditio.

Eam adiuuat trãsfugæ proditio.

Is principio militauerat Hollandis; tum in omnem fortunam versatilis, inter Gertrudisbergæ Præsidiarios se receperat. Mox vbi prospexit, ad Obsessores inclinare victoriam, ad eosdem denuo transfugere non dubitauit. Igitur duodecimo Calendas Iulij mœnibus elapsus ad castra, Mauritio sisti postulauit. Eum de pytij pulueris in Oppido penuriâ certiorem fecit: docuit, quâ parte debiliores muri impressionem ægriùs sustinerent: neque subticuit, si circumiecta mœnibus fossa exinaniretur aquis, certissimam illac fore ad oppugnandum viam. Profecit alieno scelere Mauritiana solertia, & homini à plerisque veterum commilitonum agnito, quamquam bis infido, præstans fidem; suffodi profundissimè terram iussit ad imum vsque fossæ. Eo diuerticulo deriuatis in aliam partem aquis, vacuus relictus est alueus. Inde aptissimum ictibus locum transfugâ designante, eò directa tormenta: dieque Diui Ioannis Baptistæ natalitio frequentissimâ bombardarum displosione propugnaculi latus tam amplè perfossum, vt illac pateret aditus equitanti. Quare postero mane paratæ ad oppugnationem copiæ continenter, obstinatèque impressionem fecere in propugnaculum; donec id tandem occuparunt. At Oppidani, qui superiori nocte commodum receptum cum validis ad latera munimentis adstruxerant; indidem eos strenuissimè propulsarunt; non tamen sine ingenti vtrinque cæde, & quod caput vni partium calamitatis fuit, ipsius Gesantij Gubernatoris nece. Quo casu vehementer perculsi Gertrudisbergæ defensores, duorumque intra paucos dies insignium Præfectorum iacturâ perturbati: cumque subsidia viderent adeo propinqua, tam diuturnâ, variâque molitione, nihil tamen vel ad soluendum obsidium, vel ad opem aliquam inuehendam profecisse; desperate de suis rebus, ac de paciscendo cum hoste cogitare cœperunt. Quamquàm non desunt qui celeratæ deditionis causam referant in hunc modum.

Alter Gubernator occiditur.

Festinatæ deditionis causæ.

Caspar Ens Annal. tom. 3. lib. 3. Euerar. Reidan. lib. 10.

Ad Oppidi propugnaculum, quod septentrionem spectabat, suos aggeres, & munimenta perduxerant Obsessores. Vbi cùm tres Centuriones excubarent, magnum intra mœnia silentium animaduertunt: simulque non difficilem à parte quâdam ascensum ad propugnaculum vident. Igitur duobus accersitis Sclopetarijs, totidemque clypeis, & securibus instructis; extremo propugnaculo ligneum ponticulum admouent, ac per eum ingrediuntur, quid intus ageretur, exploraturi. Accurrunt exemplò

templô Vigiles hostium:conseritur inter vtrosque pugna. Centuriones in auxilium euocant suos, qui magno numero affusi propugnatores inuadunt, cædunt, in Oppidum è propugnaculo repellunt. Oppidani iam Hostes intra mœnia suspicientes, ac de suis rebus actum rati, postulant in colloquium venire cum Obsessoribus. Tympanum idcirco pulsant: sed horribili tormentorum fragore rumor eius obtunditur. Neque signum dare oculis licebat, ob offusum vndique fumum. Quo tandem euanescente, pileis cuspidi hastarum impositis deditionem hosti pollicentur. Re compertâ Mauritius tres ad se mitti obsides in castra iubet. Missi Centuriones duarum tantùm horarum poscunt inducias, intra quas à Mansfeldio consensum deditionis impetrent. Negatum id à Mauritio. Contrà verò concessum Præsidiarijs, vt incolumes exirent cum armis, atque impedimentis, & quinquaginta plaustris ad ægros, aliaque subuehenda; additâ Equitum turmâ, quæ in tutum deduceret. Honestas hasce conditiones & Militum virtus mercabatur, ab ipsomet Hoste Mauritio, eiusque Militiæ Præfectis laudata: & præsens tempus exegit, cum à vicinitate subsidiorum periculum esset in morâ. Quamobrem septimo Calendas Iulij cum tribus Ductoribus Milites ferè sexcenti Oppido egressi, atque ad regia Castra profecti. Tres è Præsidiarijs erant, qui participes fuisse dicebantur Gertrudisbergæ Parmensi Duci venditæ, proditæ-ve anno supra millesimum quingentesimum octogesimo octauo. Hi Commilitonum in oculis suspendio puniti. Eorum vnus sibi metuens, in plaustrum abdiderat sese, sarcinisque obtexerat, vxore insuper ad rem magis dissimulandam confidente. Accidit vt miles, consuetâ eius generis hominum petulantiâ, fœminæ deterrendæ, clauum rotæ præfixum adimeret. Elapsâ rotâ inclinatur plaustrum, atque euertitur: effusisque in terram cum fœminâ sarcinis, sub eis latens miles detegitur, comprehenditur, necatur. Fassus præterea ipsemet est, multis in obsidione periculis vltro sese obiecisse, nempe vt supremum vitaret: sed ab omnibus saluum se fuisse, ne saluus esset.

1593.

Quibus conditionibus facta.

Veteres Oppidi Proditores suspensi.

Vnus abditi fortuita deprehensio.

VICTOR Mauritius Gertrudisbergam ingreditur: eam vniuersam recognoscit: vbicumque opus esse animaduertit, munit: Fridericum Henricum fratrem eidem præficit cum iusto militum Præsidio. Tùm solo æquatis aggeribus extra Oppidum erectis, castrorumque suorum munimentis, ne contra Hostem extructa Hosti prodessent; inde discessit: per loca circumiecta distribuit militem, in omnem Regiorum motum intentus, ac paratus.

SVB ipsam Gertrudisbergæ deditionem adfuere, non ad Oppidi

1593. pidi subsidium, sed ad iacturæ dolorem exulcerandum, à Fontano transmissi Pedites mille & ducenti, simulque duodecim Equitum turmæ, & quatuor maiora tormenta, quantumque satis esset instrumenti bellici, pecuniæ, commeatus. Ad seras suppetias ingemuit cum Exercitu Mansfeldius, eo quoque præsenti doctus malo: quanti sit in bello celeritas. Ne-ve frustra esset illud à se postulatum, & non sine aliorum locorum dispendio missum subsidium: vtque vnius loci iacturam alterius, quamuis imparis, adeptione compensaret; in Arcem nomine Crepicordium arma conuertit. Ad ripam Disæ fluminis, vbi in Mosam euoluitur, Arx ea sita est. Ante annos tres à Mauritio capta, tum Finitimis omnibus, tum præsertim Syluaducensibus infestissima erat. Quare ad eam capiendam quadringentos primùm Equites, Peditesque octingentos Mansfeldius misit.

Serum à Fontano subsidium.

Crepicordium ab Regijs inuaditur.

Eo consilio vicinis Gorcomiensibus patefacto, Disæ fluminis alueum ita obstruxerunt, vt impedito cursu, circumiacentem Crepicordio regionem aquæ inundarent. Verùm easdem animosè transuadando Regij milites ad Arcem tandem enisi sunt. Sequutus cum reliquis copijs Mansfeldius excelsiora loca, & ab aquis tutiora occupauit.

At non segnis ad Hostium cœpta disturbanda Mauritius, & Philippum Nassauium cum Equitibus quingentis præmisit; & mox ipse cum vniuerso Exercitu Mosâ transmissâ, ingressusque Crepicordium; inde Regia castra, nondum per angustias temporis munita, crebris tormentorum ictibus aggressus est infestare. Neque idcirco cesserunt Regij: sed acriùs insistentes, vnâ, atque alterâ oppugnatione Arcem inuaserant: cæde vtrinque factâ, Philippum ipsum, & Hoënloium sauciarant: & propè iam erat, vt Crepicordium expugnarent: cum repentè excrescentibus in ingentem altitudinem aquis (quæ promptissima sunt munimenta Belgarum) à generoso conatu desistere coacti sunt; eâ se gloriâ consolantes, quod non ab Hominibus victi, sed ab Elementis. Hac spe Syluæ-Ducis vexatione liberandæ deiectus Mansfeldius; aliam eius tutandæ viam tentauit, præsidiarios nempe in eâ Vrbe Milites relinquendo. At suspicati Syluaducenses id Præsidij non tam aduersùs hostes, quàm contra suam libertatem impositum iri; quemadmodum antea sæpiùs, id omnino recusarunt. Quare Mansfeldius improsperos ab omni parte conspiciens conatus eo tempore suos; remigrandum sibi Bruxellas duxit ad commissam ab Rege administrationem Belgij; ætate præsertim octogenariâ pacatis regendi artibus, quàm bellicis laboribus opportuniore.

A Mauritio defenditur.

Re infecta Mansfeldius Bruxellas redit.

DE

DE BELLO BELGICO
LIBRI SECVNDI
SVMMA.

Pontificius in Gallia Legatus fauere creditur Hiſpanis. Hi proponunt Iſabellam ſui Regis filiam in Galliæ Reginam. Mænij Ducis ab ijſdem diſſenſio. Eius oratio in Comitijs Pariſienſibus. Henrici Sectatorum literæ ad eundem Conuentum. De illis diuerſi ſenſus. Noui ex Hiſpania Regis Adminiſtri electionem Iſabellæ vrgent, vario ſucceſſu. Franciſcus Verdugus Friſiæ Gubernator, & Fridericus Thſerembergius aliquot Oppidis potiuntur. Surenenſis Congreſſus inter Galliæ Fœderatos, & Catholicos Henrici Aſſeclas. Agitur in Pariſienſi Conuentu de Iſabellæ ſponſo, futuro Rege. Henricus ob varia incitamenta decernit ad Fidem Catholicam reuerti. In Belgio milites primùm Hiſpani, deinde Itali diuerſis de cauſis tumultuantur. Solmenſis Comes Flandriæ partem infeſtat. Hiſpani Hollandos Equites ſuperant. Mauritius Brugas occupare incaſſum molitur. Hollandis à mari magna pernicies.

DE BELLO BELGICO LIBER SECVNDVS.

1593.

DVM fortunâ secundiore Fœderatis, quàm Regijs pugnatur in Belgio; non minore animorum, ac Partium contentione ab Galliæ Fœderatis, ab Henrici Fautoribus, ab Hispani Regis Administris in Comitijs Parisiensibus decertatur. Pontificius ipse Legatus, quem, tanquam communis Parentis Internuncium, agere decebat Arbitrum, ac Sequestrem, transisse credebatur in Partes. Philippus Sega Cardinalis, Placentinus Episcopus is erat (vti dictum superiùs) qui tàm frequentibus colloquijs, quàm totâ rei tractatione in suspicionem venerat, ante Religionis, ac Regni salutem Hispanas rationes habendi. De quo certior factus à Veneto præsertim Senatu Clemens Pontifex, per Innocentium Maluasiam, Exercitûs Pontificij Commissarium, Legato vehementer iniunxit, vt præ omnibus ab Regis electione caueret, quæ monstrosi quid præ se ferret, neque cunctorum consensu probaretur, & noua excitatura esset bella superioribus tristiora. Non tamen idcirco destitit ab incœpto Legatus; vel non planè perceptâ mente Pontificis, tamquam oraculi ambagibus inuolutâ; vel ita ratus Religionis emolumenta cum Hispanicis coniuncta, vt sine his illa consequi non liceret. Eæ quoque causæ adijciuntur: Regis Catholici gratia ad priuatas vtilitates penitus aucupanda: & cum Henrico susceptæ simultates ob illa, quæ aduersùs ipsum in eius Conuentibus fuerant declarata.

In Parisiensibus Comitiis Legatus Pôtificis suspectus de propensione in Hispanos.

Catherinus lib. 13.

Monetur à Pontifice.

CLEMENS namque Pontifex Regem adhuc in Hæresi persistentem, eiusque Sectatores nouo feriendos anathemate iudicans; id continentia diplomata promulganda iam transmiserat ad Legatum. Quæ cum is pro suo munere vulganda curasset; re compertâ Henricus vehementer commotus, per Administrum suum cogi Concilium Catalauni iussit. In eo palam per eumdem conqueri de palmari, quam sibi illatam asserebat, iniuriâ. *Pontificem ab ijs contra se incitatum, qui iampridem ad Gallicum occupandum regnum inhiarent: neque suis rapinis, & cædibus in eo exhauriendo satiati, Hispanum quoque infensissimum hostem, in*

Henrici Regis querela.

præda

præda partem aduocassent. Rebelli in suum Principem, ac patriam conspirationi Religionis, ac Sacri fœderis speciosum nomen obtendi: anathemata identidem, ac diplomata Pontificia, veluti lapsa cælo ancilia, postulari. Sed iam proposita noui Regis electione satis eorum mentem aperiri, magis cupidam regni, quam regno prouidam. Artibus hisce improbis, atque ad euertendum funditus Regnum accommodatis veros omnes Gallos amantes Patriæ, Principique fideles, ire obuiam tempestiuè debere: ac sanguinem priùs, vitamque generosè profundere; quàm pati, florentissimum Regnum vel Ciuium dissensionibus lacerari, vel hostium iugo sæuissimo substerni. Querelæ pronis auribus auditæ permouere Concilium, vt prouocaret à Pontificiâ sententiâ: simulque promulgatorem eius Legatum ad suam causam defendendam citaret. Neque à pœnis abstinuit in eos intentandis, qui Pontificis ea diplomata circumferrent, aut spargerent in vulgus, vel apud se retinerent. Longè verò minaciùs interdixit, ne quis indictis noui Regis electioni Comitijs interesset. Id quicumque auderet, ceu læsæ Maiestatis reum, & communis tranquillitatis perturbatorem, & nefarium Patriæ desertorem, ac proditorem, acerbissimè punitum iri. Hinc asperiora Legati in Henricum odia commota, Hispanorum rationibus haud leue pondus addebant.

1593.

Hispanorum consilia, vt Infans Isabella Galliæ Regina eligeretur.

Svis hi tractationibus non eam vtriusque Regni coniunctionem, quæ ne somnianti quidem obuersaretur: sed Isabellæ Infantis electionem vrgebant, quam eòdem recidere propè norant. Vnus ea tempestate Parisijs erat ex Hispanicis Administris Didacus Ibarra, qui spem id assequendi omnem in Regis Hispani viribus, opibus, auctoritate collocarat. Expectabatur in dies ex Hispania missus, reique administrandæ præstitutus Laurentius Suarius de Figheroa Feriæ Dux: eique Comes adiunctus consultissimus Iuris Innicus de Mendozza, qui iura Infantis produceret, ac tueretur. Ad Belgij verò fines conuenerat eosdem, vt de rerum statu doceret, Ioannes Baptista Taxius. Qui cum alijs è Regio Belgij Senatu ingenij Gallici gnaris, resque inspicientibus è proximo, persuadere contendit; vt validæ copiæ Galliam penetrarent, & cum eis destinatus Ductor Carolus Comes Mansfeldius Lutetiam accederet: ingenti simul opum vi Mænij Ducis, Principum aliorum, ac præcipui cuiusque Viri à Prouincijs ad Conuentum delegati voluntates deuincirentur: Lotharingis quoque Fœderis principatum obtinentibus amplissimæ conditiones offerrentur cum spe minimè dubiâ successûs. Hac demum, neque aliâ viâ Isabellæ proponendam electionem optatum exitum habituram. Opus quippe tam

arduum

1593. arduum peragi non posse, nisi Militum, opumque profusione Rex Aduersarius opprimeretur. Verùm ab Hispania recentes Administri pecuniæ, copiarumque plus multò promittendum censebant, quam numerandum Lotharingiæ Principibus: quippe inter angustias vtriusque subsidij Mænium, eiusque Partes obstrictas, quocumque vellent Hispani, impelli posse faciliùs: Hispaniæ quoque res, & conditio temporum exigebant, vt auxiliaribus copijs, sumptibusque parceretur. Nam & anteactis tot prælijs exhaustum Regium ærarium erat: & recentes quidam Aragoniæ motus promptum ab vtraque ope remedium postulabant. Neque minùs id persuadebant Belgicæ ditionis necessitates, quæ Parmensis ex obitu maiores, plus etiam deposcebant præsentis, validique auxilij. Quare non tam copiâ militum, aut pecuniæ, quam artibus, ac pollicitationibus, Legatique Pontificij operâ sociali, suis se potituros votis sperabant. At Mænij Ducis animo alia omnia voluebantur. Certus enim, inuito se nihil eos consequi posse; eorum postulatis nequaquam assentiri decreuerat; à quibus parum suæ causæ faueri, imò Regnum sibi eripi videbat. Eius tamen spiritus ingentes in diuersa iactabant obortæ regnandi causâ cum cæteris è sua gente dissensiones; alijs alio nominibus ad tam amplum Imperium enitente. Varijs ergo, qui contra sua consilia struerentur, obicibus varias aggressus est machinas architectari.

Mænij mens alia.

INTEREA præfinitum auspicando Conuentui celeberrimo tempus aduenerat, quem vltrà prolatari vetabant præsentissimæ necessitates, & coacta Lutetiæ omnium Ordinum ex vniuersa penè Gallia lectissima multitudo. Dies erat sextus ante Calendas Februarij; cum Præsules, Principes, & Prouinciarum, atque Vrbium Delegati in aulam Regij Palatij, cui Luparæ nomen, cum summa Galliæ omnis expectatione conuenere. Mænius Dux ante alios, velut in Regno administrando Regis obtinens locum, regio more sub vmbella consedit. Ac primus omnium frequentissimum Senatum in hanc ferè sententiam fertur allocutus.

Conuentus Parisiensis initium.

Illuxit aliquando tandem optatissima hæc dies, bonorum omnium votis tamdiu suspirata; quæ tot Gallia calamitatibus præsens quærat remedium, & salutare lumen dubijs rebus affundat. Hæc enim vna nos causa huc conuocauit, hæc tot superare compulit difficultates, quæ optimo publico indictis iampridem Comitijs obstruebantur. Magnas quippe spes ferè semper obices magni retardant. Quibus malis, eòque deterioribus, quòd intestinis, tot annos Gallia nostra vexetur; cassus oculis est, qui non agnouit; humano sensu, qui non deplorauit.

Mænij Ducis oratio.

1593.

Discerptum in partes, ac laceratum florentissimum Regnum, pulcherrimum corpus capite diminutum, conuersum in viscera patriæ ferrum, in suum sanguinem populi sæuientes; omnia tumultibus, periculis, stragibus inuoluta, an-non ab ipsis Inimicorum oculis eliciant lacrymas? Quod verò Christiana pietate imbutis animis dolendum est magis, quo nunc apud nos loco Christiana religio? Vbi maiorum nostrorum in Catholicâ fide, vel sanguinis profusione defendendâ, per omnes memorias temporum celebrata constantia? Vbi erga Romanam, & principem Ecclesiæ Sedem reuerentia singularis? Nimirum pro auitâ Religione iam Hæresis Galliæ sceptrum affectat: & nisi Conuentus hic noster maturè prospiciat; Gallia, quæ præ cæteris Nationibus dici meruit hactenus maximè Christiana, nominabitur in posterum infami appellatione Caluiniana. Et sanè sic eueniet, si qualis nunc est, qualemque se gessit, quoties in sua potestate fuit; Gallici regni potietur Nauarræ Rex Henricus. Vos ergo qui ex vniuersa Gallia delecti, atque huc ad salutem publicam destinati, hoc difficillimo tempore conuenistis, vt regno tumultuanti quietem, Religioni labanti securitatem afferatis; agite per eam, quam debetis pietatem Deo, Patriæ charitatem, curas eò vestras, ac neruos intendite, vt in habendis pluribus pro rei grauitate congressibus eum ex omnibus Regem eligatis, qui vtrique necessitati opportunè consulere & velit, & possit. Vt velit, ex animo sit oportet, constanterque Catholicus, ac vitæ ipsi, nedum Coronæ, Christianæ fidei, Ecclesiæque incolumitatem anteferat. Vt possit, ea præstet virtute, experientiâ, existimatione, quibus non modò reluctantes animos imperio subijciat suo, sed Regni etiam, ac Religionis hostes facilè profliget. Quod vt feliciter consequamur, proprijs cuiusque sepositis vtilitatibus, odio quouis, aut gratiâ procul habitis, vnum spectemus, vnum sequamur Christianæ Religionis, & Regni Gallici bonum.

Hæc Mænij Ducis verba longiore oratione, nec tædij notam euitante, Cardinalis Pelleuæus, Conuentûs Præses Ecclesiasticus excepit. Breuiùs inde atque aptiùs Claudius Senessæus, Delegatus pro Nobilitate; & Honoratus Laurentius pro Populo, perorarunt. His dumtaxat in eo primo Conuentu actis, Senatus dimissus est.

Literæ Catholicorum qui erant apud Regem Henricum.

Per eos dies ex inopinato Tubicen adfuit ad portas Vrbis, ingressumque postulauit; vt Lutetiæ Gubernatori Francisco Auertono Belini Comiti inscriptum literarum fasciculum redderet. Quid verò rerum afferret, passim à pluribus, vti fit, rogatus: Epistolas se ferre respondit ab Catholicis, qui cum Henrico Rege essent, ad Ordines Parisijs coactos datas. Ad Gubernatorem perductus literas reddit. Is easdem extemplo ad Du- cem

Henric. Catherinus lib. 13. Turr. lib. 19. Ant. Herrera hist. Gall. l. 4. c. 17. Campiglia lib. 8. Thuan. lib. 105.

1593. cem Mænium perfert, præ valetudine lecto decumbentem. Dux eas, nisi coram Fœderatis non aperiendas ratus; Pontificium acciri iussit Legatum, Hispanum Oratorem, aliosque primarios Senatûs Gallici Principes. Quibus audientibus, & in nouæ rei expectationem suspenso animo intentis, apertæ, perlectæque literæ fuerunt. Ipsa præferebat inscriptio, à Principibus, Præsulibusque, & Magistratibus Catholicis, qui erant apud Regem, Mænio Duci, alijsque ex eius Familiâ Principibus, & Vrbium aliquot, Populorumque Delegatis, qui Lutetiæ conuenerant; proponi rationem, ac viam assequendi quietem Galliæ tam necessariam ad Catholicæ Religionis, ac Regni conseruationem.

PERSCRIBEBATVR verò: *Vidisse Principes, Præsulesque, qui ab Rege starent, libellum paulò antè à Manio Duce propositum: seque cum ipso sentire; prorogationem belli ruinam simul moliri religionis, ac regni. In eo agnoscendo Rege, quem sibi præfecisset Deus, illique obsequium naturâ debitum deferendo, Religionis tutelam semper se habuisse præ oculis. Ad sui Regis defensionem tunc redditos alacriores, cum introductos in Regnum viderunt exteros, Gallicæ felicitatis, ac nominis apertos hostes. Ingenuos omnes, ac probos Gallos imminentibus malis ire obuiam viribus omnibus debere. Id verò tunc feliciter euenturum, cum eos inter optatissima pax concilietur, quos in suam perniciem tamdiu tenent arma diuulsos. Huic paci qui subseruiant, acclamationibus, plausibusque; qui aduersentur, maledictis, atque execrationibus iustè à Populis exceptum iri. Quòd ad eam incundam Dux Manius eiusque Sectatores Lutetia coacti omnium Ordinum conuentum scriptis euocauerint; vel hoc nomine nil profuturum, quòd eidem habendo locum optarint, quò conuenire non licet ijs, qui aliarum Partium sint. Id verò non restincturum bella, sed vt cùm maximè inflammaturum. Quamobrem Principes, Præsules, Magistratusque Catholicos, qui sunt apud Regem, gnaros idem alijs placiturum Catholicis, qui debitum natiuo Regi obsequium profiteantur; Regis ipsius concessu, Manio Duci, alijsque Lutetiæ congregatis significare his literis voluisse: Si quidem de rationibus ad Religionem Catholicam, Regnumque conseruandum accommodatis, à Viris probitate, iudicioque præstantibus instituti colloquium velint in loco Parisios inter, & Diui Dionysii Oppidum eligendo: Sese pariter suarum Partium lectissimum quemque dicendâ die missuros, vt omnes, quæ felicem ad terminum perducere possint, aperiantur viæ. Quod consilium si renuatur, aliaque rationes ineantur Religioni, Regnoque perniciosa, si ad extrema calamitatum Gallia redigatur; testari se Deum, Hominesque, non sibi, sed alijs vitio vertenda mala inde consequutura.*

Colloquium proponitur in loco vtriq; Partium opportuno.

VT

Mænius, & Villaregius Primi auctores, vt literæ mitterentur.

VT hæ literæ scriberentur, primus auctor fuisse fertur magni vir nominis,& existimationis in Aula Gallica,Nicolaus Villaregius: qui sponte suâ pronus ad ineundam cum Rege pacem, incitatus etiam fuerat ab Duce Mænio, tractationem aliquam affectante, vt eam in suos vsus opportunè traduceret. Igitur ad affinem suum Fleuræum scripsit Villaregius, vt Niuernensem Ducem, aut quempiam è Principibus Regem sectantibus conueniret: quo res essent loco doceret: quàm acriter Isabellæ Infantis electionem promouerent Hispani: quàm prope abesset, vt Dux Mænius, qui nunquam adhuc impetrare potuisset ab Rege reconciliationem cum Ecclesiâ; Hispanorum voluntati obsecundaret, nisi quid obicis maturè opponeretur. Actum esse de Henrici regno,vbi Galliæ Principes,ac Prouinciarum Delegati, qui Parisijs conuenerant, exterorum petitionibus consentirent.Abrumpendam igitur moram omnem, & dum liceret, consilia disturbanda.

Easdem Legatus Pontificis, atque Hispani, vt hæreticas, detestantur.

HAEC à Fleuræo ad Niuernensem,atque etiam ad Gasparem Scombergium Comitem,ab hoc ad Regem perlata,demum euicerunt, vt re priùs in concilio Procerum aliquot deliberatâ, literæ modò memoratæ transmitterentur, vel ad indictos Ordinum congressus interturbandos, vel ad viam reconciliationi Regis aperiendam. Verùm statim atque illæ recitatæ coram Fœderatis fuerunt; Pontificius Legatus, quas inter legendum iras conceperat, dissimulare iam impotens, assurrexit indignabundus; ac non expectato, vt in consilium, ac deliberationem iretur; *eam Epistolam contaminatam hæresi pronunciauit: quæ Regem à Deo Galliæ datum, & cui naturâ deberetur obsequium, afferebat Hæreticum hominem, atque in Hæresim relapsum, ab Ecclesiâ damnatum, & publico anathemate punitum. Adeoque pro Hæreticis habendos, quicunque illius rationem haberent. Neque vllâ omnino responsione dignandam.* Assensere Legato sine cunctatione Pelleuæus Cardinalis,& Hispanus Orator. Obrepebat quippe suspicio, datam eam de industriâ, ad tractationes Comitiorum interrumpendas. Nam si quæ proponebantur ab Regijs, abnuerent Fœderati; tanquam hostes pacis, in odia populorum incurrerent; sin acciperent, & colloquio assentirentur; ad Galliæ regnum via planissima sterneretur Henrico. Mænius Dux,alijque ancipites animi, rei tam dubiæ, ac periculosæ plus dandum maturitatis, ac temporis censuerunt. At Villaregius, & Ianinus submonuere, non vni Mænio Duci literas illas inscriptas, sed conuentui quoque Delegatorum; quòd vel Tubicen ipse palam euulgarat. Quare de ijs in proximo Senatu referendum;

ne

1593. ne Delegati, si principio clam se quidpiam esse deprehenderent; parum agi secum candidè, syncerèque suspicarentur; quod profectò eorum animos abalienaret à cæteris, cum graui causæ publicæ detrimento. Decretum itaque fuit, quantumuis obluctantibus Pontificio, Hispanoque Legatis, vt literę in Conuentu publico recitarentur. Interea verò consulti super hac re doctissimi quique Theologorum, è Sorbonico præsertim Collegio, in eamdem cum Legato venere sententiam; quam in lucem etiam ediderunt: illam de Rege propositionem Hæreticam esse, ac prorsus abolendam.

Idem Theologi sentiunt.

MAENIVS tamen incertus adhuc erat consilij. Siquidem & tractationem cum Regijs exoptabat, & Legati Pontificij, atque Hispanorum animos ab se prorsus auertere metuebat. Post multas denique cum suis initas consultationes, in eam mentem deuenit: vt illius rei capienda in Senatu deliberatio differretur: dum ipse Feriæ Ducem, aliosque cum eo venientes adiret, Caroli que Comitis Mansfeldij, qui præstolabatur ad regni fines, exercitum, acceptaque ab Rege Hispano iussa cognosceret: vt pro tempore, atque opportunitate decerneret. Igitur ex Hispania profectis occurrere statuit: & ipsemet auxiliaribus copijs imperare: nec sinere cum auctoritatis suæ detrimento Guisium Ducem eisdem præfici ab Hispanis, illi manifestò fauentibus. Existimationis quoque incrementum sperabat aliquod armorum progressu: & quod caput erat, pecuniæ vim ab Hispanis exprimere contendebat, quam diuideret Delegatis, vt eos sibi magis obstringeret. Hac deliberatione suis patefactâ, rogauit, vt in agendis se absente conuentibus leuiora quædam tractarentur, electione Regis ad suum reditum reseruatâ. Par enim esse, vt vbi de summâ rerum ageretur; interesset ipse cum Duce Guisio, Legatis Catholici Regis omnibus, cæterisque Fœderatis, quos intrà paucos dies esset ipsemet deducturus. Promissum id à cunctis nullo negotio. Villaregio verò, ac Ianino mandauit in discessu, vt ad cauendas priuatas tractationes inuigilarent. Exinde cum quadringentis Equitibus Suessionem profectus est: vbi Gallicas copias iusserat præstò esse. Eò vbi deuenit, colloquium inijt cum Hispanis Administris, Feriæ Duce, Ioanne Baptista Taxio, & Innico de Mendozza. Hi postularunt, vt de Salicâ lege apud Gallos antiquissimâ derogaretur, quæ succedere in regnum fœminas vetat; ne Regem è Borbonijs Principibus eligerent, qui vel Hæreticus palam esset, vel fautor Hæreticorum. Eâ igitur lege posthabitâ, Isabellam Hispaniæ Infantem Galliæ regno imponerent, eidem debito; cum quia Regem

Catherinus lib. 13. Turturalib. 19.

Manius obuiam it Hispanis Administris aduentantibus.

Eorum postulatū vt Isabella Infans eligatur Galliæ Regina.

extin-

extinctum omnium proximè contingebat, ex Elisabethâ nempe orta sororum primâ: tum quòd Hispani filia Regis esset, qui tam benè de Galliâ meritus foret, ac meriturus in posterum. Quod si iusto vacuum Hærede regnum ab Gallorum suffragijs penderet; viderent ipsi, quanta Principis eius habenda ratio, qui suis commodis, rebusque neglectis, obiectâque non semel in discrimen Belgicâ suâ ditione; vim ingentem pecuniæ, validas copias, suos ipsos Duces à prouincijs periclitantibus euocatos, ad subueniendum redactis in angustias Galliæ Fœderatis transmiserit. Quæ si defuissent subsidia, iam sub Hæretico iugo regnum gemeret maximè Christianum. Amplas quoque pollicitationes adijciebant Hispani. In promptu esse pecuniam, quæ numeraretur: Exercitus qui Galliæ saluti, ac tranquillitati militarent: futura omnia in Mænij Ducis potestate, adeo vt Catholicorum Militum Ductor Carolus ipse Mansfeldius ab eius nutu penderet. Ad extremum obsecrarunt, vt auxiliares eæ copiæ quamprimùm in expeditionem aliquam ducerentur; quæ prospero successu palam facerent, quanti forent Hispana subsidia. His illi inuitamentis Mænium ad suam perducere voluntatem studebant. At solers animi Princeps, conscius iam, haud plures quater mille Peditibus, atque Equitibus mille à Mansfeldio ductari: numerandam verò pecuniam aureorum viginti quinque millia non superare; minimè passus est Gallicam libertatem venalem esse tam paruo. Quare subiratus, atque animosus, vt numquam, responsum hoc dedit. *Quod attineret ad expeditionem socialibus armis committendam, se facilè assentiri: quod verò ad Regnum Isabellæ Infanti deferendum; rem non modò maximis difficultatibus impeditam, sed patrijs quoque legibus vetitam, in manu suâ non esse. Infanti si quod ius foret, iuribus regni communibus repugnare: quorum ipse arbiter nec vellet esse, nec posset.* Hac responsione æquè inopinatâ, ac molestâ perculsi primùm Hispani; satis intellexere, quàm longè dissiderent Gallica, atque Hispana consilia.

1593.

Mænij responsum votis contrarium.

Re tamen dissimulatâ, resumptisque animis, proximâ luce tractationem repetens Ioannes Baptista Taxius conatus est Principis animum verbis mollibus, ac promissis liberalibus flectere: & Agucchius Protonotarius, & Innocentius Maluasia, qui congressibus aderant iussi ab Legato; & Carolus Mansfeldius adeo ad rem propositam promouendam allaborarunt, vt spem profectûs aliquam Hispanis fecerint. Et hi quidem, comperto, nihil sine Mænio Duce peragi posse: Mænius verò parum sibi prodesse ratus Hispanorum ope destitui; in speciem

Proposita res vrgetur cum spe.

certè

1593. certè beneuolentiam præ se tulere. Vt verò frænum ijs inijceret Mænius, quo in omnem circumduceret partem pro arbitrio; Ianino, Villaregio, ac Lugdunensi Archiepiscopo per literas mandauit, vt responsum omnino dandum curarent Epistolæ à Catholicis Henrici Asseclis conscriptæ: oblatosque cum eisdem congressus acciperent.

Conuentiones inter Mæniú, & Hispanos.

Ex vtrâque verò parte ita conuentum fuit. Vti Dux electionem Infantis apud Ordines promoueret. Quæ si succederet, consequeretur ipse Ducis Burgundiæ titulum, administrationem Picardiæ, donec viueret: Reginæ Locum tenentis toto regno nomen, ac potestatem: quicquid ipse, tam suo, quàm Reipublicæ nomine æris alieni deberet, ab Hispanis persolueretur; eidemque redderetur, quantum de suo impendisset. Imò vt præsens pecunia rem vrgeret; aureorum viginti quinque millia iam tum ei numerarunt, syngraphasque pro alijs ducentis millibus dederunt: Caroloque Mansfeldio commendarunt, vt cum exercitu ad eius nutum omnem obsequeretur. His vtrinque initis conuentionibus, & mutuò chirographo confirmatis, conciliari quidem tum inter se visi sunt animi: sed non in futurum tempus, amotis suspicionibus, diuturna concordia stabilita. Mænius quippe nullo teneri se iure arbitrabatur ad ea præstanda, quæ ab inuito necessitas temporum extorsisset. Hispani contra, qui hunc Ducis animum introspiciebant, in omnem parati erant opportunitatem, rem sinè illius auctoritate conficiendi. Quapropter alios quoque supremos Galliæ Principes sibi obstringere contenderunt: Lotharingiæ nempe Ducem, & Guisium, Nemorosiumque in spem erigendo nupturæ sibi Infantis, cum dotali Galliæ regno. Sed ea consilia Principibus deprehensa contrarium votis exitum nacta sunt. Æmulatio namque inter eos exorta perpulit, vt alius alij (quod suadere solet ambitio) aduersaretur.

IAM verò tempus instabat, vt ad Comitia properarent ex Hispaniâ recentes Administri. Ergò Suessione digressi Lutetiam intrarunt magno cum Populi plausu, qui non leue communis boni momentum in eorum aduentu positum rebatur. Quæ verò ibi transacta, referemus; postquam armorum progressum in Belgio parumper prosequuti fuerimus.

Belgici belli progressus.

EXERCITûs ad subsidium Gertrudisbergæ frustra deducti, Petrus Ernestus Mansfeldius, Belgij Gubernator, partem Varambonio sub Duce Grauiam dimisit; partem traduci iussit in Frisiam à Friderico Comite Thserembergio. Præerat multos iam annos ei Prouinciæ impositus ab Rege Franciscus Verdugus

Franciscus Verdugus Frisiæ Gubernator.

gus Natione Hiſpanus, militaris rei peritus in paucis: quique magni Cæſaris ad exemplum, commentarijs, quæcunque in bello geſſit, expoſuit; integritatis fiduciâ, fidei apud poſteros ſecurus. Sedem per ea tempora Groningæ locauerat, in Vrbe regionis eius præcipuâ, quam hoſtes iamdudum ſibi deſignauerant, quæque inteſtinis agitata ſeditionibus, haud extra ſuſpicionem erat cum iiſdem conueniendi. Nec procul eâ Guillelmus Comes Naſſauius caſtra poſuerat, prouidèque munierat, vt Regijs copijs aditum ad Groningenſes intercluderet. Crebris ad Mansfeldium literis Verdugus militum, tormentorum, pecuniæ ſubſidium popoſcerat contra vrbanos tumultus, atque hoſtium inuaſiones. Id verò conſequi non ante licuit, quàm Gertrudisbergæ retinendæ, Crepicordij expugnandi ſpes euanuere. Tum demum Exercitûs magna pars eò immiſſa: ſed in ipſo itinere, partim laboribus feſſa toleratis, partim perferendis ob locorum infelicitatem incommodis deterrita, imminuta admodum fuit.

Militum ſubſidium accipit à Mansfeldio.

Certiores de eo ſubſidio facti hoſtes, ipſi quoque ab alijs expeditionibus vacui, opem ſuis celeriùs multo, commodiùsque tulerunt. Copijs auctus Guillelmus decreuit in Burtanga munimentum erigere: quò viam Regijs militibus Groningam versùs præcluderet. Eſt autem Burtanga ex arenâ congeſtâ ſtrata planities, duarum horarum itinere longa; cuius pars ad Veddam pertinet, Groningenſis Oppidum ditionis, pars Monaſterienſis Diœceſeos finibus continetur. Eâ in mediâ, quâ magis arenoſa ſe latiùs explicat, viam interſecans Naſſauius, atque ex effoſsâ materie aggerem circumducens, adeo tutum ſuis munimentum extruxit, vt inde nullâ viâ poſſent exturbari, cùm vnica ad eos pateret, quæ interrupta iam erat. Regius Ductor Carcamus ad opus impediendum perrexit; ſed neque tempeſtiuè, neque machinis ad rem idoneis inſtructus. Verdugus verò Groningenſibus detentus periculis, accurrere nequiuit.

Guillelmus Naſſauius munimentū extruit in Burtanga.

Scripsit interea Comiti Friderico, vt in itinere, quo Groningam aduentabat, Sasfeltium, & Oetmarſum, loca hoſtium poteſtatis, expugnare conaretur. Quippe quæ leucâ vnâ Oldenſaliâ diſſita, Regijs è Brabantiâ in Friſiam vltro citroque commeantibus iter obſtruebant. Paruit conſilio Thſerembergius: & Sasfeltium quidem extemplò deditionem fecit. At Oëtmarſum duabus Veteranorum centurijs defenſum, à primo mane ad veſperam vſque ſex tormentorum aſſiduis ictibus oppugnari oportuit: ac tandem expugnatum eſt. Fridericus deuectis è Brabantiâ bombardis Oldenſaliæ relictis, per Eſcunenuecam propè

Franc. Verdugus Comment. lib. 10.

Fridericus Thſerēbergius Sasfeltium, & Oetmarſum capit.

Co-

1593. Couordam (quando per Burtangam non licebat) Groningam transportauit exercitum.

QVO suis copijs adiuncto Verdugus duas vno tempore Arces Groningensibus infestas aggredi statuit: Auarderzielam, & Slogteram. Ad hanc expugnatu faciliorem Cornelium Gasparinum, patriâ Lucensem, Ductorem misit; ad illam ipse cum Thserembergio profectus est. Postulatam deditionem cum Oppidani negarent; ad tormentorum impetum ventum est. Sed quia locus erat circumcirca solidâ terrâ munitus, ea parum proficiebant. Quo animaduerso Verdugus misit, qui fossam circumspicerent: eorumque ad tutamentum, sclopeta è Castris continenter displodi iussit. Ex ijs Penia Signifer fasce ad ripæ fossam prætento terram effodere, atque aggerem præ se cœpit erigere. Quod cum alij viderent, exemplo animati, idem moliri opus aggressi. Hæc vel audacia, vel calliditas hostes ita deterruit, vt statim deditionis signa præberent. Verum ingressum non sine vi tentantibus cum Friderico Duce Militibus Oppidani restiterunt. Quare dimicatum vtrinque ferociter aliquandiu. Demum interempto Arcis Præfecto, qui omnium acerrimè obsistebat; perrupere in eam victores Regij, ad vnum omnes internecioni dantes. Quorum si quis ab ingressis elabebatur, circumsidentes non effugiebat. Ab hac oppugnatione progressus ad alteram Verdugus est: Slogteræ nempe, quæ præter opinionem dedere se recusarat. Sed recenti vicinorum excidio commonefacta, & bellico apparatu territa, in potestatem illico venit.

Verdugus potitur Auarderziela, & Slogtera.

NEQVE segnior in locis hostilibus inuadendis erat Guillelmus Comes. Euocarat Vinschotâ Carcamum Ductorem cum subiectis copijs Verdugus: vt circa Groningæ mœnia excubaret: ne quid in Vrbe per ipsius absentiam turbaretur. Frequentibus quippe nuncijs perferebatur: Hæreticos in eâ homines; atque aduersarum Partium factiosos, ipsi, cæterisque Catholicis necem, aut capturam moliri. Quibus periculis occurrendum putauit, iniecto Ciuibus turbulentis à vicino Exercitu terrore. At Guillelmus in omnem peruigil occasionem; vbi Ductore, ac magna parte Militum exarmatam Vinschotam vidit; eam statim inuasit, cœpit, suis Partibus communitam reliquit. Pari beneficio fortunæ potitus est Veddâ; Defensoribus eius per summam socordiam, pessimoque exemplo, ne oppugnationem quidem, antequam se dederent, expectantibus. At verò cum Nassauius, imposito vtrobique præsidio, in citeriorem Frisiam profectus esset, vt copijs in subsidium à Philippo fratre deductis asso-

Guillelmus Nassauius Vinschotam & Veddam capit.

Verdugus Vinschotam recepit.

associaret suas; Verdugus quoque ea opportunitate sapienter vsus, Vinschotam subitò recepit: atque inde ad recipiendam Veddam perrexit. 1593.

INGENTEM ibi Peditum numerum, & plurimos sclopetis maioribus instructos collocarat Guillelmus (quicquid alij contrà scripserint) & bellicum instrumentum, & commeatum eâ copiâ, quæ satis esset ad maximum quoduis Oppidum tutandum. Spoponderat quoque Tribunis, eamque sponsionem Fœderatæ Frisiæ Ordines confirmarant, si se strenuè defendissent, Ducis munia consecuturos. Quare deditione à Verdugo postulata, se ad extremum vsque spiritum propugnaturos Oppidum, responderunt. Nondum eò pertractis maioribus tormentis, iussit Verdugus, solo effosso aggeres extrui. Quo in opere cæteris Itali præiuere, qui iam ad fossam vsque progressi erant: ideoque plurimum damni passi sunt ab hostilium sclopetorum continenti displosione. Sed neque hostes à bombardarum ictibus tuti erant; quæ iam aduectæ, assiduè munimenta Oppidi quatiebant. Eòque res redegerant, vt duo propugnacula, quæ murorum longitudinem custodiebant, concussa, ac diruta essent. Quamobrem extrema iam sibi metuentes Oppidani deditionis faciendæ non obscura præbebant indicia. Quibus incitati Obsessores, ac præsertim Itali omnium proximi, sociorum cædem vlciscendi auidi, per fossam ad oppugnationem, sine lege, sine ordine sese effuderunt. Eum impetum cæteroqui temerarium, & si dexterior mens, aut maior animus hostibus fuisset, auctoribus nociturum; iuuit eorumdem consternata virtus, & salus desperata. Igitur in Oppidum irrumpentes Regij, quâ vindictæ ardore, quâ victoriæ licentia, obuios quosque trucidarunt. Probauit Verdugus felicem euentum, at præcipitem impetum improbauit; eos Milites seriò monens, ne suâ in posterum temeritate perniciem vniuerso Exercitui crearent.

Verdugus l. 10. Haræus anno 1593. Campana p. 3. lib. 1.

Et Veddam vi, & strage.

IAM verò declinante in Autumnum anno, imbribusque cadentibus perfuso solo, Exercitibus imperuio; difficile admodum videbatur, morantes ibi diutius copias, præsertim Equestres, & bombardas, & impedimenta deportare. Quare Verdugus animum reuocauit à munimento Burtangæ inuadendo: quod opus alioqui suadebat cupiditas clausum illud iter, maximè necessarium, Groningensibus aperiendi. Absterrebat quoque firmitas loci, non modo circumiectis paludibus custoditi, sed quinque præterea cuneatis propugnaculis sese mutuò tutantibus, & commeatibus, & reliquo belli apparatu affatim instructi. Neque aditus ei claudebatur, ad omnia quæcunque opus essent,

Verdugus lib. 11.

è

1593. è vicinâ Vestfaliâ deuehendi. Contra verò infestum Obsessoribus futurum erat solum vuidum adeo, vt vix vnum alterum-ve pedem effodientibus, aqua statim scateret. Atque vnius leucæ spatio circumcirca nec domus vlla, neque arbor sese offerebat. His de causis ab ea Verdugus obsidione abstinuit. Necessarium tamen duxit tutam reddere viam aliquam Groningam versùs: ne regius exercitus detrimento Vrbi magis, quàm præsidio foret: neu liceret hosti submissis identidem copijs augere militem; sibi, omni præcluso aditu, non liceret. Quamobrem ad extremum decreuit prope Couordam iter suis communire.

Verdugus Fœderatorũ Exercitum inuadit.

SED antequam eò commigraret, cum duabus tantùm leucis ab hostium castris abesset, eosdem ad pugnam lacessere constituit, animo maiore, quàm viribus. Duobus ergo deportatis campestribus tormentis, & aliquot commeatuum carris, longo circuitu perrexit aduersùs hostem. Hic positis leucâ vnâ prope Groningam castris, certior factus est de Verdugi aduentu. Itaque Comites Guillelmus, ac Philippus, qui copijs præerant, castra communire sunt aggressi diligentiâ tantâ, vt quamuis celeritate summâ fuisset vsus Verdugus; vbi primùm accessit, hostem repererit validissimè circumseptum. Ægrè ille stagna traiecerat, & per ea vix pertraxerat tormenta: cumque propugnaculum quoddam hostile prætergrederetur, ab eius bombardis, ac mosquetis vix tutos carros, nec sine detrimento perduxerat. Tantumque laborum in eâ traiectione miles exanthlauit; vt statim ab illa quieti se dare opus habuerit. Prope locum, vbi Castra posuit, aliud erat hostile munimentum; quod postquam circumspectari Verdugus iussit, consequenti nocte aggredi decreuit. Sed hostes vitium suarum conscij, aggressionem fugâ præuerterunt.

IAMQVE Hollandicis castris propior factus erat Verdugus: ad quem perlatum fuerat, Castrorum hostilium situm planum esse, atque à cunctis obicibus expeditum. Sed contrarium accessus ostendit. Foueæ quippe passim opponebantur, quæ directas acies, & minimè dissolutas duci vetabant. Admouit hosti quàm proximè poterat Exercitum Verdugus: agminibusque tum equestribus, tum pedestribus distributis, iussit suos continenti velitatione hostem lacessere: eodemque tempore campestria tormenta editiori loco mandauit imponi. Inde etiam hostium Castra speculatus, vt de visu cognosceret, an liceret eorum aggeres, ac munimenta adoriri; deprehendit æquè arduum, ac periculosum id esse. Quare ad continuandam dimicationem, subinde nouos Equites, Peditesque sufficit: in spem veniens,

eâ

1593.

eâ prouocatione hostem ex vmbrâ in pulucrem eductum iri; seque cum eo extra munimenta magis æquo certamine pugnaturum. At hostis, haud ignarus bellandi, spem fefellit. Sinebat enim Pedites nunc hos, nunc illos ad velitandum prodire, sed sub ipsis munimentis: intra quæ reliquo Exercitu se cohibente, Equites in omnem partem, vt opportunitatibus præstò essent, discurrebant. His tamen aliquid suis tormentis damni Verdugus intulit. Quòd si grauiora conuehi iussisset; è loco superiore, quem occuparat, potuisset hostium Castra infestare, malè à munimentis tumultuariò excitatis defensa. Sed anni tempestas pluuia, & loca stagnis frequentibus impedita transuehi vetuere. Ferunt & prouocatione lacessitum ad iustum prælium à Verdugo Guillelmum, ignauum etiam animum obiectando: sed eumdem propositi tenacem, atque in apertum educere acies recusantem, respondisse. Magnorum in Scholis Ducum doctum sese: non ad hostis arbitrium, sed pro sua opportunitate, cuique pugnandum. Proditurum se (nec longum tempus) in campum; & cum hostis minimè vellet, manus conserturum. In leuibus illis dimicationibus è Regijs pauci cecidere: plures ex hostibus, tormentorum præsertim ictibus strati. Friderici Comitis equus peremptus: ipse in brachio leuiter sauciatus. Grauiùs sclopeto ictus in tibia Sclopetariorum in principijs Ductor Alexander Gherardus Mediolanensis.

Leuis inter eos dimicatio.

Campania.

IGITVR Verdugus cum neque hostem elicere ex munimentis ad prælium posset: ipsumque intra eadem inuadere nimis temerarium duceret; non sine Principum Exercitus consensu, Castra inde mouere statuit. Antè verò, quàm Couordam duceret, Groningam redijt, superatis difficultatibus viarum aquis interruptarum. Ibi commeatibus abundè instructus, Couordam versùs iter suscepit; probè intelligens, quantò seriùs accederet, tantò futurum difficilius destinata perficere. Pedites aliquot ad occupandum Dalemium pagum præmisit; in quo Mauritius ipse, dum Couordam obsideret, copias locauerat. Iter habenti exercitui Verdugus, & Thserembergius præiuere: vt aperiendæ viæ situm inspicerent, & locum castris optarent. Vix ad eum pagum peruenerant; cum obuios habuere Couordæ Præsidiarios, quorum pars maxima ex Arce prodierat, vt ad se transmissa commeatuum plaustra in itinere custodirent. Vbi primùm illi hostem agnouere; reputantes exiguum militum numerum in Arce relictum; ad eam retrocedere; ipsamque maluere, vt generosos decebat, quam carros alimentorum, tutari. Quamobrem hi ferè omnes in Regiorum venere potestatem.

Verdugus Couordam oppugnare contendit.

Commeatum intercipit.

1593. tem. Minùs læta fuit hæc præda Verdugo, perpendenti longè nobilioris lucri occasionem è manibus elapsam. Namque si Præsidiarij milites Oppido egressi vel cæsi fuissent, vel interiecto exercitu ab reditu in Oppidum prohibiti; tam pauci reliqui erant ad Couordæ custodiam, vt ea nullo negotio potuerit occupari. Præsertim cùm optimè ipse nosset, qua parte fossa traiectu facilior erat: & scalis illam vndique inuadere, vel interdiu, in procliui foret: atque alicubi murorum humilitas non requireret scalas ad scandendum: paucique defensores tot oppugnantibus, oppugnatisque locis haud sufficerent. Sed non obiacent omnia prouidentiæ Ducum: & militaris auiditas prædæ sæpe corrumpit meliora consilia.

IAM verò ingruentes pluuiæ continendi in apetto Exercitus difficultates augebant. Vallones præcipuè missionem peruicaciter postulabant: quin aliqui vel inconcessam arripiebant. Quare præcipitandam operam Verdugus censuit & præstruendæ viæ, & munimentis aliquot ad eius securitatem excitandis. Viam extruxere sustinendis carris, bombardis, cæterisque rebus idoneam. Quamquam eo in opere quicunque laborauere milites, siue imbrium, seu stagnorum humore infecti, vel mortem inde contraxere, vel morbum. Nec minùs in erigendis munimentis desudatum. Vt verò ad commeandum vltro citroque Groningensibus ea tuta pateret via; ne-ve ab hostibus Couordâ erumpentibus, quicquid exhaustum erat laboris, corrumperetur; custodiendam eam circumfusis militum stationibus Verdugus curauit. Itaque Couordensi in agro hybernare milites iussit. Lotharingos, & Germanos Soltzio Comiti subiectos in quatuor finitimis pagis collocauit. Vallonibus expetitam missionem dedit. Ipse cum reliquis in aperto camporum hyemauit, exemplo suo eos ad tolerandum inflammans; neque segniùs agens Militis partes, quàm Ducis.

In agro Couordæ hybernat.

LVTETIAE interea in Principum, ac Delegatorum Conuentu magna dissensio fuit de responso literis reddendo, à Catholicis Henrici Asseclis datis. Pontificius quippe Legatus, & cum eo semper facientes Hispani rem prorsus abolendam iactabant: Sorbonici Theologorum Collegij sententiam opponebant: præstructum eum obicem dictitabant ab hostibus Comitijs proſequendis. At Delegatorum plerique contra sentire. *Eiusdem sanguinis, & religionis hominibus obstruendam non esse viam, quà facilè ad integriores Catholicorum partes, hoc est ad Fœderatos, recipere se possent. Desertum ab ijs Henricum tam imbecillum futurum, vt esset leui negotio debellandus. Nullam repudiandam rationem assequendi*

Iacob. August. Thuanus lib. 105.

In Parisiensi Conuentu dissensio de literis Henricianorum.

quendi publicam pacem, quam boni omnes Galli votis, ac studijs sequerentur. Manium ipsum Ducem ad id consilij fidem suam obligasse, dum euulgato libello Regios Catholicos hortatus est, vt cum ipso conuenirent: quod si renuerent; impendentium calamitatum habendos reos. Iam vero noxam hanc subituros ipsos Fœderatos, si oblatum colloquium, & congressum recusarent.

Congressus cum Henricianis approbatur.

HANC sententiam passim omnibus gratiorem Mænij Ducis interiores Amici promouebant. Vnus ad eam requirebatur Pontificij Legati assensus: à quo neque Ordines, neque Mænius ipse diffidendum putabant. Communis quippe Christianorum Patris Administer Partibus, à quibus stabat, magnum auctoritatis pondus addebat. Eum itaque Lugdunensis Archiepiscopus conuenit: totque, ac tam validis rationum momentis incitauit, vt vim faceret maximam. Accessit Mercatorum Præpositus, turbatum iri denuncians Ciuitatem, si congressus ille respueretur, quo se sperabat è tantis calamitatibus euasuram. Quibus quasi machinis concussus magis Legatus, quàm sententiâ dimotus, clam tandem assensus est, ac facultatem congrediendi dedit, modò id permissu fieri suo palam haud esset. Ita suffragijs penè omnibus euicta res est: & datum quarto Nonas Martij responsum in hanc fermè sententiam.

Ad eorum literas Fœderatorum responsio.

Accepisse se literas, Fœderati scribebant, *ante dies aliquot eorum nomine datas, vtinam & ab ijs datas, & consueto ante postremas calamitates sensu Religionis, atque in Romanam Ecclesiam obseruantiâ. Conspirantes quippe futuros omnium animos aduersùs Hæresim: neque alijs opus fore armis ad altaria contra altaria erecta prorsus euertenda. Monstrum illud ferale opinionum, quia pro meritis supplicijs suprema tulit præmia, in eam intumuisse arrogantiam, vt non excipi solùm velit hospitio, sed imperium affectet quoque, ac summum sub Hæretico Principe dominatum. Cum epistola transmissa nullius singillatim præferat nomen; neque à quo scripta sit, pateat: argumento esse, ab alijs prodijsse, quàm à Catholicis; quippe quibus in aliena positis potestate liberum minimè sit id scribere, profari, sentire, quod vel conscientia dictet, vel opportunitas temporum, & communis salus requirat. Retardatum ad eam responsum ab expectatione frequentioris Conuentûs. Certiores eos se facere: post acceptum Pontificij Legati manu cælestem Panem, verum Christianæ Concordiæ symbolum, atque Apostolicæ Sedis nomine impartitum diuinæ indulgentiæ pignus; cunctos se Deo concepto iureiurando spopondisse, consiliorum suorum scopum, ac rerum agendarum auspicium haud aliud futurum, quàm Religionis Catholicæ tutamentum, & conseruationem; in qua viuere, ac mori constantissimè velint. Quamobrem in eligendo*

1593. *do Rege non sanguinis tantùm rationem habendam: sed Religionis Catholicæ multò magis. Id illa præscribi lege, quæ Regni fundamentum appellatur, quam perpetuò maiores sine exceptione obseruarunt; cum in Regio sanguine fuerit aliquando mutatum. Vt igitur ab omnibus expetita, & omnibus necessaria pax, & quies firmetur; accipere se congressum, colloquiumque propositum; modò inter solos Catholicos, & de rebus dumtaxat ad Religionis, ac Regni conseruationem spectantibus ineatur. Locum eligi posse, vel Montem Martyrum, vel Diui Mauri Oppidum, vel Reginæ quod vocant Palatium ad Challiotum Vicum. Vertentis mensis sub exitum mittere licere Delegatos, diemque præstitutum dicere, quo Parisijs alij dimittantur. Cæterùm non defore sibi syncerum in eos, ac beneuolum animum, omnique vacuum odio, gratiaque. Deum denique se supplices obsecrare, vt exitum rei felicem concedat; ex quo incolumitas Religionis, ac Regni, & secura quies, ac diuturna nascatur.*

EIVSMODI responso Lutetiâ dato, atque in Senatu regio Carnuti perlecto, decretum quidem fuit, vt in colloquium iretur: verùm ob Regis, ac Principum aliorum absentiam aliquid interponere oportuit moræ. Interea missis vtrinque Delegatis ad interiecta loca inspicienda, cum pleraque bello diruta reperissent; Surenæ suburbium integrum, atque opportunum deprehenderunt, habendoque congressui destinarunt. Sortes etiam ductæ dicuntur, ad futurum rerum exitum diuinandum: quæ Fœderatis victoriam præmonstrarunt.

Relatio congressus Parisiensis, & Surenensis.

Surena deligitur ad congressum.

AT recens Hispani Regis Legatus Feriæ Dux, ad publicum Ordinum Conuentum perhonorificè admissus, grauem habuit orationem: in qua multa commemorauit à Philippo Rege collata in Galliæ regnum beneficia. *Illo præsertim calamitosissimo tempore militares copias toties præsenti auxilio submissas: aureorum supra sexagies centena millia tam promptè, quàm liberaliter erogata: regnorum suorum tutelam, non sine maximo detrimento, Galliæ saluti posthabitam. Optimum quoque tot malis excogitasse remedium; celeberrimum illud è tota Gallia auctoritatis, ac prudentiæ lecto flore Concilium. Id vt euocaretur, synceré deliberaret, liberèque decerneret, neruis omnibus contendisse. Eò se quoque ab eodem suo Rege missum, vt necessitates ad omnes præstò esset. Nihil in se industriæ, nihil sollicitudinis desideratum iri. Deliberationum summam eam ab suo Rege censeri, vt Galliæ Rex Catholicus eligatur, cui vires non desint ad Regnum defendendum, & conseruandum. Celeritatem inprimis ab eodem commendari: sine qua magna sæpe negotia pessum eunt.* His voce prolatis, datas quoque ab Rege literas obtulit Nicolao Cardinali Pelleuæo, Rhemensi Archiepiscopo, Præsidi Comitio-

M. Ianson. tom. 1. lib. 6. Haræus anno 1593. Turtur. lib. 19. Campiglia lib. 8. Herrera l. 4. c. 19.

In Parisiensi Conuentu Feriæ Ducis oratio.

 mitio-

Hispani Regis literæ recitantur.

1593. *Thuanus l. 105. Campiglia, Herrera, Turtura.*

mitiorum. Is Nicolao Pilæ Orbasiensi Præsuli, qui à Secretis ijsdem Comitijs erat, palam recitandas dedit.

PRAESEFEREBAT in eis Philippus Rex studium ingens in publico Galliæ bono quærendo. Idcirco præter alia quæ gessisset, *Se decreuisse*, aiebat, *magnæ existimationis, atque experientiæ virum ad Comitia suo nomine transmittere: qui pro se eisdem interesset, atque omni ope contenderet, vt Rex Galliæ Catholicus, & difficillimis temporibus opportunus crearetur. Ei fidem in omnibus habendam, quæ ab Rege proponeret.*

Pelleuæi Cardinalis responsio.

VT Philippi tam literis, quàm Oratori responderet; prolixam pro suo more habuit Pelleuæus Cardinalis orationem. Ea verò in summa continebat Philippo Regi, ac Feriç Duci redditas grates, repensas laudes: Gallorum Regum ab vsque Clodouæo res præclarè gestas, Hispaniæ præsertim emolumento (vt iactatis in Galliam Hispanorum beneficijs par pari redderetur) vtriusque Nationis Regum non amicitias modò, sed etiam affinitates; aliaque, quæ vel recensere longum esset.

Relatio congressus.

TEMPVS interea Surenensis Congressus instabat. Lecti iam erant ab vtraque Partium, non sine controuersijs, mittendi ad colloquium Delegati. Igitur condicto die tertio Calendas Maij, qui fuerant à Fœderatis electi, Pontificium adiere Legatum, rogantes, vt ad bene auspicandam tanti momenti rem, Sacrum faceret, ipsisque ante discessum felicem à Deo rerum exitum precaretur. Id libenti animo præstitit Legatus, ipsisque vehementer commendans, vt in rebus agitandis honorem Dei, salutem Regni, ac suam ipsorum existimationem haberent semper ob oculos; Pontificiam verbis, & manu veniam impertiuit. His animati auspicijs Lutetiâ digressi sunt, magno ad portas comitante Populi benè precantis concursu. Inde Surenam breui itinere profecti, ædes Congressui destinatas adierunt. Eòdem paulò pòst affectantium Henricum Delegati perueniunt. Vtrinque mutuæ salutationes, atque complexus iterati, præ liquidissimæ sensu voluptatis, lacrymas à spectantibus expresserunt; facilemque dedere spem prosperi euentus. In primis verò, publicisque congressibus hortati se inuicem sunt ad omne priuatum studium, & proprias rationes deponendas; atque ad vnum syncerè spectandum publicum bonum. Suas quisque Delegatorum protulit syngraphas, testes auctoritatis demandatæ. Præbuere sibi mutuò liberè, ac tutò commeandi facultatem. Actum etiam est de armorum per finitima loca cessatione: vt Delegati, alijque ex eorum comitatu conuenire possent, ac morari citra sollicitudinem, & metum. Has inducias quatuor ferè leucis circa

Surenensis Congressus Delegatorum à Fœderatis, & Henricianis.

Armorum cessatio lætissima.

1593. ca Lutetiam, totidemque propè Surenas quinto Nonas Maij sanxerunt, ac promulgarunt. Quod, incredibile dictu est, quantos in Parisiensi Populo, tot annos intra sua mœnia concluso præter Nationis ingenium, excitauerit plausus.

Relatio congressus sess. 4. Thuanus l. 106. Catherinus, Herrera lib. 5. cap. 2. Campiglia.

In prima tractatione, consensio patrum, & dissensio.

VBI verò rerum caput in publicis colloquijs tractari cœpit; quâ conuenire in sententijs Partes; quâ maximè dissidere compertum est. Necessariam esse pacem ad liberandam tot calamitatibus Galliam; consentiebant omnes, ad eam celebrandam pariter effusi, ad amplexandam parati: de rationibus verò, ac vijs quibus eam consequerentur, longissimè dissentiebant. Fœderatorum namque Delegati Religionem, tanquam omnium fundamentum, collocabant: neque concordiam vllam rebantur sanciri vel debere, vel posse, in qua non eius ratio præ cæteris haberetur. Hinc Henricianis suadere conabantur: *Vt Hæreticum Principem deserentes, alijs coniungerentur ad Catholicum Regem eligendum. Quo firmato, ac dissidiorum radicibus extirpatis, Religionis nempè diuersitate, Regni administratio recta, perennis quies, & salus stabiliretur.*

HENRICIANORVM contra Delegati concordiæ spem præcipuam ponebant in profitendo, seseque subdendo Regi natiuo, à legibus dato, & qui moribus esset verè Gallicis: cuius sub vmbram conuenientes omnes, dissidijs, turbisque finem imponerent. *Religionem*, aiebant, *in secundis habendam. Siquidem antiquis temporibus homines Christiani Principibus paruerant non modò à Catholica Fide, vel ab Romana Sede alienis, sed palam earumdem hostibus, acerbèque illas insectantibus. Sapientissimos Ecclesiæ Patres, imò Sanctissimos ipsos Apostolos hanc docuisse erga improbos etiam Dominos obedientiam.* Hortabantur itaque Fœderatos, vt vnà secum eum Regem colerent, ad quem & vi Salicæ legis succedere in regnum fœminas vetantis, & haud dubia Regiæ stirpis propagatione Corona Gallica optimo esset iure deuoluta. Vtque illum pollicebantur statim amplissimè facultates omnes conseruandæ Religioni concessurum: ita spem dabant in posterum eundem ad Catholicam Fidem reuersurum, à qua non se prorsus ostenderet alienum.

1. Petri 2. Ad Ephes. 6.

HAE disceptationes alios, atque alios occupauere sine vlla definitione congressus: adeo vt plerique censerent, quod principio præsagierant, eosdem postremò sine vllo fructu dissolutum iri. Hanc nacti occasionem Hispani; ea prudenter in rem suam vti decreuerunt. Cumque Fœderatos animaduerterent constantes in proposito Regem syncerè Catholicum eligendi; Henricum contra, & Asseclas in posthabenda legi Salicæ, poli-

ticisque rationibus cura Religionis pertinaces; supremam adhibere machinam statuerunt, & Isabellæ Infantis electionem in Parisiensi Conuentu proponere. Pontificius verò Legatus, vt rem ponderis maximi, Galliæ nempe Regem eligendi, auspicaretur à Cœlo, publicas indixerat supplicationes, & preces; quibus iteratis permota Diuinitas rectam Ordinibus mentem inspiraret, vt publicæ saluti opportunè consulerent. His rite captis auspicijs, in eiusdem Legati palatio frequentissimus coactus est Senatus Principum, Oratorum, Delegatorum: in quo magnis artibus, & validis incitamentis electionem Infantis insinuare studuerunt Hispani: sed eamdem haud minore libertate, & confidentia, vt Regni legibus aduersantem, Galli extemplo reiecerunt. Rogarunt illi, vt in publico omnium Ordinum Conuentu audirentur, & facilè impetrarunt. Illic eadem proposita res paulò feliciore successu.

In Conuentu Parisiensi proponitur Isabellæ Infantis electio, & statim reijcitur.

MAENIUS namque Dux, licèt esset dissimulandi mirus artifex, & iactaret in speciem, ab Regis Catholici voluntate, atque ijs, quæ cum eius Oratoribus pepigisset in Suessionensi Congressu, ne minimùm quidem se velle recedere: clam tamen Delegatorum animos sollicitabat ad eam petitionem reijciendam, vtpote Galliæ parum consentaneam, obnoxiam seruituti, sibi, posterisque damnosam. At Delegati nihil ambigui propositam electionem concordibus sententijs recusandi; ne Hispanorum animos ab se abalienarent; vtque opportunum captarent spatium rebus maturandis; post multa officiosa verba responderunt: de ipsorum postulato in consilium ventum iri; vt quàm primùm certa deliberatio caperetur.

Catherinus, Turtura.

Mænij contra eam artes.

INTEREA Mænius, vt rei disijciendæ viam inueniret; agere cum Oratoribus cœpit de Coniuge Infanti iungendo, vbi hæc ab Ordinibus Regina crearetur: enixèque rogauit, vt quid ea super re ab Catholico Rege in mandatis haberent, palam facerent. Disertè responderunt Hispani; Regem Isabellæ coniugio destinasse Archiducem Ernestum Austriacum, Cæsaris germanum: quem etiam designauerat Belgij Moderatorem. Vix hæc in eo conuentu audita sunt, cùm ab omnibus illico repulsa, pariter proclamantibus, recusare se Regem exteræ Nationis. Et quamquam Mænius varijs rationibus probare se personam Archiducis simularet: non tamen id effecit, quò minùs alij eum se reijcere libertate Gallica testarentur. Igitur animaduerso ab Hispanis, propositam electionem Infantis prorsus corruere; nisi ad eam sustinendam validum quodpiam adminiculum apponeretur: adiecere, illud quoque sibi ab Rege manda-

Quis Infanti destinetur Coniux ab Rege Hispano.

Non placet Gallis exterus.

tum;

1593. tum; vt si minus placeret Ordinibus Ernestum accipere; Regis nomine pollicerentur, ad Infantis connubium ab ipso electum iri è Galliæ Principibus vnum, intra sex menses nominandum. Non displicuit ea res omnibus generatim. Plerique enim in tantispem imperij animos erexere: ac præcipuè Guisius, & Nemorosius Duces, ac Lotharingus Cardinalis. At Mænius eo consilio publicè commendato, dimissoque Concilio, scrutari ex Hispanis aggressus est: num in aliquem è suis liberis animo propenderent. Cumque apertè comperisset, illos inde abhorrere; quod nollent, in ipsius potestate regnum esse, certi vxorem tantùm, non dominam futuram Infantem: acriùs multò quàm antea Hispanis aduersari cœpit: ac Surenenses Congressus, nunquamintermissos, fouere studiosiùs.

Gallicus Princeps promittitur.

HAEC, quæ agitabantur, omnia nota erant Henrico: adeòque institutis colloquijs contendebat deliberationem Ordinum omnem interturbare. Parum tamen eius Delegati proficiebant ob Religionis obstaculum. Imò vehementer dolebant, tandiu optatam, totiesque promissam eius ad meliora conuersionem adhuc differri. Regij verò sanguinis Principes minitabantur palam, ac sedulò cogitabant nouum aliquod suscipere consilium: quando tam seriò videbant, ac tam præsenti tractatione agi de Principibus alienæ stirpis ad Regnum prouehendis. Quin etiam in eam per se quisque spem venerat, siquidem ad Partes Fœderatorum accederet; obuenturas sibi cum Regno nuptias Infantis, atque ad se in eo stabiliendum Hispani Regis auxilia. Igitur tantæ rei cupiditate solito vehementiùs exarsere Borbonius Cardinalis, & Carolus Suessionensis Comes. Hic verò etiam ira, velut altera face succensus in Henricum, ob negatam ab eo sibi sponsam, ipsius sororem Catherinam. At Contyj Princeps, quòd ad suscipiendam prolem impotens esset, non modo futurum sibi ad Regnum obicem non metuebat; sed profuturum quoque sperabat apud Hispanos, quibus gratissimum foret, experte sobolis Infante, posse in vno capite Gallicam, Hispanicamque Coronam aliquando coniungi. Neque ab eadem spe se ducebat alienum Henricus Mompenseriæ Dux, armorum peritia nobilis, ingenio sagacissimus, suauitate morum eximia, aspectu planè dignus imperio. Itaque (quod maximè mirum est) Isabellæ ad Regnum electio minùs ingrata Henrici Sectatoribus videbatur, quàm Conuentui Fœderatorum.

Galliæ Principes eius coniugij Competitores.

AT priuati homines, qui non erant his ambitionis nexibus implicati, quique ad suum commodum, atque ad bonum Re-

li-

ligionis collineabant, passim, ac palam proclamabant: *Regis Nauarræ pertinaciam Hispanæ cupiditati aditum aperire. Nullum iam dilationibus locum, aut excusationibus superesse. Regem Ministrorum artibus fascinatum Hæresi tenacissimè adhæsisse. Tempus esse mentem adijciendi ad vnam Religionem, animique sui, ac posterorum salutem. Sinendum, vt cum suis Huguenotis Henricus in æternum rueret exitium; non autem, vt secum regnum integrum præceps traheret.* Religionis interitum proximè sequebantur priuatæ rationes singulorum. Belli labores, incommoda, damna quisque detestabatur. Sumptus assiduos, atque immensos horrebant. Antiquissimi præsertim Henrici familiares iniquam sibi fortunam incusabant, quæ pro aureo Rege, qualis erat Henricus Tertius, auri profusus; dedisset ferreum, qui non alia bellorum præmia, quàm noua bella proferret.

Querelæ populares de Rege Henrico.

HVIVSMODI querelæ modò iocis, & dicterijs asperſæ, Gallico ritu; modò execrationibus, & maledictis, militari; tam publicè iactabantur, vt ipsius aures Henrici minimè fugerent. Quare cum hæ, cum frequentes, ac validæ hortationes amicorum capitum; & quo nullum vehementius tormentum, necessitas eius animum aliquando tandem ità perculerunt: vt eum inflecterent ad Catholicam Fidem. Ergo quò tutiùs patefaceret mentem suam, iussit Gasparem Scombergium Nantolij Comitem, & qui à Secretis ei erat, Ludouicum Reuolium prætentare animos Catholicorum, qui stabant à Fœderatis, & rimari, quo sensu reuersionem suam ad Ecclesiam, si eam deliberatò statueret, essent accepturi. Illi cum alijs Henrici Asseclis ea super re consilium ineunt. Decernunt vt Fœderatis patefiat certa Regis voluntas, intra paucos dies promissa præstandi: & quid ipsi sentiant, deprehendatur.

Quibus incitamentis ipse impulsus ad Catholicā Fidem recipiendam.

IGITVR cùm primùm de more ad eos vtrinque conuenere Surenenses congressus; è quibus nihil ad id temporis certi retulerant, nisi contentiones, & rixas: Reginaldus Belnensis, Bituricensis Archiepiscopus, optimum afferre se dixit nuncium, quique animos omnes syncerè Gallicos exhilararet. *Henricum nempe Regem, Diuino tactum instinctu, constituisse tandem mæstissimam solari Galliam, & Regnum ab extremis miserijs releuare, ad Catholicam Fidem, & Romanæ sinum Ecclesiæ redeundo. Nemini dubium esse, quin hæc deliberatio, quæ tot malis impositura sit finem, gratissima sit omnibus futura. Adeòque cunctorum industriam conspirantem eò conniti debere, vt illa Regis ad Fidem reuersio, cunctis perruptis obicibus, ad exitum celerrimè perducatur.*

Di Burges.

Mens Henrici Fœderatis aperitur.

AD inopinatum hunc nuncium attonitis hæsere mentibus Fœ-

Quis inde eorum sensus.

1593. Fœderatorum Delegati: quippe qui Lutetiæ, vnde non ita pridem discesserant, alia prorsus omnia agitari consilia exploratum habebant. At Petrus Espinacus Lugdunensis Archiepiscopus hac animi suspensione cauè dissimulata, sine cunctatione subiecit. *Optari se potestatem à socijs fieri sibi eorum nomine respondendi. Henrici ad Catholicam Fidem reuersionem tam lætam sibi, quàm optatam: sed vt ea vera sit, atque ex animi sententia, Deum se obtestari.* Deinde postulato spatio consultandi cum suis, eoque in multas horas ob sententiarum discrepantiam protracto; redeuntes ad congressum Delegati Fœderatorum, suum rursus de Henrici ad Ecclesiam regressu gaudium declararunt. *Is verò quàm syncerus esset, ac solidus, non suum esse*, dixerunt, *sed Apostolicæ Sedis, Romanique Pontificis iudicare. Idcirco nec eam consequentia in sua esse potestate.* Et quamuis in ea sententia persisterent; constituere tamen Henricianorum scriptum Parisiensi Conuentui transmittere, in tria capita distinctum. Primum erat Regis ad Catholicam Fidem redeundi promissio. Alterum, vt interea, dum id perficeretur, de rationibus ageretur firmandæ Religionis, ac pacis ineundæ. Tertium, vt dum hæc omnia tractabantur, toti Regno communes instituerentur induciæ.

Tria Fœderatis proposita ab Henricianis.

HAEC in scriptis ab Henrici Asseclis data, quæ reijci nequiuere à Sacri fœderis Delegatis; ad Mænium Ducem, atque Ordinum Concilium fuere perlata. In eo maximè variauere sententiæ: tantòque constantiùs abnuebant Fœderati mentem suam aperire super oblata Regis mutatione in Fide: quantò acriùs Henriciani contendebant eandem habere perspectam. Subita hæc Henrici deliberatio turbauit Hispanos, perpulitque, vt viribus extremis suam petitionem vrgerent. Cui molliorem vt aditum sternerent, polliciti sunt, permissurum Catholicum Regem, vt vni è Principibus Lotharingis Infans nuberet Isabella. Multis tamen adhuc ea sponsio difficultatibus obstruebatur: tum quòd omnino indubitatum haud erat, euectam ad Regnum Infantem eo connubio iunctum iri: tum quia primo illo Coniuge viduata, posset alterum accipere, vel Austriacum, vel Hispanum, vel alterius Nationis: imò nullâ ex eo coniugio relictâ prole, ius in Galliæ Regnum sibi facilè vindicaret Hispanus: omnium verò maximè quòd Mænius Dux videbat, se, suosque posteros à tantæ fortunæ culmine deturbatos. His de causis Infantis electio lento admodum gradu procedebat.

Hispani promittunt Lotharingis Principibus Isabellæ coniugium.

Difficultates obiectæ.

NEC benigniore fortuna in Belgio vtebatur Hispanus. Nam præter ea, quæ narrata superiùs; hoc anno tumultuantium militum seditionibus Regia res laborauit. Ab Hispanis ipsis initium

Militum Hispanorum tumultus in Belgio stipendiorum causa.

1593.
Campana p. 3. lib. 1. Carnerus l. 10. c. 5. Lanar. ann. 1593. Coloma l. 6. Bentivol. p. 3. lib. 1.

tium tumultuandi fuit: qui cum audirent, Carolum Mansfeldium è Galliæ finibus in Belgium à Parente Gubernatore reuocari ad Gertrudisbergæ subsidium; sibique viderent non soluta stipendia; tantas aduersùs eum exarserunt in iras, vt statim non dubitarint facta manu supellectilem eius multo diuitem argento inuadere, ac deprædari. Exinde Ductorum suorum abnegantes imperia, nouum sibi Ducem sortitò elegerunt, & quidem in dies singulos alium aliumque. Quò verò se diutius tutarentur, locum aliquem in Artesia commodum, atque opportunum occupare statuerunt; cuius etiam ex agro, circumiectaque regione suppeterent alimenta: donec omnino stipendia persoluerentur. Ad eam rem Oppidum Diui Pauli præ cæteris elegerunt. Quod ex inopinato aggressi, nullo negotio cepere. Ab hoc velut asylo menses aliquot circumiecta loca depopulationibus assiduis infestarunt.

Hi se muniunt in Oppido Diui Pauli in Artesia.

Caroli Mansfeldij de eo sensus.

Ad primum tumultus nuncium, incitari se Carolus sensit, vt debitas de crimine sumeret pœnas: & reliquo vteretur Exercitu ad partis illius vitiatæ, quamuis acre, remedium. Sed re diligenter librata, procliuem ad vim animum sustinuit; sapienter veritus, ne cæterarum milites Nationum propiùs introspectis illorum artibus, stipendia nempe tumultibus extorquendi; prauum eorum exemplum sequerentur potiùs, quàm vindicarent; prona semper imitatione deteriorum.

Quàm damnosa militiæ penuria.

Interea Milites alij per Artesiæ fines distributi, ob diu non soluta stipendia magnis rerum angustijs premebantur, incisis veluti neruis belli adeo immobiles redditi; vt neque in Brabantiam, neque in Frisiam, quò summa vocabat necessitas, eos impellere vmquam potuerit Mansfeldius. Quare frequentibus, validisque vrgere precibus Patrem, vti pecuniam opportunè suppeditaret: sine qua non modò ad præsentia Belgij discrimina copiæ præstò esse non poterant: sed prope certum imminebat periculum, ne vt Hispana, sic reliquæ Nationes seditiones induerent. Pollicitus est filio Petrus Ernestus aliquam pecuniæ vim, qua vel ex parte militibus fieret satis. Verùm ex hac spe orta suspicio, & exitu deinde confirmata, nouum in Exercitu tumultum exciuit.

Per Italicas copias vulgatus est rumor, pecuniam, quæ sufficeretur è Belgio, in Hispanorum tantummodo terna, vel quaterna stipendia diuisum iri; nulla reliqui Militis habita ratione. Quòd Italorum animos non tam auidos pecuniæ, quàm existimationis, nimium quantum commouit: cum se viderent Hispanis in tantum posthaberi: vt his omnia, sibi nihil erogaretur.

tur.

1593. tur. Igitur Camillus Capisucchius Tribunus, & plerique Centurionum Carolum Ducem adeunt: vulgatam famam renunciant: queruntur, Italicam Nationem virtute non vltimam, adeo neglectam haberi. Suis quoque Internuncijs ipsi Milites Carolo significarunt: *Animum sibi esse ob quacumque dilata stipendia nequaquam tumultuari, nec Hispanorum imitari exemplum: imò paratos esse se magnanimum Ducem, quocumque locorum traheret, intrepidè sequi: Catholicique Regis in obsequium sanguinem, animamque profundere. Vnum tamen orare se, ne in distributione stipendiorum cæteris, ac præsertim Hispanis, posthaberentur.* Egit Carolus gratias Italicarum Copiarum Præfectis, quòd rite peregissent partes suas; reliquisque Militibus, quòd tam prompto essent animo in obsequium Regis. Promisit eorum se memorem semper futurum; nullamque in stipendijs habituros prærogatiuam Hispanos. Verùm vbi paulò post aduecta pecunia fuit, allatæ simul fuere Petri Ernesti Parentis literæ, qui cuncta suasu, atque auctoritate Fontani Comitis agebat. Eis iubebatur Carolus ex transmissa pecunia solis Hispanis terna stipendia persoluere. Quæ iussa cum ægerrimè accepisset, Italis Ductoribus patefecit, non sinè nouis pollicitationibus adiectis. At cum primùm ad Italicas copias eius rei rumor manauit: infremere statim omnes, ac signa discerpere: tumultuarium sibi Ducem (Electum appellant) imponere: aliosque creare Militiæ Præfectos, ijs ab se ignominiosè reiectis, qui suis nollent tumultibus assentiri. Accesserunt Italis plerique Vallones, aliarumque Nationum Equites; communem ducentes iniuriam, vnius Hispanæ gentis rationem haberi. Duo ferè millia seditiosorum fuere. Hi Pontem, Hannoniæ pagum, occuparunt. Neque inde finitimas Regiones populari destiterunt, donec sua percepere stipendia. Rhenobergæ quoque, & Meursiæ Præsidiarij, quam ab Regijs Administris non accipiebant rite pecuniam, per fas, & nefas ab Oppidanis, à Rusticis, à vicinis, crebris excursionibus extorquebant. Adeò solutis in tempore stipendijs magnam partem Militaris disciplina fulcitur.

Caroli promissa inania.

Capta Gertrudisberga, Georgius Berardus Solmensis Comes cum Peditibus ter mille, & quingentis, atque octingentis Equitibus Vasiam ditionem in Flandria, Antuerpiæ obiectam, inuasit. Causam prætexuit, quòd ea prouincia negaret consuetam pecuniam contribuere Fœderatorum Ordinum Præsidijs ibidem collocatis. Pedites ad pagum, Steecham nomine, missi, Hispanos loci Custodes viribus, ac numero valde inferiores, illinc facilè dispulerunt. Cumque hi ad munimentum in ripa

Solmensis Comes Vasiam Terrā in Flandria percursat, & vastat.

K Scaldis

1593.

Scaldis situm se reciperent; eorum aliquot ab Hollandis insequentibus capti: pagus incensus est. Equitibus ad Sancti Ioannis propugnaculum excurrentibus obuiam prodiere Lotharingi Equites: sed octoginta aduersùs octingentos. Quare ipsi quoque leui negotio, partim capti, partim fugati. Deinde Peditatus ad oppugnandum Diui Iacobi propugnaculum ductus, admotis tormentis, Defensores compulit ad deditionem. Eadem ratione Diui Ioannis munimento potiti. His veluti disiectis aggeribus, licenter iam per agrum omnem effundi, ac debacchari, exundantis instar fluminis, hostili militum insolentiæ liberum fuit. Ergo Villas vniuersas deprædari, vastare campos, omnia desolare. Verùm vbi Solmensis audiuit Christophorum Mondragonium Antuerpiensis Arcis Præfectum cum sex Equitum turmis, ac bis mille Peditibus contra se aduentare, & copias adhuc maiores subsecuturas; vasa statim collegit, prædâque consarcinatâ, æquatis solo munimentis, impositoque Rusticis graui tributo menstruo, nauibus in Hollandiam remigrauit. Cum Mondragonio fuit Alphonsus Idiaquius: qui adiunctis sibi Ductoribus alijs Hispanis, ac voluntarijs Militibus egregijs, loca quædam ab Hostibus occupata recuperauit.

Carolus Coloma lib. 6.

Hispanorum de Hollandis Equitibus victoria, & præda.

PRIOREM iacturam sarcire paulò pòst Regij Milites visi: cùm Hollandicum Equitatum prope Traiectum ad Mosam spoliarunt. Deuehebantur ad Bullionium Ducem aureorum quinquaginta circiter millia. Ad eorum custodiam missi fuerant aliquot Bredæ Præsidiarij. Hi dum haud procul Traiecto iter habent, in Regios fortè incurrunt. Qui spe ingentis prædæ inflammati, hostes aggrediuntur, circumsistunt: parte pecuniæ spoliant, decem nempe millibus aureorum: equos abducunt: hominum multos capiunt, plures cædunt. Ita belli fortuna more suo varians, superiora damna præsenti lucro pensauit.

Mauritius Brugis potiri conatur, sed frustra.

SVB huius anni finem animus fuit Mauritio Brugas occupare: sed improsperum exitum nactus est. Suadebant id consilij Factiosi, quos à suis Partibus habebat in Vrbe: Regiarum præterea rerum à Gallica expeditione imminutio, à tumultibus Militum perturbatio. Contra tamen plerique obiectabant Vrbis magnitudinem, potentiam, munitionem. Eam ad interiora Flandriæ sitam ab omni parte defensum iri: & vix captam, ab hoste circumiecto recuperandam. Sumptus futuros maximos, fructum nullum. At Mauritius, vt animorum, ita spei plenus, quasi rem tentare nil nociturum esset; vnà cum Guillelmo, Philippoque Nassauijs, ac duobus fratribus Solmæ Comitibus ad

eam

1593. eam ſ: oppugnationem accinxit. Igitur Guillelmoſtadij (quod Oppidum in exigua Zelandiæ Inſula Guillelmus Parens extruxerat) exercitum coëgit Peditum ferè ſex millium: obſidionales machinas multas, variaſque præparauit. His omnibus Claſſe ducentarum propè nauium inſtructa in Flandriam velificatus eſt. Nocturno tempore in littus facta deſcenſio: ac ſub diuerſis Militiæ Præfectis agmina diuiſa Brugas verſùs deducuntur. Primam aciem Georgius Berardus Solmenſis Comes agebat, cum qua Dimmam accedens (Oppidum leucâ vnâ Brugis diſſitum) ibidem cæteros expectauit: ſed incaſſum. Quippe per noctis tenebras, ipſorum conſilio cæteroquin opportunas, huc illuc acti, atque diſperſi, non ante primam lucem cum alijs conuenere. Multi etiam longo errore fatigati ſe recepere ad naues. Quare Mauritius, qui ſpem omnem in occulta, atque improuiſa aggresſione locauerat; à nocte perturbatus, à die proditus, optimum factu duxit receptui canere. Idque in articulum temporis incidit maximè ſalutarem: cum videlicet parum abfuit, quin à ſuburbani cuiuſdam munimenti Præſidiarijs detecti hoſtes incolumes abire minimè ſinerentur.

Nauium Hollandicarum magna clades.

VERÙM quæ damna pasſi non ſunt ab hominibus in continenti, à procella pertulerunt in mari: cuius valida impresſione periclitata eſt adeo Claſſis vniuerſa; vt compluribus Gregarijs deſideratis, vix ipſe Mauritius cum Primoribus potuerit ſcaphis inſcenſis in tutum euadere. Neque in hanc ſolum quaſi tumultuariam Claſſem, Belgijque Fœderati partem exiguam, ſuum ea tempeſtate furorem exonerauit Oceanus: ſed etiam contra maiorum nauium ingentem numerum, ad mercaturam inſtructarum, memorabilius damnum, & cladem ſæuiorem inuexit. Namque Texelam inter, & Nielandiam, minores Hollandiæ Inſulas, quadraginta ſupra centum ſtabant in anchoris naues, quibus Hollandi, Zelandique Mercatores coaceruatam variarum mercium vim in alias terrarum partes importaturi, nauigationi ſecundos ventos expectabant. Ecce autem ex improuiſo atrox oborta tempeſtas turbinibus violentis abripit naues, abſtrahit in diuerſa, ad breuia, & ſaxa latentia impingit: miſerabilem edit rerum, atque hominum ſtragem. Quatuor ſupra quadraginta onerarias, & quicquid in eis erat, abſorbuit mare. Hominum extincti ferè mille, & quingenti. Emporia multa incredibile dicuntur ob eam rem paſſa detrimentum. Vt mortales intelligant, aëri quoque, ac mari ſuos impetus, arma ſua eſſe; quibus, imperante Deo, vel nauigantem auaritiam obruant, vel hæreſim bellantem.

DE
BELLO BELGICO
LIBRI TERTII
SVMMA.

ERneſti Archiducis ad Belgium gubernandum aduentus. Couorda à Verdugo obſeſſa, à Mauritio liberata. In Gallia Iſabellæ Infantis electioni Mænius obſtat: & Borbonium Cardinalem promouet. Contra illam decretum Pariſienſis Senatus. Henricus in Eccleſiæ Catholicæ ſinum redit: de quo diuerſa hominum ſenſa. In Vrbe Sancti Dionyſij ſolemnibus cæremonijs Romanæ Fidei ſe reddit. Erneſtus Archidux tractationem pacis proponit in ſuo Senatu: eamdem Fœderatis Belgis offert: quam illi recuſant. Mauritius Groningam obſidet: acriter oppugnat: ac tandem deditione capit. Eius victoriæ ſama, & gloria.

DE
BELLO BELGICO
LIBER TERTIVS.

Anno 1594.

Libro 1.

Ernestus Archidux venit in Belgiũ Gubernator.

LÆTISSIMVM anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto principium fecit Archiducis Ernesti, Rodulphi Cæsaris fratris, iamdiu exoptatus, ad Belgium Regis Auunculi nomine administrandum, aduentus. Iam suprà memorauimus, hunc præ cæteris à Philippo delectum ad eas laborantes Prouincias consilio, atque auctoritate fulciendas. Is igitur Hungariæ procuratione, bellisque defunctus, huius anni principio è superiore Germania in inferiorem proficiscens, honorarium comitem habuit Ernestum Bauarum, Coloniensem Antistitem, atque vnum è Septem-viris Cæsarum Electoribus. Lucemburgi primùm à Petro Ernesto Comite Mansfeldio, vti tantum decebat Principem, exceptus fuit: tum Namurci à Comite Barlæmontio. Niuigellæ Fontanum Comitem obuium habuit honoris ergo: Hallæ Chymacensis Principis vsus hospitio. Ianuario demum exeunte Bruxellas inuectus est eâ pompæ honorificentiâ, qua maior ne Regem quidem ipsum fuisset exceptura. Concursus hominum is fuit, vt in Vrbem vnam totum confluxisse Belgium videretur. Arcus passim erecti triumphalibus pares. Ingenio summo, ac labore excitata pægmata; in quibus nouem Austriacorum Cæsarum simulacra, & præconia spectabantur. Ignes varias in formas erupturi artificiosis in machinis præparati. Bombardarum festiuæ displosiones, alijque strepitus plus præferentes lætitiæ, quàm horroris. Tres solidos dies, ac prope totidem noctes ea celebritas tenuit, tanta publici gaudij significatione: vt omnes præteritarum obliti calamitatum, felicia in posterum cuncta sibi sponderent.

Læta,& honorifica eius exceptio.

HIS absolutis; vt agendis rebus initium quamprimùm daretur; Regio Senatu coacto, Ernestus Archidux Regias literas publicè recitandas exprompsit: quibus disertissimè præcipiebatur Belgis, vt Archiduci non tamquam Gubernatori, aut Proregi, sed haud aliter, quàm ipsimet præsenti Regi parerent. Tum Petrus Ernestus Mansfeldius, qui Belgium ad eam diem

admi-

1594.

administrarat, assurrexit, suoque se munere abdicans, ius omne cessit Ernesto: eidemque vnà cum alijs obsequij, fideique præstitit sacramentum. Actæ demum solemni ritu Deo grates: secutusque gratulationem Principum plausus Populorum. Nec longè post redeuntes Bacchanaliorum dies Equestribus pompis, & simulacris belli, quæ vocant hastiludia, hilariores facti. Et iam vnus, alterque dies cum ea lætitiæ celebritate processerat. Tertio verò (vt humana gaudia numquam ad purum fluunt) subitus rumor Bruxellas permanauit, Ordines Fœderatos Syluæ-Ducis obsidionem moliri. Quare à fictitijs pugnis ad veras conuertendi animi, ac manus fuere. Conuocato Senatu bellico, præsentibus periculis propositis, rogatisque Procerum sententijs; præcepit Ernestus, vt duo simul Exercitus in promptu essent: alter Syluam-Ducis versùs mittendus contra Hollandos: alter in Galliæ fines, cui Carolus Mansfeldius imperaret.

De Syluæ-Ducis obsidione rumor vanus.

AT Mauritius, seu verè Syluam-Ducis obsidere tentasset, rem tamen frustratus exitus fuisset (quod nonnulli tradiderunt) siue potiùs, ad fallendos hostes, falsam eam vulgari famam mandasset, vt veriora consilia laterent; nouum architectatus est militari astu commentum. Nauem ædificari iussit longam, plano alueo, duplicique tabulato instructam. Inferioris in latebras abdi voluit Milites veteranos ferè centum cum quinquaginta sclopetis grauioribus. In superiori verò variæ merces constipatæ cernebantur. His artibus, ac dolis armata nauis per fluuium Mosam prouehitur Traiectum versùs, Vrbem Brabantiæ nobilem, ad eiusdem fluminis ripam vtramque sitam. Bipartita enim Vrbs est amne interfluente, ac duabus quasi Vrbibus composita. Maiorem partem Traiectum ad Mosam, minorem Vicum appellant. Interea Mauritius longè maiores copias in varijs circumiectis Vrbi locis, velut in insidijs, collocauerat: vt vbi primùm è naui Milites clam egressi Vicum occupassent, auxilio ijsdem accurrerent. Verùm ad lapideum pontem, quo pars vtraque Vrbis committitur, statim atque nauis accessit; videntes Nautæ supra pontem ingenti numero Ciues gladijs instructos discurrere; suspicati sunt (vt sequaces fraudum esse solent suspicio, ac timor) se proditos fuisse, atque à Ciuibus armatis, non tam ad pugnam, quàm ad cædem expectari. Igitur terrore ad latentes Milites cum suspicione transmisso; nihil prius, aut potius omnes habuere, quàm se fugæ citatissimæ dando, eamdemque relegendo, quam peregerant, viam, in Hollandiæ suæ sinum, anfractusque tutissimos conuolare. Mauritius

Campana p. 3. lib. 2. Franciscus Lansius de bell. Belgic. ann. 1594.

Mauritij stratagema contra Traiectum ad Mosam disiectum.

1594. ritius verò ea quoque ſpe deiectus, cum ſuis copijs Arnhemium ad Comitem Solmenſem ſe contulit, vt conductum è Germania militem luſtraret. Inde ad liberandam obſidione Couordam profectus eſt cum Exercitu Peditum duodecim millium, Equitum ſupra bis mille.

Mauritius monet ad liberandā Couordam a Verdugo obſeſſam.

Verdug. lib. 11.

VERDVGVS Couordam obſidebat, auctus ab Archiduce non ſemel variorum ſupplemento militum: qui tamen ob difficultatem itinerum, defectumque ſtipendiorum redacti ad pauciſſimos erant. Progreſſus contra Verdugum Mauritius; ad pagum, nomine Ommenam, Caſtra poſuit: eademque aggere, foſſa, & vallo communiuit. Eo comperto, Verdugus è vicinis Præſidijs militum, quantum licuit, euocauit: eisque alios, qui iam erant in Caſtris, quique recens aduenerant, adiunxit. Longè tamen hoſtili minor exercitus erat: quippe qui trium millium, & quingentorum Peditum numerum haud ſuperabat. Equites verò multò pauciores, quàm hoſtium recenſebantur. Anceps itaque animi erat, quid conſilij caperet. Vt prælium auderet, hortabatur præſens periculum amittendi Campum, eosque aditus, quos tantis laboribus ad id temporis cuſtodierat; plurimaque inde damna conſecutura. Vt pugna abſtineret, cautiùs admonebat ſuarum virium tantò inferiorum hoſtilibus conſcientia. Sed quando è duobus vnum omnino ſuſcipiendum conſilium erat; præliari conſtituit: præſtabilius ratus victoriæ, iacturæ-ve aleam ſubire, quàm ſolam expectare iacturam. Quippe cum cæca ſors dominetur in bello; non ſemper potentior pars eſt in eo ſuperior.

Verdugus eū aggredi ſtatuit.

HOC deliberato, Hermannum Comitem Thſerembergium cum omni Equitatu præmiſit, qui hoſtem aggrediendo, primis velitationibus euocaret ad pugnam. Simul eidem dederat in mandatis; vt dimicatione conſerta, paulatim ad reliquas copias cum ſuis ſe reciperet, dum è poſtremis Ordinibus aliqui continenter pugnarent. Quòd ſi recedentes Hoſtis inſequeretur, domum quamdam incendendo, Verdugo ſignum daret, qui Peditatum habebat in procinctu, vt ſtatim in eius auxilium aduolaret. Verùm tam animoſa, tamque ſapienter inſtituta conſilia fruſtratus eſt Hoſtis: qui ſub ipſis munimentis haud ſemel laceſſitus, ex ijs numquam voluit efferre pedem; vt non immeritò fuerit Mauritius Romano Cunctatori æquiparatus; Belgasque ſuos ipſe quoque docuerit ſedendo vincere. At Verdugus opinione deceptus, in anguſtias redigi ſenſit Militem ſuum. Iam enim commeatibus præcluſi omnes aditus erant. Neque à finitimis pagis peti poterant, aut re vera carentibus,

Mauritius Caſtris ſe continet.

Card. Bentiuol. Relat. Belg. l. 3. c. 3.

aut

aut præ Religionis diuersitate negantibus. Imò & indidem deportare periculosum erat; cum ad eorum custodiam non sufficerent pauci: multis verò Castra nudare per Hostis vicinitatem haud liceret. 1594.

Verdugus penuria laborans obsidionem soluit.

IGITVR his anxius curis Verdugus primores Exercitus in concilium vocat. Præsentem rerum statum proponit in medium. *Alimentorum eam* monstrat *esse penuriam, vt in vnum, atque alterum diem vix essent satis. Aliunde petendi viam omnem interclusam. Hostem aggredi plusquam temerarium esse, præ illius numero militum multò superiore. Eumdem expectare, quid aliud esse, quàm obsidendos præbere se, qui Couordam obsidebant? Hostem intra munimenta se tenere, atque adeo in tuto esse. Sibi in aperto campo, periculis omnibus expositis omnia formidanda. Quòd si rebus prope desperatis, auderent animis adeo, vt Hostem inuadere non dubitarent; licèt id sibi non aliud videretur, quàm ad certam cladem ire præcipites: tantum in suo corpore, quamuis ætate, bellorumque tot laboribus fesso, adhuc superesse virtutis; vt minimè timeret ad mortem haud dubiam, vel sequi præcurrentes, vel, vti Ducem deceret, praire sequuturis.*

HAEC postrema in argumentum generosi pectoris, & ad militarem fouendam alacritatem, verba non ita exercitus Principes commouerunt: quin mentem Ducis introspiciendo, & ante dicta spectando, numero maiore decernerent, vt inde Castra mouendo solueretur obsidio, atque integer Exercitus in tutum deportaretur, donec maiorum copiarum augesceret supplemento. Eo quippe deleto Exercitu, regionis totius iactura consequeretur. Thserembergij fratres ambo in ea erant sententia, vt, quem tenebant, aditus, relicto militum Præsidio, custodiretur: ne subsidium in Arcem Couordæ Hostis induceret. At id alij dissuadebant: ne copiæ diuiderentur. Addebantque, non idcirco prohibitum iri Hostem Groningam accedere (quod præcipuè spectandum) cum parte aliâ tutior eidem, commodiorque pateret via. Vbi de recessu per Exercitum manauit rumor; incusare plerique Verdugum ignauiæ, qui paulò ante temeritatem eidem obiectantes, ad carnificinam se duci palam querebantur. Ita qui maximè timent, vbi fuerint extra periculum, plurimum iactant animorum.

Præsidiū Groningam remittitur.

ACTVM præterea est de remittendis ad Groningæ præsidium eductis inde militibus, alijsque: reliquo verò Exercitu intra Oppidum aliquod collocando, vbi ab Hoste tueri se facilè posset, quandoquidem eum petere non licebat. Verùm cum illis præesse præ stipendiorum penuria nemo vellet; ipse sibi

Ver-

1594. Verdugus id muneris destinauit. Moderationem verò exercitus alteri demandare cum studeret, eam quoque qui susciperet, inuentus est nullus. Adeò imperium humano ingenio suauissimum vel defectus pecuniæ, vel periculorum copia triste, ingratumque reddebant. Tandem è Præfectis Militum vnum eam subire prouinciam reducendi Groningam copias coëgit. Ipse cum cæteris è Couordensi agro recessit, succensis ante, quæ struxerat, munimentis: & Denicam in finibus Transisalanæ prouinciæ sitam profectus est. Feliciter ei res cecidit, quòd castra mouentem, ac tot pressum angustijs, Hollandi earum conscij non insectarentur: vt consuetudo militaris, & artes belli poscebant. Exinde Vallones aliquot Groningam transmisit, aliosque Milites in præsidium Vrbis se missurum, ad Groningenses scripsit. Sed hi nouum hoc Præsidium recusarunt; nisi opportunius cum eo subsidium pecuniæ inueheretur, qua magis, quàm milite laborabant. At eâdem magis laborabat Exercitus: idque Verdugum impellebat, vt eum parte militum exoneraret. Verùm nè Groningensium animos iampridem commotos, ad defectionem magis irritaret, nouo Præsidio imponendo sapienter abstinuit.

Mænius nouis artibus obstat electioni Isabellæ.

HAEC dum in Frisia, finitimisque Regionibus geruntur, & bellicus ab vtraque Parte instruitur apparatus: in Gallia Mænius ad oppugnandam Isabellæ Infantis electionem, nouas admouere machinas est aggressus. Iamdudum ipse, quamuis lenta manu, promouebat ad Gallicum Regnum Carolum Cardinalem Borbonium iuniorem, Vindocinensem appellatum. Vbi verò vidit Hispanos magna contentione rem suam vrgere; tractationem illam tanto premere cœpit ardore, vt ad exitum penè perduxerit.

Di Vandomo,

Borbonium Cardinalem iuniorem promouere studet ad Regnum.

DELEGATORVM cuique seorsim demonstrabat: *Quàm detestandum esset Salicam legem violare: quàm arduum à Corona Borboniam stirpem submouere; cuius tum successionem firmauerant, cum seniorem Borbonium Cardinalem Caroli Decimi nomine Regem crearant. Quàm absonum auribus, animis ingratum accideret; succedere ad regnum fœminas, aut nouas Familias irrumpere, cum è Regio sanguine Principes non deessent: quorum unus eligi poterat, omnibus placiturus. Nam si Rex Nauarra pertinax adhuc erat in haresi; si Contyus Princeps ad regnandum ineptus; si Suessionum Comes amore perditus Principis Catharina, non minùs Henrico fratre Huguenotorum labe contaminata: Borbonium Cardinalem sine ulla eiusmodi exceptione superesse: qui semper vel cum suo discrimine intrepidus obstitisset Hæreseos incrementis: qui gradu dignitatis, &*

obsequio Fidei coniunctissimus Ecclesiæ fuisset, adeoque Summo Pontifici, Regique Hispano gratissimus Rex futurus: qui in ætatis maturitate constitutus, sui iuris esse posset, atque ad onus Regni per se sustinendum idoneus. Hanc electionem Regis Nauarræ spes omnes euersuram. Dubitari quippe non posse, quin Catholici omnes huius Asseclæ ad Cardinalem sectandum verterentur; ac solum cum desperato Huguenotorum Comitatu relinquerent Henricum. Quare Gallicis tantùm armis, sine exterorum auxiliis & redigi in potestatem Hæreticos posse, & Catholicum Regem Gallum Galliæ imponi.

HAEC momenta rationum à Mænio magnâ, quâ pollebat, auctoritate prolata, mirum quantam habuerint vim in animis Gallorum, ad Salicæ legis obseruantiam, ac reuerentiam Regij sanguinis sua sponte propensis. Ipse igitur animaduertens, partem Delegatorum maximam in suam se perduxisse sententiam; Præfectum Classis Villarium cum scriptis conditionibus, suoque nomine suâ manu subscripto, ad Cardinalem Borbonium misit, id temporis Gallione, in Oppido Rhotomagensis Archiepiscopi, commorantem. Verùm vix eum dimiserat, cùm ad eumdem celerem transmisit Nuncium, qui suo nomine iuberet, vt in demandato negotio lento procederet gradu. Huius noui consilij ea causa fuit.

Nouum initur consilium ad electionem Infantis disturbandam.

LVGDVNENSIS Archiepiscopus, Ianinus Præses, & Mompenseriæ Domina aliud ei machinamentum postremò suggesserant ad Hispanorum consilia euertenda. Id verò fuit, vt ad rem disturbandam Senatus Parisiensis auctoritas, quæ censebatur satis esse, adhiberetur. Quamobrem ipsa Mompenseriæ Domina primum Senatus Præsidem impulerat, vt rationem excogitaret, quâ Regnum in Exterorum potestatem venire vetaretur. Ille, vt Vir bonæ mentis, quique vnius Fidei Cathol. cæ tuitandæ gratia sequutus fuerat Partes Fœderatorum; acriter ad opus incumbens, post multorum dierum laborem, Calendis Iulij Senatus Classes omnes coëgit, effecitque, vt magno animorum consensu hoc fieret Senatus-Consultum.

Parisiensis Senatus contra eam decretum.

Quòd ad Senatum Parisiensem de Regni securitate relatum est; atque ab omnium Classium Senatoribus in legitimo Conuentu deliberatum; nullusque finis propositus alius fuit, nisi conseruatio Religionis Catholicæ Apostolicæ Romanæ, Regnique Gallici sub Rege maximè Christiano, Catholico, Gallo: ob eam rem mandauit, ac mandat, ut Senatus Præses Ioannes Magister, cum decenti Senatorum comitatu, Manium Ducem Gallici Regni Locum-tenentem adeat, eique coram Principibus, atque Administratoribus Regni Lutetiæ degentibus, Senatus uniuersi nomine significet: nullam institui debere de

regno

1594. *regno Principibus exteris tradendo tractationem; ut ea potissimùm leges obseruentur, quæ fundamenta sunt Regni. Senatus consulta de Rege Catholico, Galloque declarando in opus redigenda. Auctoritate concessâ Mænius Dux utatur ad obsistendum, ne sub Religionis obtentu ad exteros Corona Gallica, contra Galliæ iura, transferatur. Idem quamprimùm Populi ad extrema redacti saluti prospiciat. Omnes demum tractationes initas, aut ineundas in posterum, ad Gallicum regnum cuiuis extero Principi committendum, Senatus Parisiensis, irritas, inanesque declarat, utpote Salicæ legi, alijsque Regni præcipuis aduersantes.*

HVIVSMODI decretum à Præside Senatus palam Mænio propositum; ab eo per speciem indignantis exceptum est, grauibus verbis audaciâ Senatus castigatâ. Re tamen ipsâ valuit ad Hispanorum consilia disturbanda. Ordinum quippe Conuentus, quem commouere maximè debuit, ob auctoritatem vsurpatam; æqui bonique id consulere visus est, ab Hispanorum petitione Mænij Ducis operâ abalienatus. Neque minùs ab ea Parisiensis Populus abhorrebat, toto pectore inhians inducias, de quibus maximo studio Surenæ agebatur. Lassus enim calamitatum, atque discriminum, & dulcedine quietis pellectus, quam in armorum cessatione prægustarat, concordiam impatienter affectabat; Principibus, Conuentuique identidem minans, nisi eam deliberationem capere maturarent.

Quis de illo sensus Ordinum.

VERÙM postremum Hispanorum consilijs terminum posuit inopinata, ac subita Henrici Regis deliberatio. Rerum is omnium, quæ tractabantur, haud ignarus, non temere subueritus est, ne cum primùm Fœderati Borbonium Cardinalem Regem elegissent; à suis ipse Catholicis Sectatoribus destitueretur: id quod sagax præsenserat Mænius, prædixeratque (vti retulimus) Delegatis. Neque obscura eius rei apparebant indicia. Resonabant passim obtrectantium voces: nec solùm, vt antea, Principes, ac Primates Regni; sed Priuatus etiam quisque dolebat vehementer, ac detestabatur, quòd fortunas omnes, ac vitam ipsam impenderet ad Hæresim stabiliendam, quam priùs persequi, atque oppugnare solitus esset. Quin ad ipsa Regis penetralia querelæ peruadebant frequentes, quòd eos toties fefellisset iterata promissorum fides. Mompenseriæ verò Dux audacter denunciauit Henrico; *Propè tam esse, ut à Principibus cunctis destitueretur: seque, quamuis ingenti cum dolore mutaret mentem, ad animi tamen salutem, & conscientiam in tuto collocandam, esse nolle postremum.* Denique Scombergius Comes à Villaregio præmonitus eidem aperuit: *Villarium Classis Præfectum itineri se de-*

Henrici deliberatio repetina, eiusque causæ.

 disse,

 1594.

diſſe, ut Regni capeſſendi conditiones ad Borbonium Cardinalem deferret: hunc verò paucos intra dies cum Principibus omnibus Lutetiæ futurum. Scripſit quoque Villaregius, *E duobus periculis alterutrum vitari haud poſſe: ne vel Cardinalis Borbonius creatus Rex cum Catholicis Sectatoribus ſpoliaret: vel Hiſpania Infans, & Guiſius ad Regnum euecti cum uniuerſa Hiſpana potentia in eius perniciem conſpirarent.*

Henrici ad Catholicā Fidem reuerſio.

TOT adeo,tamque vrgentibus incitamentis adactus,& concuſſus Henrici animus: aut potiùs tam potentium neceſſitatum concurſum Diuini vim Numinis interpretatus; ad Fidem ſuam reuocanti Deo manus poſtremò dedit.Quare vt ad eam rite reſumendam aptis præceptionibus inſtrueretur, euocari vndique Regni Præſules, ac Theologos ad ſe iuſſit. Hi Meduntæ coacti cum ſatis de rebus Fidei controuerſis Henricum edocuiſſent: is animum tranquillare viſus eſt,ac Diuinam agnoſcere dexteram ab diuturnis erroribus ſe ad veram ſalutis viam reducentem. Famam quoque promanare iuſſit, ſe octauo Calendas Auguſti in Vrbe Sancti Dionyſij Chriſtiano ſacrificio interfuturum. Hunc ipſum nuncium eius Delegati pertulere ad Surenenſes congreſſus: in quibus Archiepiſcopus Bituricenſis,rebus antea-ctis omnibus recenſitis, adiecit: *Regem Henricum Piſanij Marchionem iampridem legaſſe Romam, ut ſua ad meliora conuerſioni veniam Pontificiam impetraret: cum verò nihil ille confeciſſet, nolle longiores moras ipſum innectere ſaluti ſuæ: ſed ſtatuiſſe Deo reconciliari quamprimùm; atque ad eius deinde Vicarium debitis obſequijs colendum, decoram, atque honorificam adornare Legationem: Galliæ Præſules, inſignes que Theologos in conſilium iuiſſe; ac demum decreuiſſe, utì Rex ad maiorem cautionem Hæreſi abſolueretur, Sacris intereſſet, & ab Romano Pontifice veniam peteret. Hanc eos viam nactos eſſe breuiſſimam omnium, tutiſſimamque: tum ne Regnum exterorum voluntati obnoxium foret; tum ut eiuſdem neceſſitatibus maturè conſuleretur.* Contra verò Lugdunenſis Antiſtes diſſeruit: *Neque Regem haberi Henricum poſſe ſine conſenſu, neque abſolui ſine declaratione Pontificis:* adeoque teſtatus eſt, *Se, cæterosque Fœderatos iniuſſu Romanæ Sedis non illum veneraturos, ut Regem, non ut Catholicum habituros. Eam quippe conſulendam omnino, antequam ipſe abſolueretur.*

De ea varij ſenſus.

HVIVS tamen conuerſionis didito per Populos rumore, cohiberi hominum ora non poterant, quin eam exciperent plauſibus, longè, latèque vulgarent, ad Regni quietem vnicè accommodatam profiterentur. Hinc Pontificius Legatus in ſummas animi redactus anguſtias, nihil habuit potius, quàm

ſcriptum

1594. ſcriptum ad Gallos Catholicos tertio Idus Iulias euulgare. Eo commonebat de fallaci auctoritate, quam ſibi temere nonnulli Galliæ Præſules arrogabant ad Henricum Eccleſiaſticis vinculis abſoluendum. Hortabatur, ne ſimulatæ conuerſioni Fidem haberent. Poſtremò ſingulis interdicebat eorum Conuenticulis intereſſe cum periculo ſubeundi anathematis, iacturæque tam bonorum, quàm honorum Eccleſiæ faciendæ. Surdis tamen hæc auribus canebantur; omnium animis ad optatiſſimum exitum commotis, & Religionis obice ſubtracto, pronis ad legitimum Regem, Regnique quietem alacriter amplexandam. Principes verò cum ab nutu Romanæ Sedis, iudicioque Pontificis pendere vellent definitionem rei; nihil priùs innouandum cenſebant, quàm de Regis conuerſione, ac Pontificis mente liquidò conſtaret. In hanc ſententiam ab neceſſitate rerum expreſſam, atque à Mænio Duce propugnatam, Guiſius ipſe conceſſit: qui ſui electionem in eo temporis articulo ridendam cæteris, ſibi perniciosam futuram exiſtimauit: vnàque cum alijs Principibus idem conatus eſt Hiſpanis Oratoribus perſuadere.

INTER hæc Pariſienſis pars magna Ciuitatis ad ſpectaculum Regis in Eccleſiæ ſinum rediturí confluxerat pridie, quàm abſolueretur. Hoc autem peractum octauo Calendas Auguſti. Eo igitur die, Hiſpanici Regni Præſidi Iacobo ſacro, Catholicæ Fidei denuo Candidatus Henricus albis conſpicuus veſtibus, magno Principum comitatu, nec ſine ſatellitio, corporisque Cuſtodibus armatis, Templum adiuit maximum Vrbis Dionyſianæ. Eius obſeratæ fores erant: at ſupremo Cancellario pulſante, illico patuere. Tum verò videndum ibi ſe præbuit Bituricenſis Archiepiſcopus, Pontificali habitu, ac maieſtate, ſublimi ſolio ſedens, magna ſtipatus Antiſtitum corona. Is ex antiquo Eccleſiæ ritu, ſolemnibus quæſiuit ab eo verbis: *Quis eſſet, quid-ve peteret?* *Henricum ſe eſſe*, reſpondit ille, *Galliæ, ac Nauarræ Regem: enixèque depoſcere; ut in Catholicæ ſinum Eccleſiæ reciperetur*. Ad ea ſubiecit Antiſtes. *Num id ex animi ſententia poſtularet? Num ſynceræ veterum errorum pœnitentia tangeretur?* Tum Rex in genua prouolutus, *Anteacta vita ſe dolere vehementer errata, deteſtarique*, aſſeruit: *Seque velle in poſterum ad extremum uſque ſpiritum viuere Catholicum, intra Romanam, Apoſtolicamque Eccleſiam, uniuerſis hæreſibus eiuratis: eamdemque ſe pollicitus eſt, vel cum ſanguinis, ac vita ſua profuſione defenſurum*. His dictis, cum oblatam Fidei profeſſionem, ac ſua manu ſubſcriptam, elata voce de ſcripto recitaſſet; inter ingentes po-

Cæremoniæ, quibus in ſinum Eccleſiæ recipitur.

1594.

Populorum acclamationes,perpetuumque fragorem plaudentium bombardarum, ad interiora Templi deductus fuit. Hîc genibus ante Aram maximam flexis,preces Archiepiscopo præeunte protulit: quæ spoponderat, iure iurando confirmauit: atque in pedes erectus osculum Altari, & signo Crucis impressit. Tum seorsim ad aures eiusdem Antistitis animi noxas arcana confessione deposuit. Interim verò Hymnus Ecclesiæ, à Diuis Ambrosio, & Augustino alternis olim decantatus, festis Musicorum concentibus resonabat. Indè ad præparatam se contulit sub vmbella Regiam sedem: & cum omnium manifesta lætitia, plausuque,Sacro interfuit solemni, quod Nannetensis Episcopus peregit. Sparsa quoque, pro more ingentis, & publici gaudij, in vulgus missilia. Quibus absolutis, non sinè incredibili vndantis Populi concursu, lætisque vociferationibus vitam Regi diuturnam comprecantium,ad suam ipse Regiam reductus est. Nec minùs religiosè pomeridianas eiusdem diei horas traduxit. Tunc enim habitam ab ipso Bituricensi Antistite concionem: & decantatas Vespertinas Dei laudes audiuit. Vt Catholicæ Religionis præseferendæ punctum prætermiserit nullum.

Quid tum actum in Parisiensi Conuentu.

At in Lutetiæ Conuentu datum interea fuerat responsum, Hispanis Oratoribus minimè gratum. Mænius quippe actis de more, Catholico Regi profusissimis gratijs, tum ob auxilia tempore transacto collata, atque in futurum promissa; tum etiam ob cumulatam gloriâ stirpem suam, dum Fratris filio Guisio Duci oblata fuit Hispaniarum Infans in Vxorem; *Eam esse* dixit *Ordinum, totiusque Conuentus sententiam: immaturum id temporis videri ad Regem eligendum: oratum omnes velle Catholicum Regem, ut opportunitatem tantæ rei præstolari ne dedignetur: neve interim ipsos consueto patrocinio,promissisque subsidijs destituat.* Secundùm hanc deliberationem decretum fuit, vt ad sanciendas inducias neruis omnibus incumberetur. Hæ trimestres in Surenensi congressu constitutæ ad Octobris exitum vsque; & cum Populorum omnium acclamatione promulgatæ.Cumque Mænius vellet Parisiensem Conuentum pro dignitate dimittere; condi primò decretum voluit, vt Tridentinum Concilium acciperetur: tum omnes concepto iure iurando polliceri, initum fœdus se non abrupturos: postremò paratos esse in proximum Octobrem eòdem conuenire, vt ex ijs, quæ Româ perferrentur, de rerum statu decernerent. His ita constitutis, ad sua Delegatorum quisque remigrauit.

Induciæ trimestres indictæ.

Parisiensis Conuentus intermissus.

Vt verò nos in Belgium reuertamur: Ernestus Archidux;

&

1594. & moderatæ propensione naturæ, & Cæsaris fratris consilijs, & ipsius, cuius locum obtinebat, Auunculi Regis mente perspecta, totus conformatus ad pacem; eam via quauis inquirere, ac stabili ratione firmare aggressus est. Igitur de re tanti momenti, imò de summa rerum, ad Regium Belgij Senatum referendum ratus; euocat illum de more: calamitosissimam Belgarum conditionem ponit ob oculos: Belgici belli tam pertinacis, tam exitialis vtrique Partium mala in memoriam reducit: quærit remedia; sententias rogat.

In Belgio Ernestus Archidux tractatione pacis aggreditur.

Habetur ea de re Senatus.

BELGARVM Proceres, quorum præcipuè res agebatur, quibusque diuturnum bellum opes, agros, ditionem dissipabat in dies vel in hostium prædam, vel in stipendia militum Regiorum; nihil prius habuere, quàm detestato bello, pacem commendare, pacem poscere. *Eam esse Regis optimi mentem, semper in bonum publicum propensam. Tanti ei stetisse tot annos, quibus in Belgio pugnatum est, ut æraria Regia propemodum exhausta pecuniam agrè sufficiant. Qua deficiente, in Regem pugnare milites, non pro Rege. Hinc toties varijs in locis obstrepuisse tumultus, ac seditiones: Quid Regi prodesse ditionem, totam olim ipsius, quotidie magis ab hostibus abrodi, ac lacerari? Ex quo Mars Belgicus migraßet in Galliam; continenter ad Hollandos inclinasse victoriam. Eorum res bellando meliores fieri, Regias deteriores. Quo plus regionis hostes armis acquirerent; eò fieri, ad reliquum acquirendum, viris, atque opibus validiores. Regios contra non modò subiectis locis, ac Populis; sed viribus etiam ad possessa tuenda, nedum ad amissa recuperanda, paulatim destitui. Spem verò recuperandi, dum ad bellum prorogandum inuitat; blandè fallere, atque ad iacturam reliqui faciendam pellicere. Bellum fortunæ ludum esse crudelem. At in ludo plerumque qui magnam opum vim dilapidauit, eas reparandi spe illectus, ac delusus, dum pergit ludere, illas etiam, quæ supererant, perdit. Similem in continuando bello agnosci deceptionem. Quorsum igitur certam potioris Belgij partis possessionem incertis belli euentibus committere, ac fortunæ obijcere, iamdiu Regijs terga vertenti? Quantò futurum Regi gloriosius, eiusque Belgicæ ditioni salutarius, res bello fluctuantes, ac turbidas honesta pace componere: quàm arma prosequendo, hostibus secundiora, in extremum adducere discrimen, quicquid Hispanis in Belgio reliquum est? Pacem itaque cum eis conditionibus, quæ Catholicæ Fidei, Regiæque Maiestati congruerent; Archidux ipse Regis nomine hostibus offerret: ut si eam acciperent; restituta Belgio securitas, quies, felicitas, Europâ vniuersâ plaudente; accepta referretur Ernesto: sin verò recusarent; perniciosissimi belli cum adiunctis calamitatibus prorogati odium commune Belgarum;*

Belgæ in illam propendent.

Pro ea rationes.

ac generis humani conuicia in ipsorum capita deuoluerentur. Rex verò, ac Regia mentis interpres Archidux iustissimam apud omnes haberent excusationem. Sic Belgæ perorabant pro Regis vtilitate, ac gloria: an pro re magis, ac Domo sua? 1594.

Contraria Fontani Comitis sententia, eiusque argumenta.

FONTANVS verò Comes, qui auctoritate apud Archiducem antecellebat omnes, non dubitauit contra communem, & palam expositum Belgarum sensum, atque ipsius Archiducis animum perlucentem, hæc pauca proferre. *Regiarum in Belgio rerum deteriorem statum, quem Belgæ Proceres, ad suadendam pacem, proposuissent in medium, eam vel maximè dissuadere. Petitionem namque pacis, quæ tam difficili tempore fieret, interpretaturos hostes imbellicitatis indicium, non officium humanitatis. Ab eo pacem honestè offerri, qui sit bello superior. Tempus igitur expectandum, quin & sperandum; cum Rex, eum benigniùs respiciente fortuna, cui non semper unus est vultus; dare posset pacem, non petere: suamque lenitatem in rebelles adeò peruicaces voluntariam ostenderet, non coactam. Eo verò infelici tempore pacem obtrudere, ab ipsis victoriâ insolentibus facilè respuendam, quid aliud esse, quàm eorum arrogantiam in immensum augere: regiumque nomen, atque auctoritatem, quæ solent, ac debent esse Populis omnibus sacrosancta, in hostium ludibrium, in fabulam Nationum exponere?*

HIS à Fontano, quamuis ardenter pro more, atque ingenio prolatis, nequaquam Archidux à sua, Belgarumque sententia deductus est. Animi quippe lenitate Belgis propior, quàm Hispanis, periclitari statuerat, an tractatione pacis medelam aliquam tot Belgij malis afferre posset, quæ continuatione Belli exulcerari magis in dies quotidiana docerent experimenta. Igitur de pace ineunda cum Ordinibus Belgij Fœderatis acturus; literas ad eos dedit: quarum summa hæc erat. *E superiore Germania in inferiorem se non inuitum migrasse: & patriam, suos, ac præsertim Rodulphum Cæsarem amantissimum fratrem reliquisse: ut Belgium Regis Auunculi nomine gubernando, viam indagaret omnem, quà posset quietem publicam, communemque felicitatem inde iamdudum exulantes, quasi postliminio, reuocare. Vbi primùm ingressus est Belgium, nihil habuisse antiquius, nihil obuersatum menti frequentiùs, quàm bonorum omnium parentem pacem florentissimæ quondam Belgarum regioni, velut ipsius regno, restituere. Exploratum sibi esse, Regis quoque benignam mentem in eamdem concordiam propendere: ut Populis illis, iam omnibus suis, aliquando liceret è tot calamitatibus emergere; & cessante demum tempestate bellorum, in portu conquiescere beatissimæ pacis. Reputarent sapientibus animis Ordines Fœderati, quàm varia, quàm periculosa sit armorum alea,*

Archiducis pro pace literæ ad Ordines Fœderatos.

1594. *quàm sæpè victores antea, victis succumbant: Et qui audeant à superioribus victorijs sibi polliceri futuras, eos arbitrari, fortunam naturâ suâ semper instabilem, in prælijs, hoc est in ipso inconstantiæ regno, fore constantem. Tempus iam esse, ut Belgium tam diuturni belli calamitatibus fessum, imò tot suorum, atque exterorum cædibus cruentum; tot cladibus ubique lacerum, ac deuastatum; & secura tandem pace componeretur, & in pristinam reuocaretur incolumitatem, ac splendorem. Ad pacem, & quidem mansuram, stabilemquè sanciendam, omnem se offerre agendi synceritatem, conficiendi constantiam: nec suo tantùm, sed Cæsaris quoque Fratris, ac Principum omnium Austriacorum nomine, ad conuenta seruanda fidem polliceri. Studerent ipsi tam æquas postulare conditiones; ut eum nec apud Regem puderet illas proponere, nec suscepti, agitatique tam salutaris Belgio uniuerso negotij pœniteret.* His longè fusiùs expositis, in calce literarum alia multa reseruari dicebantur duobus Internuncijs euoluenda, qui easdem ab Archiduce literas ad Fœderatos Ordines perferebant. Erant autem hi doctissimi Iurisconsulti Bruxellenses: Otho Hartius, & Hieronymus Comans; ad pertractanda negotia inter Chimaci Principes Maritum, & Vxorem, Hagam Comitis in Hollandiam profecturi. In hoc totius Belgij maximo, atque amœnissimo Pago Curiam habendis Conuentibus constituerant Ordines Fœderati. Huc igitur commigrandi facultate impetrata, duo Iuris-consulti Archiducis Epistolam pertulerunt. Eâque redditâ, atque Ordinum Senatu postulato; in eodem pro pace quàm potuere maxima dicendi vi perorarunt. Sed apud animos iam excussum Hispanorum iugum execrantes, & quicquid ipsis placeret, suspectum habentes; vindicatæ præterea libertatis dulcedine pellectos; ac pluribus, recentibusque victorijs præfidentes; neque Archiducis literarum benignitas, neque Oratorum efficacitas quidquam persuasit. Vt Fontani Comitis sententiam veriorem exitus comprobarit.

Hæraeus anno 1594.

Nullus ex eis literis fructus.

AD Archiducem Ordines rescripserunt, non tam Epistolâ missâ, quàm prolixâ oratione, proprièque Philippica: quando tota in Philippi Regis, Hispanorumque accusatione versabatur. Vtque non solùm verbis, sed & re ipsa propositam pacem prorsus excluderent; eodem tempore, quo hæc ultro citroque perscribebantur, Groningæ obsidionem adornabant.

Quid Ordines rescripserint.

Groningana obsidio.

IN confinijs Superioris, Inferiorisque Germaniæ sita hæc Vrbs est, Frisiæ totius nobilissima, propriæque ditionis ab se denominatæ Caput. Ab humili positione parum tuta, validis mœnibus, & fossa munitur. Nec propugnacula desunt in ambitu

Groningæ descriptio.

1594.

Franciscus Verdugus l. 12. Coloma l.6. Bentiuol. p. 3.lib.1. Campana p. 3.lib.2. Carnerus l. 10.c.9. M. Ianson. lib.9.& 10. Euer. Reid. lib.11. Haraeus an. 1594. Thuanus l. 109. Lanar. ann. 1594.

bitu murorum, vetusto plurima ritu fabrefacta, aliquot etiam structura recentiore. Amplis ab antiquo tempore priuilegijs fruebatur. Cumque Ciues affectarent, seu fortitudini praeferendae, siue potiùs conseruandae libertati, Vrbem ipsi suam per se propugnare, militem omnem exterum arcebant moenibus. Et quamquam paulò antè obsidionem copias aliquot à Verdugo transmissas (uti supra memorauimus) accepissent; adduci tamen nunquam potuerunt, eas ut in Vrbem admitterent. Praeerat in re militari è Burgimagistris alter (sic enim supremos Magistratus appellant) Ioannes Balenus. Is, & plerique Ciuium iamdiu in fide regia constantes, ac propterea frequenter ab hostibus, qui varia circumcirca tenebant loca, vexati; plures ad Regem, plures ad Belgij Gubernatores, regiumque Senatum dederant literas; quibus opem ad se tuendos, Vrbemque praecipuam in Regis ditione conseruandam, enixè postulabant. Scripserant etiam ad Caesarem, precantes, ut Auunculo Hispaniarum Regi rem Groningensem, quotidie magis in angustum adductam, commendaret. Praestitit operam Caesar: Rex mandata Belgium administrantibus dedit. Verùm in transmittendis identidem Groningam subsidijs maiores fuere conatus, quàm effectus: vel quòd Regiae in Belgio vires ab expeditione Gallica attenuatae, ac ferè dimidio minores, necessitatibus non sufficerent: vel quòd eaedem essent à varijs militum seditionibus interuersae, aut ob extremam penuriam inualidae. Nec deerant Groningae, qui Mauritij, ac Foederatorum Partibus studerent; praesertim aliquot, ut à Catholica Religione, sic ab Regis obsequio alieni. Ab his fertur Mauritius ad maturandum obsidium incitatus. Quamquam uniuersè pronum esse ad Imperij mutationem ingenium Groningensium, ex eo satis apparebat, quòd intra centum annos proximè lapsos, Dominis se pluribus deinceps subiecissent, non diuersis modò, sed inuicem quoque infensis. His ergo stimulis actus, & Regiarum tenuitate virium animatus, ad magnum opus mouendum se Mauritius accinxit, ex quo geminus existeret fructus; & communis Foederatis, tantae Vrbis, ac ditionis accessio; & sibi proprius, gloriae cumulus militaris.

Groningēses subsidium poscunt, sed frustra.

Groningensiū aliqui in Foederatos propensi.

IGITVR principio circumiecta Vrbi loca validioribus firmat Praesidijs, quàm Guillelmus Comes antè firmasset. Admouet inde propiùs Vrbem Exercitum è Belgis, Germanis, Anglis, Scotis, alijsque Nationibus conflatum. Peditum signa fuisse tradunt viginti quinque supra centum: Equitum turmas quinque & viginti. Praefecti militum erant magni nominis, ac virtutis,

Mauritius obsidionem aggreditur.

quam

1594. quam anno superiore in obsidione Gertrudisbergæ eidem Duci probarant. Vbi primùm accessit Mauritius, per Internuncium transmissum dedi sibi Vrbem postulauit. *Eam quippe per se ab hostium tanta mole non posse defendi: & serum esse subsidium ab Hispanis in Galliæ finibus occupatu expectare: Ciuibusque in partes diuisis, ab intestino bello, nedum ab extimo, exitium imminere.* At Ciues animis instructiores, quàm armis, iactantiùs quàm pro tempore, responderunt. *Indignum esse tam præclaram Vrbem tam subitò dedi. Post exactum annum rediret: idemque iteraret postulatum: tunc se responsum daturos.*

Eidem deditionē postulanti superbè respondetur.

EXARSIT ad hæc relata verba Mauritius, indignatus additum damno ludibrium, ac tam superbam eorum responsionem, quos iam spe, atque opinione subegerat. Apparari iubet extemplo trabes, asseres, crates, aliamque materiam è vicinis Oppidis Suolla, Gorcomioque deuectam: ut eis lignis contextis, instratisque, solum ad Septemtriones imperuium ob stagnantes aquas, liberè peragrari a militibus posset. Plura quoque munimenta passim excitari voluit opere tumultuario, quibus Groningensium excursiones coërceret: ijsdemque importandos, quâ Germanico mari, quâ per Amasim fluuium commeatus, ac bellicum instrumentum interciperet. Castra verò locauit ad Meridiem, Groningâ procul extra teli iactum, in salubri, editoque campo, quem duo flumina nauigijs frequentata claudebant. Equitatum partim Couordæ, partim Stenouici disposuit, & in loco, quem superiùs diximus Burtangam appellari. Ab his enim partibus è longinquo subsidijs hostium aditus obstruebatur.

Oppugnationis apparatus.

INTEREA Verdugus imminentem iam ante prospiciens obsidionem, cum datis subinde literis ad Archiducem responsum reddi nullum videret; aliquem è Principibus Exercitus ad eumdem legare decreuit. Igitur Ioannem Aluarum Sotomaiorem primò transmisit: sed is malo usus itineris duce, in hostium insidias induens sese, captus ab eis est. Quare Verdugus alterum submisit, Ioannem Contreram; qui ne discrimen alterius incurreret, magnam Equitum partem secum deduxit. Obuios & ipse habuit hostium Equites: sed ab eisdem egregiè se tutatus, ad Bruxellensem Aulam deuenit. Ibi diutius cum Equitatu comite moratus, multumque apud Archiducem, atque in Senatu Regio cum Groningensium Delegatis elaborans, ut validum, properumque subsidium Groningam mitteretur; aut nullum impetrauit, aut tam lentum, ac serum, ut planè pro nullo fuerit obsessæ Ciuitati. In ea quippe tempora hæc inciderunt, qui-

Verdugus mittit Bruxellas, qui subsidium petant, sed nullo profectu.

busErnestus opperiebatur,dum euentus ostenderet,quid in suadenda Fœderatis Ordinibus pace valuissent & suæ literæ, & Iuris-consultorum oratio. Quasi consentaneum non foret pacem petenti, ac persuadere conanti, noua belli supplementa submittere. Ac de munita satis, instructaque Vrbe sperari poterat fore, ut obsidionem tamdiu sustineret, donec ex Ordinum responsione aliquid certi de bello vel soluendo, vel continuando constaret. At Ordines, uti dictum, alia meditabantur omnia, quàm pacem. 1594.

Guillelmus Nassauius oppugnat Arcem Auricam, Groningæ munimentum.

INTEREA Mauritius ut obsidioni obicem quemcumque submoueret; Guillelmum Nassauium miserat ad Arcem Auricam, vulgari nomine Auerderzilam, capiendam. Fuerat hæc Arx ad Groningensis tutamentum ditionis ab Regijs extructa ad Hunesi fluminis ripam, quâ id in mare influens Lauicæ fluuij confunditur æstuario. Huc ubi Nassauius accessisset, locumque circumspectasset ita paludibus undique custoditum, ut expugnatu difficillimus foret; à Præsidiarijs, eorumque Præfecto Volfardo Prengero deditionem postulauit. Is ignominiosum esse respondit, ne unius quidem bombardæ audito strepitu, dedere sese. Postridie octo minores machinæ admouentur: iterumque ad deditionem Præsidiarij sollicitantur: qui suis quoque tormentis displosis multos hostium strauerunt. At cum vis, atque impetus minùs proficeret, additus eis dolus rem confecit. Dum enim ex una parte quinque Centuriæ, pontibus, & scalis ad oppugnandum paratæ, Defensorum oculos, ac manus ad se ab omni alia parte auertunt; ex aduerso latere, militibus incustodito, tres aliæ Centuriæ, factâ per paludes, & campos uliginosos stratis cratibus, atque asseribus viâ, ad arcem usque succedunt. Tum erectis ad muros scalis, supra eorum loricam euadunt. Ac statim adorientes à tergo Regios, quos alij plures à fronte infestabant; non summum modò terrorem illis ex inopinata aggressione iniecerunt: sed extremam quoque desperationem, ob interclusam undique spem salutis. Itaque abiectis armis, ad iram victorum deprecandam conuersi sunt: sed tam frustra, quàm serò. Commilitonum occisorum vindicta: & deditionis iterata postulatio delusa: eamque perferens Tympanistes (quod aliqui tradunt) ignominiosè reiectus; ut in illos acerrimè sæuiretur, efficaciùs persuaserunt. Igitur ad unum omnes cum Præfecto, quinque tantùm elapsis, trucidati. Erant autem Præsidiarij centum ferè quadraginta. Sed & ex hostibus ad cædem furiosè irruentibus supra quinquaginta saucij, aliquot occisi. Arx ipsa præter Victorum voluntatem, ab ignito missili

antè

1594. antè proiecto, incendio excitato deflagrauit: eodemque igne absumpti nonnulli, qui in Arcis partes secretiores se abdiderant. Hoc euentu territi Regiorum alij, qui circumiecta loca minùs firma tenebant, hoste non expectato, profugerunt. Hogembergam quoque, & Slogteram Mauritius suo militi designauit ad prædam: ne venientibus ad Castra commeatibus intercluderent viam. Ita sciens Artis bellicæ Dux ad urgendam obsidionem, impedimenta submouebat omnia.

Eadem incendio absumitur.

CASTRA verò circa Vrbem ea positione locauerat, ut eiusdem ingressus, atque egressus valde difficilis, ac periculi plenus esset. Cumque è Regijs militibus aliquot intrantes, aut exeuntes capti ab hoste fuissent, seuerè in eos animaduerti Mauritius iussit, ad formidandum alijs exemplum. Et quamquam muralibus tormentis, & machinis ad Vrbem quatiendam optimè instructus accesserat; aggeribus tamen erectis ei propior fieri, eamdemque militum impressione capere malebat. Quare terram effodiendo, atque aggerando, progressus hostis est ad lunatum usque propugnaculum recentissimò structum, necdum absolutum, fossâ præsertim nec latâ satis, nec profundâ munitum.

Mezaluna.

INDE portam Vrbis ei oppositam concutere aggressus est, tum ut aditum Regijs ad id propugnaculum obstrueret; tum ut terrorem incuteret Groninganis, eorum domos iactatis per eamdem portam globis diruendo. Turrem quoque in Vrbis angulo propter fluuium assurgentem assiduè quatiebat. Nec minoribus vel animis, vel viribus Ciues, ex Vrbe identidem erumpendo, multos hostium aut cædebant, aut capiebant: cœpta opera disturbare nitebantur: signa ex aggeribus diuellebant. Anglicanis præsertim Castris nocturna quadam eruptione damni multum intulere.

Sortire.

Sortita.

IAM ad fossam hostes sua munimenta perduxerant, in quibus collocata tormenta, atque interiectis ingentibus corbibus terra farctis defensi, Propugnatores ab tuendis mœnibus deturbabant. Tum verò multa ingesta materie fossam implere; ac per eam quoque ductis aggeribus munire sibi viam ad modò memoratum propugnaculum inuadendum. Iamq; crebris ictibus bombardarum commodum aggredientibus in eo factum hiatum existimantes; ad ipsum per eius ruinas ascendere nisi sunt, sed irrito conatu: & quòd opinione magis arduum deprehenderunt ascensum: & quia strenuè fuerunt ab Vrbis Defensoribus propulsati. Non ideo tamen cessauit à continenti Ciuium infestatione Mauritius. Neque dies terrore vacuos ijs

Gabbioni.

1594.

ire finebat frequenti displosione tormentorum; neque noctes post diurnum laborem, ac lassitudinem quietas, pyrobolos in Vrbem eiaculando, candentes scilicet globos, & ferreis mortarijs in sublime protrusos, atque in Vrbis fora, vias, domos non sine cæde, aut incendio relabentes, & latiùs percellentes terrore, quàm damno.

Bombe.

De facienda deditione in Vrbe contenditur.

His sollicitati periculis timidiores Ciuium ijs se facilè adiunxere, qui vel oppignerati Partibus Fœderatorum, vel innato studio rerum nouarum, ac tædio prioris imperij, in transuersum acti, ad Vrbem Mauritio dedendam propendebant. Igitur omnes hi, numero cæteris præpollentes, armis arreptis, impetum in illos fecerunt, qui ab Rege perstabant: ut eos Vrbe propellerent, hostemque introducerent ex condicto. Verùm qui prope Vrbem ad omnem attenti motum excubabant Regij milites, audito sociorum periculo, statim accurrerunt, & cum plerisque suburbanis Incolis, perrupto fossæ vallo, sese in Vrbem effuderunt. Hoc subsidio roborati Regiarum Partium Ciues, superiores alijs in ea contentione fuere. Quòd si plus consilij per eas temporis angustias, subitumque rerum motum suppeditasset (uti Verdugus monet) factiosos Ordinibus studentes vel interimendo, vel capiendo; potuisset Vrbs aliquantò diutius conseruari. Balenus certè Consul, seu vulgi voce Burgimagister, (quem ferebant eius defectionis auctorem) occisus in eo tumultu fuisset, nisi vitæ attentior, quàm famæ, se coniecisset in latebras. Consulum alter Leo, eius Gener, adactus fuit, ad manendum in Regia fide, concipere iusiurandum. Peruenit ad Mauritium motus urbani rumor. Verùm ipse militares dolos (quos stratagemata vocant) uti nectere, ita suspicari callidus, eiusmodi quiddam interpretatus, milites suos omnes intra Castra continuit. Eaque cautione opportunitatem amisit, quæ se facillimè dabat, propugnaculo tam expetito potiundi. Regius miles Vrbem ingressus inuitis Ciuibus, sed specie ijs inter tot turbas opitulandi, re autem vera, ut tamdiu recusatum Præsidium induceretur, perstitit in eàdem: & mœnia in primis validioribus custodijs adeo firmauit; ut eius capiendæ spem hosti penè præciderit.

Ne fiat, Regij Milites accurrunt, & Vrbem muniunt.

Franc. Verdugus Comment. lib. 12.

Mauritius vi obstruit subsidijs, & literis.

Non tamen despondit animos Mauritius, à suarum Partium Ciuibus admonitus, ne ob ea, quæ contigerant, ab obsidione desisteret. Venturam haud dubiè Vrbem in manus: modò aditus eius omnes intercluderet Mosquetarijs quingentis, quos immissurum se scripserat Verdugus. Et hic quidem immisit: sed cùm aditus omnes ab hostibus ita occupatos inuenissent,

1594. nissent, ut perrumpere non possent, retrocesserunt. Flumina quippe, ac fossæ armatis nauigijs: terræ spatium omne aggeribus, & propugnaculis muniebatur. Hæc eadem circumuallatio non instructis modò copijs, sed inermibus quoque, & plerumque mentientibus habitum latoribus literarum vias omnes obstruebat. Quos inter Sanchius Signifer, qui Rustici specie Groningâ Bruxellas, atque hinc illuc bis, ter-ve ultro citroque commearat; ad extremum prope Vesaliam captus est, atque ad Mauritium deductus. Is ei multa interminatus, coegit eas, quas perferebat, Archiducis prodere literas. Quare ex arboris foramine, in quod eas coniecerat, eductas, hosti repræsentauit. Cuius rei gratia (an ut alios quoque ad eiusmodi facilitatem alliceret?) & ad suam eum mensam excepit Mauritius, & liberum dimisit, data fide, captiuum apud Regios alium pro se remittendi.

Groningēses fœminæ ad deditionem incitant.

INTEREA Groningæ non solùm viri, sed etiam fœminæ, quibus innatus timor salutem gloriâ potiorem facit, deditionem urgebant. In ea verò Vrbe, ut ubi maximè, inferior sexus esse superior dicitur intra priuatas ædes potestate. Præ cæteris Consulum duorum Vxores, quibus quasi tertia Furiarum accesserat regij cuiusdam Centurionis Coniux, vias ac domos circumeuntes, faces fœminis alijs suggerebant, ut ad Vrbem hosti tradendam Viros inflammarent: non insueto illi sexui perdendarum Vrbium exemplo.

Verdugus lib. 12.

Mauritius acto cuniculo propugnaculum, ac Defensores exturbat.

AT Mauritius magis virilibus machinis, flammisque vehementioribus Groningam expugnare moliebatur. Ad propugnaculum supra memoratum, quod & portæ Vrbis orientem Solem spectanti magno erat munimento, & octo maioribus tormentis impositis obsessores plurimum infestabat; cuniculum agi iusserat. Iamque suffossâ terrâ peruentum infra propugnaculum erat: occultusque meatus tormentario puluere oppletus. Igitur ut dolosus ignis maiorem hominum, quàm saxorum machinaretur cladem; præparatis ad subitarium incendium rebus omnibus, simulant Hollandi se viribus contractis uniuersis facere impetum velle in propugnaculum. Groningenses ad id tuendum magno numero accurrunt. Dumque inter se munia diuidunt, stationes disponunt, arma expediunt: ignis ab hostibus pulueri subterraneo admouetur: flammâ statim cum insano fragore erumpente, varijs locis dehiscit propugnaculum; eiusque dimidia pars ad terram ruit. Ex Defensoribus alij in altum propulsi, disiectique per aërem, aut extincti, aut lethaliter læsi: alij in aquam subterfluentem deturbati, mersique: nonnulli etiam vehementi ignis impetu ad hostilia usque Castra proiecti.

Mina.

cti.

cti. Perijsse ex eis dicuntur triginta supra centum. Neque hac strage contentus, hortatur suos Mauritius, ut fortunæ obsecundent, & oppugnatione iam vera victoriam prosequantur.

Ergo per laceri munimenti ruinas ad apertam pugnam ascendunt Hollandi: & quod ipsis quoque potuit esse miraculo virtutis, sub tantum terroris, & periculi offendère, qui obsisterent: sed non diu. Quippe tanto numero diminuti, tanta sociorum clade consternati, ab hostibus & integris, & victoribus, & prospero euentu audacibus, & spe proxima debellandi alacrioribus; in Vrbem repulsi sunt, qui reliqui à strage fuere. Mauritiani propugnaculo tandem potiti, in eo se aduersus vicinos Ciues nouis operibus munierunt.

Groningẽses terrore, ac desperatione impulsi se dedere statuunt.

Civibus verò, cum semiruto securitatis suæ validissimo munimento, sese diutius tuendi spes omnis euersa. Quare tumultuariò in forum concurritur. Qui deditionem antea suadebant, iam præsenti terrore, ac propè desperatione rerum omnium eamdem urgere: contraque sentientium exitialem Vrbi pertinaciam detestari. Populus ferè omnis, & sexus imbellis, animis consternatis, deditionem iteratis vocibus inclamare. Pauci, quibus aut Catholicæ Fidei, aut Regij dominatus amor; & huius prodendi verecundia, illius hæreticis artibus obijciendæ religio, ad repugnandum adhuc animos dabant; aliorum superfluente multitudine, ac postremâ perturbatione rerum obruebantur. Igitur in eam ruitur deliberationem, ut quamprimùm de Vrbe dedenda cum hoste agatur. Quod ut honestiùs fieret, postridie Ioannem Buirium cum Tympanista ad Mauritium legant: qui Ciuitatis nomine polliceatur; *Factum iri deditionem, si ab Obsessoribus iterum postuletur*. Mauritius bellico Senatu coacto, de illius communi sententia respondit. *Minimè postulandam Vrbem ab ijs, quorum iam esset in manu. Viderent Ciues, ne deditionem trahendo, Victorum seueritatem, extremamque ruinam in se pertraherent*. Hoc tam acri responso properatum cum Hoste colloquium. Ad paciscendas ergo conditiones, quatuordecim ad Castra missi principes Ciuitatis: Obsides è Castris in Vrbem allegati Viri nobiles quinque. Conditiones, in quas utrinque conuentum, numero plurimæ; hæ verò præcipuæ.

Deditionis tractatio.

Eiusdem conditiones.

Ut Groningensis & Urbs, & ditio subiecta in posterum essent Ordinibus Fœderatas Belgij prouincias administrantibus: hisque adnumeratæ, legibus eisdem parêrent ad communem causam tuendam: antiqua tamen priuilegia, patriasque retinerent immunitates. Earum præfecturam ex Ordinum auctoritate susciperet Guillelmus Comes

Nassa-

1594. *Naßauius: unàque cum eo in Vrbem exciperentur quinque aut sex Peditum signa, ad tumultus, qui in ea conuersione rerum exciri possent, compescendos. Quoad religionem, liberum esset unicuique, quam vellet, colere: publicè tamen haud alia exerceretur ab ea, quam reformatam vocant. Eadem Vrbs, & ditio pro suis Viribus tributa conferret, ad alendum bellum, aliosque sumptus pro communis causa defensione faciendos. Liceret singulis, quò libèret cumque locorum ad degendum migrare, præterquam in hosticam ditionem. Groninga administratio penès Magistratum esset, ut antea: qui ex more identidem commutaretur. Is tamen principio fidem iuraret Ordinibus, ut aliæ Fœderatæ Vrbes consueuerant.* Hæ firmatæ cum Ciuibus conditiones. Præsidiarijs verò permissum, ut cum armis, impedimentis, ac signis ex Vrbe discederent; fide priùs data, intra tres menses Hispano Regi non militandi trans Rhenum.

His ita constitutis, & relatis in publicas literas, ac subsignatis nono Calendas Augusti; postridie Milites omnes, alijque Catholici, quibus in Vrbe iam Hæreticis subiecta commorari religio fuit, ex eadem liberè, tutòque migrarunt. Cumque Guillelmus Nassauius Peditum signis duodecim, ac ducentis Equitibus comitantibus præiuisset; Mauritius propè triumphantis in speciem Vrbem ingressus est. Intranti spectabilis in veste candidâ obuiam processit Virgo, clauem auream altera manu, altera laureum ramum præferens, offerensque Victori. Publicis verò peractis honoris, ac lætitiæ significationibus, noui creati sunt Magistratus, prioribus reiectis; aliaque longè diuersa Vrbis regendæ facies inducta, palam Hæresi dominante, ubi priùs cum Catholici Regis imperio Catholica regnauerat Fides. Iussi etiam Ciues, atque Incolæ iuramentum verbis concipere, scriptumque sua manu subsignare: quo Hispaniarum Regem, omnesque ab eo stantes eiurabant, eorumdemque perpetuos, ac iuratos hostes sese profitebantur: aliamque religionem exuebant omnem præter eam, quam reformatam appellabant, meram scilicet hæresim Caluinianam. Nec multò post, quàm Vrbem Victor intrauit; è sacris ædibus Diuorum exturbari iussit imagines: ibidemque concionem haberi à quodam prauarum opinionum Magistro. Quippe in una sede morari sanctitas cum hæretica impietate non poterat.

Ingredientis Vrbem Mauritij honores, & plausus.

HAEC iactura Groningensis prouinciæ, unius è septemdecim Belgicis, magnum inflixit vulnus Hispanicæ in Belgio potentiæ, maius existimationi: admirantibus harum rerum Scriptoribus, & nonnullis carpentibus in Ernesto Archiduce, alijsque, qui pro Rege Belgio præerant, tantam optimæ ditionis subsidijs

iuuandæ tarditatem, incuriamque perdendæ. Tradunt sanè plerique, destinatum eò fuisse cum subsidiarijs copijs Fontanum Comitem: cur verò profectus non fuerit, allatis causis variatur. Est qui tam necessariam bello pecuniam defuisse scribat: quòd eam in tanta rerum declinatione numerare abnuerint Mercatores. Alius contra iam corrogatam tradit ab Iuerra Regio Quæstore pecuniam: sed tantam efferbuisse per ea tempora in Aula Bruxellensi Hispanos inter, ac Belgas æmulationem; ut eius vitio in regia militia nulla esset disciplina, nullus ordo. Ad frequentes militum seditiones, ac tumultus id alij reuocant: qui per summam Hispanæ rei calamitatem tunc maximè gliscerent, cum potissimùm extremæ belli necessitates militarem numerum, operamque poscebant. Alij distractas in Galliam regias vires causantur. Nec defuit, qui culpâ ut Fontanum leuaret, oneraret Archiducem, eiusque Aulicos. Illum namque (ait) cum in agitanda pace totus esset, minus curarum in bellum impendisse. Maiestatem Cæsarei sanguinis eius in animum induxisse, sola tanti nominis auctoritate posse cuncta componi. Inualetudinem ferè perpetuam, ex quo venisset in Belgium, & instantis è proximo mortis prænunciam, vetuisse, ne ad quærenda publicis malis remedia ea contentione animi allaboraret, quam præsens necessitas postulabat. Imò vel cognoscendis omnibus, quæ gerebantur, & quæ gerenda essent, deliberandis, ægrotationem eamdem aditum obstruxisse: quo nihil est regenti perniciosius. Ex Aulicis verò gratiosissimum quemque abusum eius ingenij facilitate, morbique impedimentis ad explendam auaritiam, alijsque animi motibus obsecundandum: fidelioribus verò Regis Administris, ac Fontano præsertim viam interclusisse, ne salutaria ipsorum monita ad Archiducis aures, animumque penetrarent.

Subsidij Groningæ non lati variæ causæ.

1594.

M. Ianson. Merc. Gallo-belg. lib. 9.
Hareus anno 1594.

Verdug. lib. 12.

Card. Bentiuol. par. 3. l. 1.

Rolād. Mirteus de Comite Fontano.

At Mauritio victori, ex ea Prouincia Fœderatis adiecta, quæ supra sex millia militum de integro alere posset; maxima facta est laudis, atque existimationis accessio. Quàcumque, rediturus in Hollandiam, faciebat iter, summis omnium plausibus, honorisque significationibus, ceu Belgij liberator ac vindex, accipiebatur. Amstelrodami præcipuè, ut in Vrbe totius Hollandiæ principe, magnificentissimè à Magistratu, omnibusque hominum ordinibus obuiam prodeuntibus exceptus: theatro quoque medio foro in eius honorem excitato, triumphali arcu ante aulicam domum, ubi hospitaturus erat, erecto, positisque inscriptionibus cohonestatus fuit. Tanta verò percrebuisse dicitur Groningensis huius obsidionis opinio, ut non solùm

Mauritij gloria ex Groningensi ditione acquisita.

Groningæ obsidio celebrata.

1594. lùm famâ ſui Europam implerit; ſed ad eam propiùs cognoſcendam, tanquam ad ſingulare ſpectaculum, principes Viri, ac militaris præſertim gloriæ ſtudioſi perrexerint. Anhaltinùs Princeps inter alios, & eius, quæ ad occidentem Solem vergit, Friſiæ Dominus Enno Comes recenſentur. Ille in Mauritianis Caſtris, qua par erat, magnificentia exceptus: hic mutato habitu, cuncta ſedulò contemplatus, æquè ignotus receſſit, atque acceſſerat. Ita res humanæ mœrore, lætitiaque miſcentur: ut quæ Groningenſibus, atque Hiſpanis ex vero lacrymoſa Tragœdia fuit; alijs extra Siparium conſtitutis ſpectaculo fuerit, ac voluptati.

DE
BELLO BELGICO
LIBRI QVARTI
SVMMA.

HEnrico Regi ad Catholicam Fidem reuerſo Vrbes in Gallia multæ ſubijciuntur: ac præſertim Lutetia Pariſiorum. Eius deditę modus. Regia in omnes, etiam hoſtes, clementia. Pelleuæi Cardinalis mors. Pontificij Legati, & Hiſpanorum Lutetiâ diſceſſus. Capella in Picardia obſidetur à Carolo Mansfeldio. Eius deditio feſtinata varias ob cauſas. Mænius ad Archiducem ſe confert. Ab Henrico Rege Laudunum obſidetur. Subſidium illuc à Fœderatis mittitur, cum quo dimicant Henriciani. Apparatus deſcriptio, quo Erneſtus Archidux excipitur Antuerpiæ. Itali milites tumultuantur Arſchoti, & Sichemij. Ijſdem adiunguntur nouem aliæ Nationes. Varijs tentatis remedijs ab Archiduce ſedantur. In obſidione Laudunenſi Giurij mors luctuoſa. Laudunum Henrico deditur. Ambianum item, & Cameracum. Clementis Octaui propenſio ad reconciliandum Henricum. Idem rem ſolerter exequitur. Reconciliatio Romæ peragitur uſitatis ritibus, & communi lætitia.

DE

DE BELLO BELGICO LIBER QVARTVS.

1594.

Henrico, uti iam Catholico, Vrbes multæ se dedunt.

HENRICI Regis ad Catholicam Fidem reuersi fama per Galliam vulgata, multas ei Vrbes sine cæde,& sanguine subiecit. Regno quippe maximè Christiano satis erar, Ecclesię membrum eum esse,quem suum Caput agnosceret.Igitur Meldenses Ciues primi omnium in Henrici potestatem ultro venere. Persuasit id illis consilio,& exemplo suo Ludouicus Hospitalius Vitrius Gubernator hac ferme occasione. Cum ipsi magna pecuniæ vis deberetur ab Hispanis; ubi per inducias licuit, ad Fontanum Comitem se contulit in Belgium, ut ab eo sibi fieri satis curaret. Non modò tamen, quod suo postulabat iure, non retulit: sed vel ut audiretur à Comite, dies complures expectandum fuit. Quamobrem cum indignatione vehementi inde digressus; ea sæpè verba iactauit, quæ iam prouerbij locum obtinuerunt: Qui caret pecunia, Vitrio caret. Tum opportunitatem eam nactus penuriæ nummorum ad copias alendas, Ciuibus ad Concionem euocatis palam fecit: *Se stetisse constanter à Partibus Fœderatorum, dum hi pro religione pugnarent. Iam verò cum Rex ad Catholicam rediisset Fidem; debitum ei obsequium nolle se denegare: aut cum illis facere, qui ambitione, vel cupiditate sollicitati, bellum prosequi mallent. Quare Vrbis sibi commissæ claues in Ciuium manus se tradere, eorumque arbitrio relinquere, ut de re communi statuerent. Se rectà in eas migrare Partes, à quibus æquitatem stare cognosceret.* Quibus dictis, candidâque fasciâ (quod ut alibi diximus Henricum sectantium erat insigne) tum suo, tum suorum Militum pectori prætenta, iam iter arripiebat, ut Vrbe excederet: cum ijs Præfecti verbis, ac multò magis exemplo incitata multitudo, publicè Regis Henrici nomen inclamauit: unâque Oratores quatuor legit, qui Regem adirent, eique communi nomine dederent Vrbem. Erat ea maximæ ad Henrici res opportunitatis; tum ob Lutetiæ propinquitatem; tum quia per eam Matronæ fluminis transitus intercludebatur. Longè verò amplior indè utilitas existebat, quòd eius primæ omnium exemplum essent

Di Meds.

Meldensis primò Vitrii Gubernatoris suasu.

Libro 1.

Marne.

secu-

secuturæ cæteræ Vrbes Fœderatæ. Quapropter Henricus, ut reliquis ad bene de se sperandum signum quodammodo sustolleret; benignissimè acceptis Oratoribus, Meldensi Ciuitati largè concessit quæcunque postulauit: præcipuè verò unius religionis Catholicæ prosecutionem: à multis oneribus publicis immunitatem: delatorum à Mænio Duce munerum, ac beneficiorum prorogationem: veterum Vrbis Priuilegiorum securitatem. At Vitrio singillatim Præfecturam Vrbis, & post eum, maximo natu Liberorum confirmauit: ad æs alienum dissoluendum numerari pecuniam iussit: eiusdem copias ad sua Castra conduxit.

1594.

Meldensium Oratores humanissimè ab Rege accepti.

Nec minus benignè actum in Ciuitatem, & Gubernatorem.

Qvi splendor liberalitatis, atque clementiæ longè, latèque collucens, alios complures illexit Galliæ Principes, Populosque; ut in sinu regiæ benignitatis eam quietem, & fortunam inuenirent, quam frustra tot annos inter arma quæsierant. Addidit currentibus calcar Edictum regium promulgatum, in quo conditiones eædem magnâ verborum pompâ concedebantur. Igitur Michaël Estrumelius sese, ac tres Picardiæ Vrbes, quibus præfectus fuerat, Peronam, Montem Desiderij, Roiam dedidit Regi: priùs tamen, ad honestandam deditionem, impetratis mensium multorum inducijs, quo tempore neutri Partium essent illæ Vrbes addictæ. In easdem conditiones Pontis Æsiæ Ciuitatem obtulere Alincurius, & Villaregius: quod è re fuit Henrici, utentis Villaregio, ceu Sequestro pacis, quæ cum Mænio agitabatur. Verùm Claudius Castreus, è præcipuis Fœderatorum unus, palàm, nulloque obtentu, migrauit in regias Partes. Quippe frequentibus inter suos discordijs fessus, ac multò magis iratus Hispanis, quòd opem ab ijs copiarum, ac pecuniæ nequicquam implorasset; Bituricensi usus Archiepiscopo Conciliatore, ipse cum Vrbibus Biturigum, atque Aureliani venit in potestatem Regis. Atque illis easdem, quas Meldensis Ciuitas, conditiones impetrauit: sibi verò confirmatum Præfecti Castrorum officium à Mænio demandatum, & quæscumq; alias obtinebat præfecturas, in suum postmodo filium deuoluendas. Per eosdem quoque dies Ciuitates Lugdunensis, & Aquensis Henricum Regem, ac Dominum professæ.

Clementia Regis aliæ Vrbes illectæ.

Mõdidiero.

Pontoise.

Della Chiastra.

Burges.
Orleans.

Marescial-lo.

Lione.
Aix.

Ipsa denique Lutetia Regni caput, facilibus ad motum omnem animis, iam eidem suffragabatur. Parisiensis namque Populus ad extremas redactus angustias perstrepebat. Et commoda induciarum tempore degustata, famem quodammodo perfectæ pacis acuerant. Annonæ caritas augebatur in dies: & commerciorum intermissio, Artiumque iustitium ad suprema

Lutetia Parisiorum ad se Regi dedendam prona.

mi-

1594. miseriarum compulerant plebem. Illud verò momenti, quo eadem incitabatur à Fœderatis Principibus, nempe Religionis periculum, iam defecerat; syncera, veracique ab omnibus habita Regis ad Catholicam Fidem conuersione. Quamobrem quisque anhelabat ad pacem, tot malorum, quæ bellum intulerat, finem. Animaduertebant præterea in Vrbibus, quæ se Regi subiecerant, incolumem, intactamque Catholicam Religionem: restituta Viris Ecclesiasticis bona, & eorum agris, ac ditione deductas copias: Huguenoticæ sectæ publicam exercitationem interdictam: conseruata Ciuibus priuilegia: Catholicis hominibus munia confirmata: præfecturas in eorum qui antea præerant, potestate: nihil denique nouitatis, nihil discriminis apparere. Fama insuper increbrescebat Regis in omnem speciem Religionis compositi, atque ad Romanæ Fidei tutelam prorsus intenti. Demum in ore omnium erant singularis eius clementia, animusque nescius ultionis: eumque sectantium securitas, & abundantia, non sinè Partium aduersarum inuidia. Hæc, eiusdemque generis alia, in maius, uti fieri solet, euecta ab Henrici fautoribus, passim in hominum cœtibus disseminabantur. Belini verò Comes, ad quem, uti Gubernatorem Lutetiæ, spectabat eis Populi tumultuantis initijs obuiam ire, negligens eorum admodum videbatur: siue à Mænio Duce, atque Hispanis malè secum frequenter actum ratus: seu quòd ruentem in obsequium Regis Ciuitatem sisti nequaquam posse cognosceret. Quin etiam Henrici sibi gratiam ineundam putauit, ut in eadem præfectura confirmaretur. Id Mænius præsens cum obseruasset, impulsusque à Pontificio Legato, Hispanisque Oratoribus fuisset; illum ex eo munere summouere constituit. Et quamuis multum Parisiensis Senatus reclamaret: eius loco Carolum Cossæum Brissaci Comitem præfecit. De cuius fide securus, Lutetiâ decreuit Suessionum Vrbem, & inde Exercitum petere: arbitratus desidem illam vitam de sua pristina existimatione detrahere, ansamque Populis ab se deficiendi præbere.

Belinius Gubernator eòdem propensus.

Ideo amonetur à Mænio, eiq; Brissaci Comes subrogatur.

In ipso tamen discessu obices præstructi complures: in suspicionem vocata noui Gubernatoris fides: Præpositi Mercatorum Ioannis Luillerij consuetudo cum ijs, qui ab Rege faciebant, detecta: Pontificis Legatus, atque Hispani profectionem dissuadentes. Omnium tamen validissimum obstaculum à Nemorosia Principe Parente sua; quæ videlicet indicabat: summam rerum id temporis in Parisiensi Vrbe conseruanda sitam: sibique notas quasdam Henrici fautorum cum recenti Gubernatore conspi-

Mænius Vrbem deserit non satis opportunè.

ſpirationes. Nullùs tamen è tot obicibus ad Mænij remorandum iter idoneus fuit. Nimirum haud leuem ſuo nomini notam, ſuisque rebus detrimentum afferre ſe intelligebat, ſi Lutetiæ immorans ad extrema ſe redigi pateretur. Illud etiam animo eius obuerſabatur: ſi Rex Pontis Æſiæ, ac Meldorum Vrbis potitus, ideoque fluuiorum dominus, ac Drocas, Aurelianum, & Carnutum habens in poteſtate; Lutetiam obſidione cingere voluiſſet; ſe Vrbe concluſum, adducendi eidem ſubſidij futurum impotentem. His, alijsque momentis rationum adactus, neque docilis metuendi, ne Briſſaci Comes à Parente atque Auo conſtantiſſimè ſeruatam frangeret fidem: cum Filijs tandem atque Vxore diſceſſit; Lutetiæ relictis Parente, Sorore, Pontificio Legato, atque Oratoribus Hiſpanis.

Pontoiſa. Meds. Dreux. Orleans. Ciartres.

Briſſacius Gubernator Vrbem dedere ſtatuit.

VIX ille pedem extulerat, cum Briſſacius Gubernator, in ſua unius poteſtate Vrbem videns, aliosque in nullo numero habens; aduenisse tempus, nec prætermittendum, cenſuit fortunam ſuam prouehendi. Quamobrem in ſuam perductis ſententiam Præpoſito Mercatorum, alijsque duobus Regionum Præfectis, primum Senatus Præſidem, & pleroſque Senatores obſtringere ſibi aggreſſus eſt. Malè hi erant in Mænium affecti, quòd permultis in rebus, ac præſertim in recentiſſima Præfecti Vrbis mutatione, ingratè fuerant ab eo, ſuperbèque habiti, palàmque contempti. Quare non arduum fuit eos ad deditionem cum alijs faciendam adducere.

Rodulp. Botereius Cõment. lib. 12. Henric. Catherinus lib. 14. Turt. lib. 20. Herrera lib. 6. cap. 5. Campiglia lib. 9. Thuanus l. 109. M. Ianſon. lib. 8. Cãpana hiſtor. Mundi p. 2. lib. 13. Coloma l. 7.

Conditiones cum Rege firmatæ.

HIS ita præparatis, cum Henrici Regis Adminiſtris agi de conditionibus cœptum. Atque hæ demum ſancitæ. *In Vrbe Pariſienſi, eiusque Suburbijs, locisque circumiectis ad decem millia paſſuum, ſolam Catholicam, ac Romanam Religionem publicè exercendam, ex Regum ſuperiorum Edictis. Condonaturum crimina Regem omnibus generatim cuiuscunque conditionis, aut ſtatus, qui ſeu verbis, ſiue re Fœderatis fauiſſent; qui Populum ad ſeditionem concitaſſent; de Regis fama detraxiſſent, ſcriptis, aut typis eſſent in eum inuecti; inſignia eius, aut deceſſoris Galliæ Regis violaſſent; aut alia quauis ratione Rei præteritorum tumultuum fuiſſent: ijs tamen exceptis, qui vel in eius vitam per proditionem coniuraſſent, vel Henrici Tertij cædis participes fuiſſent. Ciuium vitas, fortunasque à vi, ac direptione intactas fore: confirmatum iri eorum Priuilegia, prærogatiuas, immunitates: atque eumdem, quem apud priores Reges, locum eos obtenturos. Munera omnia, officia, beneficia morte vacantia, tam intra Senatum, quàm extra, ab Duce Manio collata, in ijſdem hominibus permanſura, cum ea lege, ut de integro ab Rege conferrentur. Magiſtratus omnes, qui tum eſſent in Vrbe, perennaturos,*

1594. *ros, modò se Regi subÿcerent. Ciui cuilibet, cui Lutetia morari minus placeret; abire liberum esse, resque suas, vel non petitâ veniâ, deportare. Pontificio Legato, Pelleuao Cardinali, alÿsque Præsulibus cum vniuersis familÿs, ac re licere vel persistere, vel migrare, utcumque, & quando commodum ÿs visum fuerit, atque opportunum. Hispanis Oratoribus cum familÿs pariter, & comitatibus, ac rebus suis omnibus tutò discedere permissum iri, cumque regÿs facultatum diplomatis, quò maximè libitum esset, se conferre. Principibus fæminis in Vrbe degentibus aquè integrum esse cum omni tutela vel immorari, vel abire. Præsidiarios milites, siue Gallos, siue exteros cuiuscunque Nationis egredi posse quadrato agmine, pulsatis tympanis, signis explicatis, accensisque sclopetorum fomitibus, & quòcumque animus ferret, concedere. Brissaci verò Comiti ad sumptus, ac dispendia resarcienda, ducenta aureorum millia numeratum iri; ac vicies mille Francos in singulos annos. Præfecti Castrorum munus, ab Manio delatum, ei confirmatum iri: concessumque perpetuas Corbolÿ, ac Meduntæ præfecturas.* His, alijsque minoribus conuentis præstitutis, ad rem exequendam, ab utraque parte opera data. Interea Rex inaugurari, atque inungi Carnuti curauerat solemni ritu, pompâque. Quo facto, & suis ingentem lætitiæ cumulum addidit: & alijs animos, stimulosque subiecit, ut ad obsequium ruerent proniores.

Carnuti Rex inaugitur.

BRISSACIVS Regem in Vrbem accipere undecimo Calendas Aprilis decreuit. Quare famam euulgans, à Mænio è Suessionibus copias, ac militaria instrumenta transmitti, ad Lutetiam muniendam; pridie iussit eis obuiam prodire Iacobum Argentium cum Gallorum parte militum, quibus parum fidebat. Hispanos, & Vallones Feriæ Dux, aliquid suspicatus, circa suas ædes collocauit, valde remotas ab ea Vrbis parte, qua Rex erat excipiendus. Neapolitanas copias trans fluuium Gubernator ablegauit: ut illac introgressuros postridie commeatus promptè, ac tutò susciperent. Soli Germani milites retenti: quippe quos facillimum esset vel in Partes traducere, vel penitus delere: tum etiam ne copias uniuersas distrahendo, suspicionem, quæ iam validè increbrescebat, augeret. Nocte ingruente Gubernator domum suam euocatis Mercatorum Præposito, atque è Magistratibus, Populique primoribus, quos in eadem secum sententia fore sperabat; suum aperuit consilium, initas cum Rege pactiones, & ad quam erant redacti necessitatem, eâ concordiâ se à calamitatibus, & periculis liberandi, quæ aliter vitari non possent. Cumque omnes eiusdem secum propositi, paratosque suum sequi ductum reperisset; hortatus

Nocturna conspiratio dedēdæ Vrbis.

1594.

eos est vehementer, ut alacri, magnoque animo id opus aggrederentur: curarentque præcipuè, ut mutatio rerum, ac Regis exceptio fieret citra tumultum. His ergo, qui conuenerant, ad rem strenuè peragendam promptis; perscriptum breuiter fuit à Præposito Mercatorum ad cunctos ferè Præfectos regionum; qui mutati, electique recèns fuerant ad arbitrium, & pro rerum præsentium opportunitate. *Sancitam cum Rege pacem postera luce perfectum iri. viderent, ne quid turbaretur. amplecteretur que quisque gaudens tam necessariam, tamque diu optatam quietem. Ciuium salutem, ac rem in tuto esse.*

Gubernator ad Regem excipiendum, portam adit.

QVAE ubi per summum silentium, magnaque omnium voluntate fuere disposita: media ferme nocte Gubernator ad Vrbis portam, quam Nouam appellant, se cum Heluetijs Militibus tulit. Illic eos in aciem dispositos stare in armis iussit. Mox quicquid terræ iampridem ad eam muniendam portam iniectum fuerat, mandauit asportari. Eamdem nauauit operam ad Diui Dionysij portam Præpositus Mercatorum: relictoque ibi ad custodiam Martino Anglo cum copijs, ad Nouam portam sese Gubernatori adiunxit. Nimbosa nox illa fuit, ac tonitribus, fulguribusque horrifica. Quamobrem Henricus cum exercitu, qui Siluanecto digressus, pridie sub vesperam Dionysianam Vrbem tenuerat; duas horas condicto seriùs aduenit.

Senlis.

Motus aliquis in Vrbe.

INTEREA Lutetiâ uniuersâ rerum nouitate commotâ, peruasit rumor ad Oratores Hispanos. E quibus Feriæ Dux Peditatui, quem circa se habebat, statim præcepit, ut in armis esset. Didacus verò de Ibarra ad Nouam portam equo celerrimè prouectus, quæsiuit: quid tum rerum ageretur? Cui Gubernator: Nullo se iure obstringi, respondit, ad reddendam de ijs, quæ gererentur, rationem. Sed ut cum ipso humaniter ageret; illi se patefacere: copias, & bellicum instrumentum, a Mænio transmissum, exceptum iri: quæ ne hostiles inciderent in manus, inusitatam illam initam viam. Sedaret ergo animum: & redderet se quieti. His verbis vel fidem præbens Ibarra, vel obsistere se posse diffisus; ad Hispanorum stationem se recepit.

Regius Exercitus paulatim ingreditur.

IAM quarta post mediam noctem hora processerat: cum Franciscus Spinæus Sanlucius, qui primas ducebat acies exercitus Henriciani, cum eisdem Vrbem propiùs accessit. Atque ubi ex condicto tres ardentes faces, signum aduentus sui, sustulerunt: Brissaci Comes ad eos agnoscendos egressus est: & verbis cum Sanlucio factis regressus ad suos, extemplo portam totam patefieri iussit. Primus eam Sanlucius intrauit, pedes, & minus sclopetum præferens manu. Tum Fabatum Ducem,

cum

1594. cum centum militibus hinc atque hinc collocatis, ad eiusdem portæ custodiam reliquit. Ipse verò cum Dominico Vico, & militibus quadringentis eam occupauit viam, quæ ab Diuo Thoma nominatur. Subsequuti sunt Carolus Humerius, & Franciscus Auertonus Belini Comes, non ita pridem, ex ira subtractæ à Mænio Parisiensis præfecturæ, ad Henrici Partes transgressus, & Roletus Pontis Arcuensis Præfectus, Pedites omnes, atque armis promptis. Qui cum octingentis progressi, Diui Michaëlis pontem tenuerunt: ac monuere Sanlucium, ut in ipsorum subsidium, si quid præter opinionem eueniret, recentes copias suppeditaret. Tertius intrauit Franciscus Ous, Franciæ, ut appellant, Insulæ Præfectus, & Parisiensis Gubernator designatus, qui cum Francisco Guntaldo Birono Saligniaci Domino, & Castrorum Præfecto, quatuorque Centurijs Militum mœnia circumiens, profectus est ad Diui Honorati portam occupandam. At qui sequutus eum est Matignonus Equitum Tribunus, Heluetios ducens; cum in ingressu vidisset Germanos Pedites in armis, ea iussit deijcere, ac nomen Regis inclamare. Quod illi cum recusarent, hastis ad eius nutum ab Heluetijs in ipsos conuersis, ad viginti, seu triginta è Germanis perempti, totidemque in amnem dati præcipites. Quo territi exemplo cæteri, arma deijcientes, ab eodem exarmati, atque ante Diui Thomæ Templum deducti sunt. Inde cum Heluetijs dimidium viæ tenuit, quæ ab Diuo Honorato nomen habet. Post hos Rogerius Sanlarius Bellagardæ Dominus, & hunc sequutus Franciscus Aurelianus Sancti Pauli Comes; cum suis quisque copijs ingressi, eas ante Arcem Luparæ statuerunt, atque ad Templum usque Sancti Germani explicuerunt.

D'O.

His cunctis præeuntibus Rex Henricus succedebat, ipse quoque pedes, atque armis omnibus instructus, quadringentorum illustrium Virorum sectante comitatu, ac latera stipante gemino Sagittariorum agmine, ad custodiam corporis destinato. Is ubi primùm Brissaci Comitem sub ingressum pontis inuenit; detractam sibi candidam fasciam, quam gerebat ad pectus, Comitis collo iniecit; ipsumque amicissimo vultu, arctissimoque complexu dignatus est. Simul idem Gubernator altissima voce: Viuat Rex, proclamauit: simul pone adstans Præpositus Mercatorum eamdem extulit vocem: quam subinde per omnes Vrbis Regiones reciprocatam, lætissimo sono etiam illi reddidere, qui rerum conscij non erant. Tam facilè vulgus ad omnem auram conuertitur, quamuis unde illa spiret, ignarum. At Rex directis per vias suorum agminibus medius

Regis ipsius ingressus, & magna in Gubernatorem beneuolentiæ indicia.

incedens; pœna capitis proposita, ne quis quemquam læderet, interdixit: & cum eodem comitatu Virginis Maximæ Templum adiuit; in quo non minore, quàm alibi, plausu fuit à Sacerdotibus exceptus. 1594.

Templum Beatæ Virginis adit.

RADESIARVM Dux cum reliquis Heluetiorum copijs, & Campanis intrauit; quadratumque agmen ad ultimas Vrbis partes deduxit; ne quid ibi collocati ad custodiam milites turbarent. Obuium in itinere habuit cum duabus Hispanorum Centurijs Didacum Ibarram, ad tumultus accurrentem. Sed procedentibus numero longè maiore copijs Henricianis, Hispani recesserunt ad suos. Ita Martinianam viam Radesiarum Dux occupauit: uti paulò ante Dionysianam tenuerat Vitrius.

Res.

REGE Templum egrediente, Populus eorum, quæ contigerant, iam certus, ac salutis suæ securus, alacriùs quàm antea, Viuat Rex, iterauit. Indè certatim omnes candidam fasciam ad pectus præferre, & pileum candidis crucibus obsignare. Demum intra duas horas ea quies in Vrbe fuit, ut nihil innouatum videretur.

Parisienses insigne Regis Henrici sumunt.

ANTEQVAM ad Arcem Luparæ se Rex conferret, Dauidem Perronium Episcopum Ebroicensem, paulò ante Româ reducem, misit ad Pontificium Legatum, ut ei Regis nomine significaret: in ipsius quidem esse potestate, vel recedere, vel manere. Rogare se tamen eum, ut secum congrediendi, & colloquendi rationem inueniret. Futurum namque, ut plus apud se, quàm apud Fœderatos, honoris, & beneuolentiæ nancisceretur. Verùm abnuit congredi Legatus, cum diceret: neque Pontificem in colloquium admisisse Oratores Henrici: neque se posse à suo Principe dissentire. Et quando suæ ipse potestati relinquebatur; velle se non Vrbe solùm, sed toto quoque Regno excedere. Conatus nihilominus Rex est eum retinere: sed frustra. Quippe refugiebat ille cum eo degere, quem nondum Pontifex reconciliasset Ecclesiæ. An etiam ut pristinum animi sui sensum, vel desperatis in rebus, ad præferendam constantiam, tueretur? Sex tamen adhuc dies Lutetiæ moratus, magnoque habitus in honore. Digredientem verò idem Ebroicensis Antistes ad Oppidum usque Montis Argisi comitatus est.

D'Evreux.

Legatus Pontificius non respondet beneuolentiæ Regis.

Lutetia discedit.

DVM Rex Vrbem lætissimus intraret, & quasi metam contingeret laborum, ac votorum; ultimum trahebat spiritum Pelleuæus Cardinalis. Qui cum subitam rerum conuersionem inaudisset; non sinè indignatione pronunciauit: Adhuc sperare se, Hispanorum, proborumque Catholicorum arma Huguenotum illum Parisijs depulsura. Atque his cum verbis animam exhalauit.

Pelleuæi Cardinalis obitus.

Catherinus lib. 14. Thuanus l. 109.

At

1594.

Hispanorum discessus.

At Hispani Oratores eadem ipsa die decreuerant Lutetiâ proficisci. Quare post meridiem Sanlucio, & Salignaco honoris ergo comitantibus, ad suum Exercitum quadrato agmine incedentem deuenerunt prope portam Vrbis Martinianam: ubi Rex equo insidens erat. Magna eum demissione venerati, parique ab eodem humanitate salutati: ac sinè alia collocutione, Vrbe digressi, prosequentibus eos Henricianis Borgetum usque. Indè Suessionem versùs ad Regni fines properarunt. Eâdem Rex benignitate in Principes fœminas usus est: quas inuisi suo nomine iussit à magno Cancellario Bellieuræo: seque apud easdem excusari, quod ipsas inuisere sibi eo die per temporis angustias non licuisset. Illæ postmodum rebus suis rectè compositis, non sinè comitatu honorifico discesserunt. Alij quoque Lutetiâ, quam priùs incolebant, egressi, partim cum Pontificio Legato, partim cum Oratoribus Hispanis. Non pauci tamen ex ijs, qui acerbas cum Rege inimicitias gesserant, in Vrbe perstiterunt, nulli ex regia promissione obnoxij damno.

Bastiliæ quoq; Arcis Regi facta deditio.

Sola iam Arx, quam Bastiliam appellant, in manu Fœderatorum erat; Burgo ei præsidente, animi magni Duce, ac Mænio in primis fido. Is eam dedere iussus, unum atque alterum diem detrectauit: imò & multis bombardarum ictibus indè Vrbi iam deditæ infestus fuit. At ubi præparatam vidit impressionem, ac tormentorum vim, seque commeatu, ac bellico instrumento defectum; quinta die deditionem fecit. Arce in potestatem Regis tradita, Lutetiam ipse pariter reliquit. Ita demum sinè tumultu, sinè cæde Parisiensi Vrbe Rex omnino potitus est: & publicâ omnibus veniâ promulgatâ, copijs extra Vrbem collocatis, reuocato in eam Senatu, patefactis ad commeatus inuehendos vijs, intra dies paucos Lutetiam pristinæ celebritati, splendorique restituit. Principis Vrbis exemplum sequutæ sunt aliæ, ac præsertim Rhotomagus, ac Normannia fermè uniuersa.

Carolus Mansfeldius Capellã oppugnat.

Card. Bentiuol. p. 3. l. 1. Campana p. 3. lib. 2. Catherinus lib. 14. Carner. l. 10. c. 7. Herrera l. 6. c. 3. Coloma l. 7.

Interea Carolus Comes Mansfeldius iussus ab Ernesto Archiduce fuerat cum Equitibus mille, ac Peditum decem millibus, Picardiam irrumpere: atque in ea locum aliquem, suis rebus opportunum, occupare. Talem is existimauit Capellam in Tierachia sitam, validam Arcem in finibus Gallicæ ditionis, Hannoniam versùs. Hæc tam erat id temporis instrumenti militaris inops, quàm aggestis commeatibus copiosa: ac propterea futura æquè facilis ad expugnandum, & ad alendum Exercitum accommodata.

Eius situs, & munitio.

In amplissimo fundata campo Capella, neque admodum

latè

latè patens, quadratam exhibet formam, atque in quaternis angulis, singulis cuneatis propugnaculis munitur. Profundâ cingitur fossâ, vicino fluuio aquam affatim suppeditante. Viâ quoque loricatâ, & aduersus hostium aduentum defensâ circumcluditur: cui murus, ad imum procliuis, instar aggeris est. Itaque si ad loci munitionem bellica supellex, & constantia Defensorum accessisset; diuturnus circa eam labor hostiles copias fatigasset. Sed improuisus earum aduentus fuit, & quòd antea nonnisi Mænio Duce credebatur exercitus Galliam intraturus: & quia postmodum Corbeiam aggressurus d cebatur. 1594.

Vbi ergo viderunt Oppidani copias ad oppugnandum paratas; ut sese tuerentur, nouos raptim aggeres extruxerunt; ex triplici præsertim parte, quâ pronior erat aggressio. At Mansfeldij milites ex Hispanis, Italis, Vallonibus conflatitantos repentè impetus in aggeres uniuersos fecerunt, ut eos feliciter occuparint. Hinc ad unum è propugnaculis facta impressione, eius potiti sunt, non sinè magna aggredientium laude, atque ad Arcis expugnationem adiumento. Quippe cum id humile satis, atque imminens fossæ, arceret, ne ab ea posset aqua aliò deriuari; eo capto, liberum fuit, exhaustâ fossâ, viam aggressioni mœnium aperire.

Mansfeldiani propugnaculū capiūt.

Bidvvm utrinque pugnatum est cum utriusque Partium strage; connitentibus ad sui tutamen Defensoribus, & frequentibus ictibus bombardarum, ignitisque alijs missilibus hostem non distinentibus modò, sed ingenti clade sternentibus. Tertia tandem die cum ad eum fossæ locum Claudius Barlota cum Vallonibus peruenisset, unde facillimum erat eam exhaurire; militatium Operarum breui labore aquam omnem in partem aliam deriuauit. Tum ad aggeres extruendos, admouendosque mœnibus propiùs, desudauit obsidentium industria. Simul munimentum erectum: eique quatuordecim imposita tormenta: quorum decem rectâ concuterent muros: bina verò hinc, totidem illinc peterent propugnacula, nè mœnibus interiectis subsidio forent. Continentes horas duodecim impetum fecere tormenta: cumque iam idoneus ad oppugnationem hiatus cognosceretur; comitantibus Vallonibus Barlota processit. Et iam exinanitam fossam tenebant: cùm Oppidani inopinata molitione complerunt eam aqua; cuius eruptione subita plures quàm septuaginta Milites absorpti sunt: cæterique vix habuere spatium sese in tutum recipiendi, minoribus etiam tormentis ab hiatu facto petiti. Ad exhauriendam aquam instaurata postridie opera fuit, non sinè iactura Militum supra centum, & septem præcipuè Centurionum. Hv-

Arcis oppugnatio.

Defensorum industria multi pereunt ex hostibus.

1594.
Coloma l.7.

Prima impressio malè succedit.

Hvivs iacturæ causam, est qui fuisse tradat, principum in exercitu Virorum, ac Voluntariorum militum in ea facienda impressione generosam, ac laudabilem cæteroqui contentionem. Dum enim quisque ante alios eam sibi aggressionis gloriam affectaret; tumultuarius, ac ferme temerarius impetus confusè inuadentium, strenuè à Defensoribus refractus est. Alij ad intempestiuum referunt belli signum. Quippe octauo Idus Maij, parato ad aggrediendum milite, dum undique tormentis petuntur mœnia, neque locus, aut tempus vel caput efferendi Defensoribus datur; fortè, ac temerè tympana pulsantur. Quo signo plerique Centurionum, ac sponte militantium, imò strenuissimus quisque in tam glorioso periculo muros inuadunt. Sed ordo, qui potissimùm in bello fert punctum omne, negligitur. Priori errato nouum accessit, quòd reliqui signum falsò datum agnoscentes, præproperos illos minimè subsecuti, eos hostium ictibus, vulneribus, & cædi expositos reliquerunt. Postremò neque facilis ijs receptus ad suos fuit, ob limi intra fossam residui tenacitatem, è quo plantas expedire lentum negotium, & operosum erat.

Campana : Ant. Camerus lib. 10. c.7. Thuan. lib. 109.

Alteram parantibus Oppidani deditionem faciunt.

Hac igitur prima impressione parum feliciter facta, alteram apparari, maturiùsque disponi Mansfeldius iussit. At Capellæ Defensores, eam sibi opperiendam nequaquam existimarunt. Quippe sustinere se illam non posse pro certo habebant, fossæ præsidio destitutos, & magna mœnium parte diruta: ac, si diutius repugnarent, verebantur, nè prorsus internecione delerentur omnes, atque Oppidum uniuersum direptioni militum, ac prædæ pateret. Quare Malgesius Præfectus æquis conditionibus deditionem Mansfeldio fecit septimo Idus.

Catherinus lib.14. Bentinol. l. 3.

Causæ deditionis acceleratæ.

Turt. l. 20.

Addit nonnemo, cum eadem die in colloquium obsessores, & obsessi venissent; hos deditionem pollicitos, nisi intra triduum afforet ab Henrico Rege subsidium: eiusque spe tam citò, tam facilè cum hostibus conuentum. Oppugnasse verò Mansfeldium Capellam, non quòd eam se crederet expugnaturum: sed ut eo loci aliquandiu milites occuparet. Malgesium quoque Præfectum non caruisse querela, quòd citiùs, quàm par fuerat, Oppidum in potestatem hostium dedisset, ut uxorem, ac liberos ibi morantes discrimine vindicaret. Egressi cum ipso sunt Gallorum ferme octingenti armis, ac rebus alijs instructi. Præfecit loco Mansfeldius, Augustini Mexiæ Hispanorum Tribuni rogatu, Simonem Antunium cum omnibus penè copijs, quas ducebat, & Gallorum Equitum turma. Ad soluendam obsidione Capellam properabat Henricus: cum Chionij

nij allatus ei nuncius eſt, illam iam hoſti deditam. Quod ægerrimè ferens, ad ſarciendam iacturam, Laudunum oppugnare conſtituit. 1594.

Ea victoria cur Mænio ingrata.

Catherinus.

HAVD minùs Mænio grauis ea expugnatio fuit; quæ citra ipſius operam, & conſilium facta, iam tum præmonere videbatur, velle Hiſpanos in poſterum ſuis ipſorum auſpicijs, atque auctoritate bellare. Id verò vehementer eius animum ſauciauit: & quòd ita ſpes ſuas prorſus excindi videbat omnes: & quòd exiſtimationem, ac vires proſpiciebat valde diminui: quarum beneficio ſperabat ſe cum Henrico pacem, ſi tempora ita ferrent, optimis conditionibus confecturum. Tam perniciosæ ſibi rerum conuerſionis auctores ratus Hiſpanos Oratores; decreuit ad extremum, vijs alijs omnibus poſthabitis, ipſemet Archiducem conuenire; atque apud eum labantem cauſam ſuam utcumque ſtabilire. Archiduci quoque in votis erat huiuſmodi congreſſus, ut ſe Mænius, & Milites, & quas habebat in poteſtate Vrbes, Arceſque Hiſpano ſubijceret.

Mænius Archiducem conuenit.

QVARE Mænius nihil morandum arbitratus, relicto Lauduni Liberorum minore natu Carolo Emanuèle Summæ Ripæ Comite cum parte copiarum Burgo commiſſa; Guiſam ipſe cum reliquis perrexit: ibique eis iuſſis conſiſtere, ſexaginta dumtaxat Equitibus comitantibus ad Archiducem contendit. Exceptus ab eo fuit honoris, & beneuolentiæ ſignificationibus maximis: ac multis habitis inter ſe colloquijs ad extremum decreuere, ut cum ſuis copijs Mænius ſe Mansfeldio coniungeret, ac paribus animis, communique conſenſu bellum adminiſtrarent; & progreſſibus Henrici viribus cunctis obſiſterent.

Rex Hēricus Laudunum obſidet.

Bentiuolus par. 3. lib. 1. Botereius l. 1. Catherinus lib. 14.

IAM hic cum Niuernenſi, ac Bullionio Ducibus, cumque Peditum duodecim millibus, Equitum duobus, vel, ut alij tradunt, quatuor millibus Laudunum obſidebat. Quæ obſidio, ut eò validior, quò minùs prouiſa hoſtibus accideret, Chionio cum Exercitu progreſſus per Sancti Quintini Oppidum, Creſſiumque propiùs Capellam acceſſit, ſpecie Fœderatorum copias inuadendi. Verùm dum aduerſæ illis acies leuiter confligunt; iubet poſtremum agmen, cui Bironius præerat, ſenſim recedens, ad Laudunum verti. Eòdemque poſt non multas horas Sanlucio, & Salignaco præmiſſis, ipſe poſtridie Rex cum Niuernenſi peruenit.

INGENTEM ea res ſollicitudinem Mænij Ducis animo iniecit: & quòd Vrbis natura, atque arte munitiſſimæ grauis futura eſſet iactura: & quòd ibi magnam opum ſuarum partem, pignuſque multò cariſſimum, iuniorem filium (utì modo diximus)

1594. *Cæsar Campana de bello Belg. par. 3. lib. 2. Ant. Herrera hist. Gall. lib. 6. c. 6.*

nius) detineret. Quare statim Carolum Mansfeldium Landrecesij degentem adijt, idoneaque postulauit ad tutandum Laudunum auxilia. Cumque abnueret ille copias, longè hostilibus inferiores, sponte in discrimen, & certam cladem obijcere: Bruxellas ad Archiducem se contulit, à quo mandata decretoria impetrauit, ut periculis omnibus neglectis, ad Lauduni defensionem Mansfeldius cum Exercitu properaret. Quin ipsi Mænio in ea expeditione summum imperium commisit Ernestus: tum ut magis ei fidere, ac pluris eum facere videretur: tum nè prærogatiua illa, cui iam erat assuetus, se fraudatum indignans Mænius, in qualemcunque cum Rege concordiam præceps rueret. Igitur Archiducis iussu Feram usque deducitur exercitus, indè Laudunum auxilio venturus.

Mænius ab Archiduce præficitur Exercitui Belgico in Lauduni subsidium.

Lauduni situs.

Carolus Coloma lib. 7. Bentiuolus par. 3. lib. 1. Campana. Ant. Carnerus lib. 10. c. 10. 11. Catherinus lib. 14. Thuan. lib. 111. Herrera.

In explicata latè planitie Laudunum viuo impositum saxo consurgit: ad latus Boreale Feram, atque ingens nemus proximum habens: ad Meridiem Suessiones: ad ortum Solis Rhetelium, atque ulteriùs Rhemos: ad Occasum Nouiodunum. Has ferme partes omnes ita suis copijs interclusit Henricus, ut nullà earum intromitti subsidium in Vrbem posset. Namque Rhemensem viam, aditumque Campaniæ custodiri iussit à Castreo cum milite, quem ducebat: nè Guisius Dux cum eis, quas habebat in illa prouincia, copijs, unàque Lotharingus illac auxiliares aduenirent. Quà verò Suessiones petuntur; Niuernensis insedit. Quà Nouiodunum; Longauillæ Dux cum suis militibus constitit. Hi omnes circumire iubebant Equites exploratores: ne quis vel commeatibus, vel subsidijs pateret ingressus. Aditum verò maximi momenti, quà nempe rectà irrumpere poterat Hispanorum Exercitus; Rex ipse tenere cum potissima copiarum parte decreuit. Collis illic erat prope memoratum nemus, & Pagus, siue ut alij scripsere, Cœnobium à Sancto Vincentio nominatum, ipsi par Vrbi situs excelsitate. Hæc loca primùm occupanti maximè opportuna, prouidè Rex inuasit, ac cepit prima sui aduentus die. Et Pagum quidem ipse insedit: ad fauces verò syluæ Suessionum Comitem, ac Vici Dominum locauit: & viam in collis vertice apertam, ab Humerio cum trecentis Equitibus loricatis, atque ab Giurio cum quingentis Equitibus leuis armaturæ seruari iussit. Denique nè quam partem omitteret prudentissimi Ducis, aduersùs improuisam hostium irruptionem, Cleremontium, atque Ambosianum cum quinque sclopetariorum Equitum turmis, castris ad Crettium ponendis, præmiserat: Castrumque Diui Lamberti dictum nomine, atque in via hostibus peruia situm, communierat.

Henriciani Exercitus in obsidione dispositio.

Turtura lib. 20. Campana.

1594.

In hunc modum omni aditu ſubſidijs præcluſo; quinque aggeres loricati erigi cœpti, ut eorum obtentu, ad foſſam Vrbi circumductam liceret accedere. Vnicuique fabricando allaborabant ſummo ſtudio Pedites cum plerisque Ruſticis eius regionis. Neque ſuis partibus deerant Vrbis Defenſores; ictibus bombardarum, & validis eruptionibus ab omni latere opera interturbantes: adeo ut duobus primis diebus milites quadringentos occiderint, aliosque Principes etiam viros grauiſſimè ſauciarint. Ex edito vero Pago, quem diximus, ſenis bombardis Vrbem concuti Henricus iuſſit.

Auxiliares Fœderatorum copiæ clã hoſte adueniunt.

Dvmqve alia expediuntur tormenta, & cuniculi præparantur ad Vrbis muros diruendos, quà reſpicit Feram: apparet è longinquo Fœderatorum Exercitus à Mænio, Mansfeldioque ſummo ſilentio, & celeritate deductus. Hic ut magis inopinatus hoſtibus adueniret, itinere longiore proceſſerat Feram propiùs, & magis procul fluuio. Quæ cauſa fuit, ut per ſummum calorem, & aquarum penuriam, ſupra quingentos milites interirent. Duæ Fera digredientes Laudunum verſùs ferunt viæ: altera per mediam ſyluam tres ferè leucas patentem: altera per apertam, explicatamque planitiem. Hanc ut ingrederetur Exercitus, plerique ſuadebant: tum ad hoſtium in altera facilè diſpoſitas vitandas inſidias: tum nè moras pateretur ab arboribus, eorumdem fortaſſe aſtu interſectis, obiectisque. At Mansfeldio potior altera fuit, quòd eſſet Equitatu deſtitutus, præter eum, qui ad Mænij cuſtodiam erat. Eadem Equitum obſtitit penuria, quo minus Exploratores præmitterentur in ſyluam. Quoniam verò improuiſus hoſtibus adeſſe Mænius contendebat, ita ratus, nemine reluctante ſubſidium ſe in Vrbem introducturum; ubi leucam circiter procul Fera exercitus fuit, accelerari gradum iuſſit.

Earum ordo per Syluam.

Hic autem ordo copiarum ſyluam permeantium erat. Exercitus frontem ingens agmen Sclopetariorum muniebat. Sequebantur Moſquetarij. Proximi erant haſtati, quos inter tot arborum impedimenta nihil agere idoneos, undique Sclopetarij ſtipabant, nè hoſtilibus opprimerentur inſidijs. In vijs verò inuicem interſectis, ac decuſſatis aliqui ſemper Milites ad cuſtodiam inſiſtebant, donec totus tranſduceretur exercitus. Incompertus hoſtibus fuit hic nemoris ingreſſus. Imò ratus Henricus Belgicas copias apertâ viâ deduci, eò cum toto Exercitus corpore properauit: adeoque rarum in obſidione militem reliquit, ut ſi acriter hoſtis iter maturaſſet, nullum fuiſſet obicem inuenturus, qui acceſſum ad Vrbem prohiberet.

1594. Animvs erat Mænio ingressum, quamuis periculosæ plenum aleæ, tentare: & quia euntibus obsisti non posse arbitrabatur: & quòd eum suos, ac sua recuperandi cura vehemens urgebat. Verùm aliter Mansfeldio visum, qui non tam facilem, aut tutam existimabat per nemus illud hosti obnoxium traiectionem. Imò etsi subsidium in Vrbem inferretur, nimis aperto discrimini exercitum se objicere animaduertebat. Cum enim commeatus nonnisi ad tempus breuissimum suppeterent: & circumiectas syluas, aditumque omnem hostibus occupare liceret; metuebat, nè qui ad soluendam venerant obsidionem, arctiùs multò, quàm Vrbs, in reditu obsiderentur. Tutius ergo duxit castra ponere, ac munire. Cui tanquam salubriori consilio Mænius ipse dissentire non potuit.

Foederatorum castra uti disposita.

Qvare deportato trans nemus exercitu, ita Castra locata sunt: ut nemus ipsum ad tergum esset: ad frontem amplissima planities: Pagus ad dextrum latus: collis ad sinistrum. Quæ duo postrema loca ab hoste deserta, promptè, prudenterque fuerunt à Mansfeldianis occupata. Sylua erat altera, eâ, quam transmiserant, minor; sed propior Lauduno: quam qui teneret, haud parum hosti vicino afferre posset incommodi. Eam tamen Mansfeldius omisit: tum uti à suis Castris valde remotam; tum quòd ad eam tutandam ingenti numero militum opus erat.

Reversvs Henricus, hostemque videns Castra posuisse, & collem, quem priùs ipse tenuerat, occupasse, alium ex aduerso situm, atque ad ictum bombardæ distantem cepit. Indè alter in alterius exercitus castra tormenta displodere; minore tamen Henrici damno, quem insessus collis meliùs tuebatur. Eiusdem aliquot copiæ neglectum à Mansfeldio nemus intrarunt. Sed cùm pauci numero essent, facilè indè repulsi à militibus, quos Mansfeldius eò sub noctem transmisit. Vacuam verò syluam relictam denuo Galli Henrico militantes inuaserunt, at numero longè quàm antea maiore. Quippe Rex arbitratus, velle hostes quotidie ad Vesperam ea procul ab se remouere damna, quę per totam noctem à militibus in sylua latentibus pati possent: iussit palàm quidem Suessionum Comitem cum paucis, ut priùs, nemus ingredi; clam verò diuersis locis mille partim Equites, partim Pedites ternos, aut quaternos in eamdem syluam sese abdere. Verùm militaris hic dolus excubantes in summo colle Hispanos minimè latuit. Rem itaque Mansfeldio aperiunt, qui multò quàm antè vehementiùs in sylua clausos hostes inuadendos ratus; Claudium Barlotam, toties exploratum ingentium animorum Tribunum, iussit cum tribus militum

Castra inimica se inuicem infestant.

Militaris astus Henrici ab Hispanis detectus.

Vallones Gallos à syluæ pellunt.

1594.

millibus à tribus partibus syluam irrumpere. Quod tam celeriter, atque opportunè peractum; ut in magnum terrorem, nec periculum minus inclusus hostis conijceretur. Vtrinque consertæ manus, & bellum exiguum succensum. Galli denique loco moti; eorumque Equitatus militum ferè trecentorum ab solo Mænij Ducis agmine usque ad Castra propulsus.

ABERAT id temporis Henricus, ad ægrotum Præfectum militum suum inuisendum, profectus in proximum Pagum. Vbi verò rei malè à suis gestæ rumorem excepit: regressus properè ita eos animauit, ut denuo syluam aggrederentur: sed irrito conatu, constanter à Barlota nec sinè detrimento reiecti. Quia tamen Hispanorum diminuta militibus erant Castra: & iure timebatur, ne Rex ea cum uniuersis copijs inuaderet, spatium occupans nemori, & Castris interiectum; sapienter Mansfeldius cani receptui, ac syluam deseri iussit. Multi eo prælio ex utraque parte cæsi, sed maiore Gallorum iactura. Armorum condicta cessatio, dum extincti humarentur. Quo tempore displosis utrinque bombardis data signa lætitiæ: ab Hispanis, quòd à se stetisse victoriam anteacti certaminis existimarent: à Gallis quòd Bironius Hispanos milites commeatum deducentes profligasset.

Bironius commeatus hostis intercipit.

HIC namque cum frequenti Peditum acie, & Giurius cum Equitum turma intra maiorem syluam se collocauerant in insidijs. Vbi ergo partem hostilium copiarum nemus ingressam vident; obuiam statim occurrunt, atque ingentem contrà sclopetorum vim exonerant. Magnus Hispanis terror iniectus, non quòd paratas ab hoste sibi non putassent insidias; sed quia tantum militum numerum se incursuros minimè sibi persuaserant. Quare post modicam contentionem frons agminis dissipatur. Neque proximè sequentium felicior exitus. Postremi, qui omnes ex Hispania milites erant, licèt ijs integrum fuisset, dum cæteri pugnarent, tutiorem in locum se recipere; memores patriæ virtutis, ac tenaces existimationis innatæ, ultro sese hostibus obtulerunt in pugnam, eisque maiore pretio sanguinis emptam reliquere victoriam. Quam vix etiam consequuti Galli fuissent; nisi Bironius, & Giurius, atque ad eorum exemplum alij primarij Viri ex equis se dedissent in pedes, ac lanceas ab Heluetiorum manibus abripuissent, qui parum acriter prælium inierant. Ea res tantum reliquis addidit animorum: ut Hispanas copias prorsus oppresserint; octingentis ferè, diuersis è Nationibus, & quidem optimis, Mansfeldiani Exercitus extinctis: & ducentos carros commeatibus onustos reportante Bironio.

Hispanorum virtus, & constantia.

1594. nio. Prospexerant quidem animo Mænius, ac Mansfeldius id infortunij: sed periclitandum censuere; quia si res feliciter euenisset, in tuto collocaturi erant Laudunum, commeatibus Vrbem propiùs admotis, ac militibus accessum hostis distinentibus.

Longauillæ Dux alios commeatus abripit.

EAMDEM passus paulò ante fuerat calamitatem Nouioduni Præfectus, qui alios inuehebat commeatus; Nicolao Basta cum suo Equitatu illos tutante. Nam ad Sancti Quintini Oppidum eos adortus Longauillæ Dux fudit, ac profligauit. Et quamquam Basta in Milites id culpæ conijceret, qui pugnare detrectassent; multum tamen ei partæ laudis, atque existimationis inde detractum.

Fœderatorũ exercitus recedit.

IGITVR uno atque altero malo docti Mænius, ac Mansfeldius, cum se locum tenere minimè posse, longèque numero Militum se cernentes ab hoste superari; post unius diei commorationem, iussere sub auroram decimoquarto Calendas Iulias, sinè strepitu tympanorum, impedimenta retro agi per eadem, quæ veniendo presserant, nemoris vestigia. Vniuersus verò Exercitus discessurus, fuit in agmen triplex diuisus: atque alterum ab altero haud magno remotum interuallo procedebat. Qui verò ad custodiam dispositi varijs locis Milites erant, omnes relicti sunt, ut hostem ingressu syluæ prohiberent. De Fœderatorum recessu certior factus Henricus, conatus est nemus ingredi, sed incassum; memoratis Custodibus aditum obstruentibus. Hi verò cum se ab Henricianis diutius defendissent; modico detrimento se receperunt ad suos, quòd arte usi, atque ordine singulari. Ordo autem is erat. Dum agmen primum retrocedebat, latera conuertebat in hostes: atque ubi terga in eosdem vertenda erant, agmen alterum par superiori, quod succedebat, frontem hostibus ostentabat, donec illud huius obtentu defenderetur. Hoc rursum in conuersione ab illo in orbem reuertente protectum. Quibus artibus Gallos tamdiu vel fatigarunt, vel eluserunt; ut se tandem in syluæ possessione firmarent. Tum verò copijs suorum postremis sese adiunxerunt: quas Rex aliquamdiu insectatus diuexauit. At deinde sanius consilium duxit, eas adoriri syluâ egredientes.

Retrocedendi ordo mirabilis.

QVARE cum ad eiusdem exitum magnam Exercitus partem præmisisset; eòdem ipse cum reliquo per summam diligentiam, nemore omni circumacto, perrexit. Quia tamen longior ille circuitus erat; Fœderatorum principia Mænio Ductore, mediaque agmina à Mansfeldio recta iam extra syluam in tutum euaserant, quando ad destinatum locum deuenit Henricus. Ibi-

Henricus extremum Exercitum carpere studet, sed frustra.

dem nihilominus consistere decreuit, ut extremum agmen carperet, in quo flos erat Hispanicæ, Italicæque Nobilitatis. Huic verò Exercitus parti fortunatus error ducentium fuit. Cum enim remoto ab alijs exitu prodijssent è nemore: Rex, qui ad alium locum contenderat, serum duxit eos aggredi cum Peditatu: ideoque cum Equitibus eosdem inuadens, tantum tamen spatij dedit, ut possent illi extra syluam se in aciem disponere. Et quia veterani, strenuique Milites erant, secumque Mænium habebant: qui collocatis in tuto primis agminibus, medijsque iam extra periculum perspectis, ad eos recurrerat: atque ante omnes lanceam manu præferens stabat: egregia se virtute tutati sunt, continenter, ac miro ordine procedentes, nè ab hostili Peditatu inuaderentur. At Henriciani Equites impetum in eorum alas fecerunt: quæ cum resistere nequirent, in reliqui sinum exercitus receperunt sese.

QVARE copias uniuersas circumcludi iussit Henricus, atque oppugnari. Verùm in prima impressione malè accepti Galli fuere à Sclopetarijs inter Hastatos collocatis: qui primos impetus strenuè sustinentes, adeo cæteris animos addiderunt: ut quamuis è quatuor lateribus eos adortus premeret Hostis; nunquam tamen iter institutum prosequi cessarent, metuentes nè ab hostili Peditatu, quem propiorem subinde fieri cernebant, opprimerentur. Igitur perpetuò prælantes simul, ac progredientes horarum spatio duarum ad locum deuenere, in quo Mansfeldius eorum discrimen prouidens opportunè iusserat tormenta disponi: eosdemque cum iusto Militum numero ad ferendum subsidium præstolabatur. Quod ubi Rex animaduertit, eos ulteriùs insectari vetuit, atque ad obsidionem redire Militem iussit, palàm professus: tot annorum spatio, quibus tam frequentia, tam atrocia gesserat bella, nunquam se maiorem, aut parem obsistendi ferociam in hostibus obseruasse.

Fœderatorum militũ virtus ab inimico Rege laudata.

AT Fœderatorum Exercitus gemino commeatu per hostiles insidias intercepto, famis extremam timens necessitatem, iam de discessione cogitabat. Modus tamen, ac ratio discedendi non eadem supremis Ducibus placebat. Mansfeldius quippe, quò tutiùs abire liceret, noctu digrediendum rebatur. Mænius contrà, cui antiquior erat existimatio, ac fama, quàm securitas, diurnam digressionem præhabebat. Cumque Mansfeldium in suam pertrahere sententiam nequijsset; cum eodem conuenit, ut ipse, & corpus exercitus, cui præerat, & principia à Mottæ Domino ducta cum tormentis maioribus antelucano tempore demigrarent: Mænius verò cum postremis agminibus cla-

De forma discessionis Fœderati deliberant.

ra

Mænij Ducis magnanimitas, & prudentia.

ra luce discederet. In hoc receptu vel maximè generosa Mænij mens, & prudentia militaris eluxit. Cum enim quatuor itinere leucarum per aperta loca recedendum esset in hostium conspectu, qui florenti Equitatu longè superiores erant; eo tamen ordine, tantaque arte Castra mouit, ut nullum in facinore magis animoso, quàm cauto, passus fuerit detrimentum. Disposuerat ipse propè hostem octo militum acies partim Italorum, partim Hispanorum: quibus præerant Franciscus Sangrius, & Alphonsus Mendozza: ille è Neapolitana, hic ex Hispana nobilitate primarij. Post eas agmen leuis armaturæ collocauerat, cuius in postremis ordinibus ipse aderat, hastam manu gerens, cum alijs Principibus viris, & præcipuis copiarum Præfectis supra centum. His Vallones præire iussi, ductore Barlota, cum sex tormentis campestribus, in hostem, ubi res posceret, dirigendis.

Memorabilis se recipiendi ratio.

VT mane clarum illuxit, mouere castra Vallones cœperunt; quos leuis armaturæ milites sequebantur. Henricus, apud quem iactarat Bironius, tot se fractos currus, & sparsa occisorum cadauera in via reliquisse, ut hostes in recessu maximos essent obices experturi: cum primùm eos audiuit iam recedere, promouit Equitatum, ut illorum tergo insisteret. At Milites ad custodiam positi, qui postremi omnium se loco mouebant, admirabili magisterio utebantur. Namque ubi Militum alæ mosqueta exonerauerant, ad Hastatorum terga se recipiebant, fronte tamen hosti semper aduersa. Interea sclopeta ordinibus interiecta displodebantur: simulque posteriores alæ prodibant, quibus manualia tormenta exonerantibus, Milites illi, qui modò disploserant, nunquam vertentes dorsum, recedebant: sic alius ordo post alium se recipiebat, donec ad terga Equitum leuis armaturæ deuenirent.

Ei nihil officere potest Henricus.

Hos verò ubi primùm aggressi sunt Giurius, & Suessionum Comes, alijque in principijs Gallici Equitatus constituti: statim inclinatis aduersus eos hastis, & denso nimbo pilarum è sclopetis effuso ita propulsabantur; ut illis in orbem currentibus, & circùm equitantibus interijcere se non fuerint ausi. Ea tam sapiens, ac tuta receptio singularem Mænij Ducis vertebat in laudem: qui statura procerus, & armis undique tectus, quà verbis, quà exemplo animos omnium inflammabat. Cumque laboribus, & caloribus fatigati viam angustiorem intrassent; Barlota super aggeribus fossarum tormenta utrinque disposuit: atque ita coëgit hostilem Equitatum recedere, & liberum permittere Fœderatorum copijs Feram receptum. Neque à Bironio iactata viam obstruxere impedimenta: quando illis sensim,

atque

atque ordine recedentibus, ſpatium Operarijs dabatur obices amouendi. At Henricus, digreſſis hoſtibus, ad obſidionem Laudunenſem reuerſus. 1594.

Dvm in hunc modum arma Belgica exercerentur in Gallia; placuit Erneſto Archiduci commiſſi ſibi Belgij primariam Vrbem Antuerpiam perluſtrare. Ibi verò relictæ copiæ longè iucundiora dedere ſpectacula. Namque Vrbem ingreſſuro proceſſit obuiam Exercitus ingens, qui licèt ad pompam, non ad pugnam eſſet inſtructus; bellicæ tamen artis, ac peritiæ gratiſſimum Principi ſpecimen exhibuit. Ita quiſque ſplendidis in armis, in vultu, totoque corporis habitu ſe conſpiciendum præbebat: ut quot Milites cernebantur, tot cenſerentur Duces. Eidem ingreſſo tam multa patuere, tam varia honoris, & lætitiæ monumenta, & quidem à varijs certatim excitata Nationibus, quarum Emporium frequentisſimum Antuerpia eſt; ut ad magnificam tanti Principis exceptionem, coaluiſſe in unam Vrbem Orbis terræ pars optima Europa videretur. Hîc triumphalis aſsurgebat Arcus Hiſpanorum, illic Luſitanorum, alibi Genuenſium, Mediolanenſium alibi: partibus alijs Florentinorum, Lucenſium, & Germaniam ſuam ſplendidè referentium Fuggerorum. Spectabantur varijs locis erecta, & onuſta ſpolijs trophæa: pegmata ſtatuis, inſcriptionibus, obeliſcis miro artificio inſtructa: triumphalis currus ingentis operis terram, nauis admiranda fluuium Scaldim pererrans: immanis coloſsus: elephas pro turri columnam ſuſtinens: marina bellua magnitudinis portentoſæ.

Erneſto Archiduci Antuerpiam inuiſenti militaris occurſus pompa.

Ioannes Bochius in Deſcript. Gratulat.

Triumphales erecti Arcus, & machinæ.

Qvod verò maximè oculos omnium cum admiratione rapiebat ad ſeſe, deque triumphali pompa uniuerſa triumphare videbatur; Theatrum fuit magnificentisſimum in ea Vrbis via excitatum, quæ omnium amplisſima, atque amœnisſima à Ponte Marino nomen inuenit. Ingentis erat hoc opus molitionis: interiùs ex antiquo ritu gradatum: fornicibus exteriùs, eosque ſuſtinentibus columnis triplici ordine diſtinctum, cancellis in ſummo faſtigio, & in calce, atque utrinque margine definitum. In gradibus conſidentes videre erat, quâ Virtutes præcipuas, earumque mediam Pacem, à qua Theatrum Pacis Auſtriacæ tota moles appellabatur: quâ nouem cum Apolline Muſas: quâ ſeptem Artes, quas Liberales vocant, aliaſque operum machinatrices. Neque Hiſpaniarum regna præcipua: neque ſeptemdecim Belgicæ Prouinciæ virginali forma, ornatuque inſignes, deſiderabantur. Hæ verò fuerunt ita diſpoſitæ, ut earum decem adhuc Hiſpano Regi ſubiectæ, dexteram partem: ſeptem, quæ

Theatrum Pacis Auſtriacæ.

Eius deſcriptio, & ſignificatio.

ſe

1594. se ab eius ditione subtraxerant, sinistram obtinerent. Vtrarumque media, & situ paulò excelsior Austria spectabatur, quæ manibus singulis singulas extremas fascias ab eisdem per manus traditas sustinebat. Atque ubi ante huiusmodi spectaculum æquè admirabundus, ac lætus constitit Archidux; quæ referebat Austriam Virgo, debita Principem veneratione prosequuta, extremas illas fasciarum partes in nodum colligauit: intelligentibus ex eo symbolo, qui aderant, uniuersis; tempus aduenisse, quo ab Austriaco Principe Belgicæ Prouinciæ omnes in unum, ut antea, coniungerentur Austriacæ Gentis imperium. Quæ spes adstantibus Belgis tam ad viuum ob oculos posita, plausus exciuit ingentes, & plerisque lætitiæ lacrymas elicuit. Eamdem sibi felicitatem augurati sunt Antuerpienses in eiusdem Theatri calce proposita inscriptione. Sed tam falsum id augurium fuit, quàm fictitiæ spectabantur in ea scena personæ: ac de pace spes illæ omnes, & gaudia, scilicet in Theatro data sunt.

Seditio militum Areschotana, & Sichemiensis.

AT non theatrales, aut ad spectaculum fictæ seditiones fuere; quæ paulò post has Archiduci pompas exhibitas, & festos ignes non semel tota Vrbe succensos, & equestres ludos magno splendore, ac sumptu editos, in Italicis Castris exarserunt. Areschot, nobili in Oppido, Brabantiæ ferme totius umbilico, à quo circumiecta ditio, Ducique subiecta, nomen accepit, Italorum legio, cui Gasto Spinula Siciliensis præerat, stationem habebat. Verùm eo in Hispaniam profecto, militare id obibat imperium Vespasianus Carcanus. In proximo quoque tribus leucis Castro (quod Sichemium appellant) aliæ Italicæ copiæ morabantur sub duobus Centurionibus Lucensibus Cornelio Gasparino, & Bernardo Samminiato. His, tanquam lectissimis militibus, ad custodiam corporis uti Parmensis Alexander solitus erat. Vtrique iamdiu stipendia requirebant. Areschotani præsertim, quorum aliqui sex, septem-ve annos, & ampliùs eisdem fraudabantur. Quare cum ad recens aliorum exemplum (quod superiùs memoratum) in seditionem erumpere cogitarent; dissimulandum id rati sunt, donec duplex acciperent stipendium; & specie quidem migrandi, uti iubebantur, in Frisiam; re autem vera, ut meliùs eis, quæ opportuna erant, instructi seditionem validiùs sustinerent.

Campana p. 2. l. 7. & p. 3. l. 2. Coloma l. 7. Card. Bentiuol p. 3. l. 1. Canerus l. 10. c. 12. Lanarius de bell. Belgic. ann. 1594. M. Ianson. lib. 11. Thuanus l. 109.

Earum causa.

IGITVR Areschotani milites cum vicinis, eiusdemque patriæ Italiæ Sichemiensibus per fidos, & clandestinos Internuncios conspirarunt: ut quorum una erat causa, una esset fortuna. Sichemium verò, utpote munitiorem locum, coniuratis omni-

Sichen.

Q

omnibus sedem statuerunt. Iamque perficiendum opus sola stipendiorum solutio morabatur: sinè qua omnino negabant, se pedem indè Frisiam versùs elaturos. E præcipuis, qui rem tantam moliebantur, unus erat Hieronymus Spadinus. Is, uti pronum est in amicos, quicquid animo latet, effundere; familiari suo in militari munere constituto conspirationem aperuit. Suarum hic partium esse censuit, rem ad Carcanum moderatorem deferre. Quod ubi Carcanus accepit, consiliorum seriem uniuersam solerter indagare aggressus est; ut eâ penitus compertâ, capita seditionis exscinderet, terrore cæteros coërceret. Verùm quia grauium negotiorum anima secretum est, quo patefacto, illa pereunt: id remedium euanuit, postquam ad Theodorum Fracassam, è primis Coniuratorum alterum, eius notitia peruenit. Socios quippe vespertino tempore cum conuenisset, eos acriter commonefecit, ut maturarent opus, nisi mallent post paulum ignominiosè trucidari.

1594.

Conspiratio detegitur, ideoque seditio festinatur.

His auditis, & omnium consensu deliberata maturitate facinoris; sub alteram noctis horam Hieronymus Spadinus in forum cum duodecim è suis militibus processit; pulsitoque tympano concitare cœpit ad arma. Quo strepitu concussis militum animis, ingens eorum numerus tumultuariò irrupit in forum. Vtque quid agitatum fuisset, eos minimè latebat; statim in aciem sese disponentes, exclamare cœperunt. Viuat Deus, & Rex. Carcanus, cæterique Militum Præfecti, ab eo tumultu vitæ suæ metuentes, in publicum dare se, militarique obijcere furori non sunt ausi. Sed ille per Internuncium conatus est sedare tumultuantes. Sena polliceri stipendia extemplo soluenda: asseuerare, nullam in posterum fore seditionis eius mentionem. Nihil tamen his pollicitationibus profectum: intentantibus mortem militibus ei, qui ulli concordiæ tractationi præberet aurem, nisi perfecta solutio stipendiorum omnium offerretur. Quare Moderatores illi nil opportunius duxerunt, quàm sese urbis, certoque vitæ discrimini subtrahere: properèque cum duabus Centurijs Louanium, tribus indè leucis remotum, transmigrarunt. Hinc nullâ interiectâ morâ Sichemium aliquot miserunt, qui cognoscerent, an commorantes ibi Milites adhuc in deliberata seditione persisterent. Introgressi similes illic viderunt excitos tumultus. Quorum & Areschotani facti certiores, eò se quadrato agmine contulere.

Noctu conclamatur ad arma.

Præfecti militũ sedare tumultus frustra conantur.

Deinde verò ex utrisque Militibus conflatæ copiæ recensitæ, distributæque in foro sunt. Ibidem Præfecti Militum de integro renunciati: eorumque supremus, quem Electum appellant,

Seditiosi Areschotani, & Sichemienses coniunguntur.

1594. lant, Stephanus Caprianus Mediolanensis creatus est. Vtque à tumultu orta secessio, ab ordine progressum, ac diuturnitatem haberet: nouis quoque legibus institutis, & pœnarum, ac præmiorum propositione firmatis, imperium id extra imperium munierunt. Equitatus ferè nullus principio erat, mox ad numerum octingentorum, & amplius extreuit. Quamobrem & ei præficiendi fuere, qui regerent. Et quemadmodum flumina ab exiguis orta capitibus, unâque scaturigine; in ea subinde amnibus alijs, alijsque confluentibus, in immensam augescunt amplitudinem, aquasque voluunt origine diuersas: ita seditio illa à paucis unius Italicæ gentis centurijs excitata, aliarum nouem concursu Nationum; Gallorum nempe, Vallonum, Belgarum, Germanorum, Anglorum, Scotorum, Hibernorum, Epirotarum, Hispanorum, amplificata fuit adeò, ut duorum millium numerum superaret.

Electum, & alios Præfectos creant.

Conspiratio decem Nationum.

VBI primùm Coniurati Sichemij coaluere; Louaniensibus, & Diestanis, qui leucâ unâ distabant, nunciari iusserunt: se, quod moris in secessionibus esset, ut cum finitimis amicitia conseruaretur, ab eis commeatum, & bellicum instrumentum postulare. Quibus cum subacerbè Populi respondissent, statim malo suo didicerunt: nimis exitiosum esse illorum contra se indignationem irritare, qui in extremam desperationem adducti, vel suorum Principum contempserint maiestatem. Quare postea Finitimi omnes, ut imminentia damna, maiusque malum minore redimerent; satius habuerunt, quicquid opus esset, concedere Seditiosis.

Seditiosi commeatum, & alia à finitimis exigunt.

HORVM conspiratio cum primùm ad aures Archiducis peruenit, eodemque ferè tempore, quo amissæ Groningæ allatus est nuncius; ingenti dolore perculit eius animum, quamuis & ortu, & usu generosum. Prospiciebat quippe in una, atque altera calamitate regiarum rerum inclinationes, & mala de malis pullulantia. Ex una seditione aliam fieri: imò plures in unam conglobari, ad reddenda difficiliora remedia, ad reliquas copias exemplo pessimo sollicitandas. Iam non necessitatem ad tumultuandum adigere, sed consuetudinis corruptelam in dies magis, magisque inualescentem. Eò deuenisse conditionem Regis in mundo maximè lamentabilem: ut pugnandum ei sit cum suis penè frequentiùs, quàm cum hostibus: & perniciosa magis sua experiatur arma, quàm inimica.

De seditione sensus Archiducis.

HARVM animaduersio rerum, & ex ea iustissima exardescens ira, stimulabant in bellico Senatu, ut suauioribus curandi rationibus sepositis, tam contagiosa lues igne, ac ferro peni-

Remedia quæruntur in bellico Senatu.

tùs exſcinderetur. Verùm Archiducis mite ingenium interceſſit, illo potiſſimum argumento adductum: quòd abſurdum videretur, atque illaudabilis exempli armare Milites in ſuos Commilitones: & hoſtili præparatos ſanguini gladios in ſua quodammodo viſcera conuertere. Igitur ut leuiora principio remedia tentarentur; miſſus fuit ab Archiduce Ioannes Iacobus Comes Belgioioſus Mediolanenſis, è Præfectis Italici Exercitûs unus, & Militibus in primis gratioſus: qui literas eiuſdem, plenas benignitatis, ad ſeditioſos perferret, eosque ad obſequium honeſtis conditionibus reuocaret. Reſponſum illi quidem ad Epiſtolam dederunt, ſeſe excuſantes, quòd ad eam capiendam deliberationem extremâ fuiſſent rerum omnium neceſſitate compulſi. Neque aliud quidquam ſe petere affirmabant, niſi iuſta ſtipendia, bellicis tot annorum laboribus, & periculis in obſequium Regis, promerita. Non tamen Sichemium ingredi Belgioioſum permiſerunt, veriti nè quid eius conſpectu, efficacique facundia, in militum animis immutaretur. Imò dimittentes, eum redire vetuerunt, niſi ſolutionem ſtipendiorum omnium offerentem.

Belgioioſus Comes concordiæ tractationē init, ſed incaſſum.

NEQVE idcirco deſtitit ab eadem molli via tentanda verè factus ad omnem clementiam Archidux. Iterum ſcribit: Satìs eis, quantùm honeſtè poſſet, ſe facturum. Petitiones ipſi perſcriberent ſuas. Idem Comes epiſtolam pertulit: ut perlegeretur, impetrauit: has eorum petitiones accepit. *Annorum omnium integra ſtipendia perſoluerentur. Venia generatim cunctis militibus daretur. Oppidum aliquod concederetur ijs, qui Regi militando mutilati, iam impotentes militiæ forent. Illis quoque ſeditioſis, quibus perſoluta eſſent elapſa ſtipendia, ſena penderentur in anteceſſum. Pœnâ capitis plecteretur, quiſquis eorum quempiam in poſterum ſeditioſum appellaret. Poſt ſolutionem, ubi maximè liberet, modò inter Milites Nationis eiuſdem, liceret militare.*

Arrogantia ſeditioſorum poſtulata.

HAEC aliaque eius generis poſtulata, in Aula Bruxellenſi propoſita, Regijs Adminiſtris viſa ſunt extra morem omnem, ac modum arrogantia. Quare conati ſunt Archiduci perſuadere, ut in ſeditioſos adeo inſolentes ſeuerè animaduerteret: cum præſertim tam importuno tempore, atque in tantis belli neceſſitatibus tam turpiter ſeceſſiſſent. Sed ſurdo canebant fabulam, qui pœnarum rigorem à Principe mentis ita benignæ requirebant. Tertiò remittitur Belgioioſus: faciliùs, quàm ante, auditur: blandè illis commonſtrat; petitiones eas magnam partem à decoro aberrare. Hortatur, ut æqui, bonique amantes, regijque ſtudioſos obſequij, nominis obſeruantes exhibeant ſe-

1594. ſe: ac tempori ſeruientes, ſpiritus tantos deponant. Illi contra: Certos eſſe ſe velle de ſolida ſtipendiorum ſolutione: neque in poſterum dari ſibi verba paſſuros. Cæterùm, quid ſibi potiſſimùm conueniret, poſtmodum conſulturos in medium.

Eorumdē in exigendis ſtipendijs pertinacia.

ALIQVID ea miti legatione profeciſſe ſibi viſus Erneſtus; Belgioioſum iterum iterumque remiſit: ut res adeò turbulentas ſalutari aliquo fine componeret. Sed quia pecunia non ſuppetebat, qua cuncta ſoluerentur ſtipendia; felicem ad exitum perduci tractatio toties repetita non potuit. Quamobrem Belgioioſus Comes, omni tandem ſpe conficiendi negotij deſtitutus, ut eo liberaretur, ab Archiduce & popoſcit, & impetrauit.

Tractationē Belgioioſus deſtitutus Auellini Princeps aſſumit, ſed pari ſucceſſu.

EADEM igitur cura Camillo Caracciolo Auellini Principi demandata: qui cum magnæ Vir erat auctoritatis: tum Italicis copijs apprime gratus. Hic primùm ſcripſit Sichemienſibus coniuratis: ſatis ipſis factum iri: ideoque ſe eoſdem conuenturum. Reſponderunt: ægrè ſe ferre, quòd affectum à Belgioioſo Comite negotium conſequi optatum exitum nequiuerit: Si tamen ipſe certiora, votiſque ipſorum opportuniora perferret; eum ſe libentiſſimis animis audituros. Iidem interea commeatuum egentes, Equitatum ad conuectandam è vicinis regionibus prædam, & frumenta, pecuniamque corrogandam è Pagis finitimis emiſerunt. Et quòd auctiores numero iam Equites erant, nullis profligari occurſibus metuentes; temerè nimis, atque audacter non ſunt veriti nocte quadam prope Bruxellas conſiſtere; ac poſtero mane quadrato agmine pro mœnibus eiuſdem Vrbis ſe oſtentare. Tantum faciebat animorum vel cæcus ſeditionis impetus, vel deſperatio rerum omnium extrema.

Mira ſeditioſorum audacia.

SED neque deerant in Aula Bruxellenſi occulti eorum fautores è Principibus etiam viris, qui clam illos ſubmonerent: eſſe apud Archiducem, qui eum ad agendum cum ipſis ſeueriùs inflammarent, opportunius eſſe contendentes, per vim eos ad æquas conuentiones adigere, quàm clementi tractatione reliquos ad tantumdem audendum inuitare. Quo comperto, ſeditioſi magnâ commeatuum, atque apparatus bellici copiâ, tanquam aduerſùs inuaſurum Hoſtem, ſe munierunt. Id enimuero ſuper omnem priorem contumaciam, altè pupugit animum Archiducis; non deficientibus, qui vulnus grauiore manu retractando, exacerbarent. Quare victus tandem horum ſuaſu, illorum pertinacia; viam tentare aliam; & quando lenitas minimùm proficiebat, vim adhibere decreuit. Armatam in eos manum adornari iubet: eique præficere ſtatuit Auellini

Eorum fautores apud Archiducē.

Is ad acerbiora remedia ſe conuertit.

Prin-

Principem. At is oneri ſe ſubduxit, indignum ratus armā mouere contra Nationem ſuam. Quæ cauſa cæteros quoque Italicos Principes ab eo munere excuſauit. 1594.

Mittit aduersus eos Hiſpanas copias.

DEMANDATVM itaque fuit Hiſpano Tribuno Aloyſio Velaſco, eò rem acriùs promoturo, quòd auctor in primis fuerat apud Archiducem vim in ſeditioſos adhibendi. Hiſpani quoque milites eidem adiuncti. In ijs erant plerique ab nouiſſima ſeditione recentes, qui ſolutis ſtipendijs, in ordinem ſe redegerant: quaſi ſuum ipſi crimen in alijs vindicaturi ſeueriùs: Satis communi mortalium vitio, ut quæ ipſi peccant, acerbiùs apud alios inſectentur.

Seditioſi explorant Hollandorum erga ſe mentem.

DE hoc apparatu certiores facti milites Sichemienſes, & ad ſuſtinendam dies aliquot obſidionem, ſe uberiùs inſtruxerunt: & ad Mauritium miſere, qui mentem eius explorarent, quàm benignam eſſent experturi; ubi Oppidum illud relinquere, atque ad Fœderatorum ditionem ſe recipere cogerentur. Neque clam adeò id ſibi agitandum putarunt, quin aliqua rumoris aura Bruxellas adlaberetur: & Principum in animos timorem inſinuaret, ne pars illa exercitus ab Rege ad hoſtes deſciſceret. Cui ut occurrerent malo, quamcunque inituri viam ad reconciliandos milites videbantur.

Hiſpani commeatibus præcludunt aditus.

VERÙM ea deprehenſa tractatio ſtimulauit Hiſpanos, ut celeriùs rem ſuſceptam, & cautiùs promouerent. Igitur aliquot eorum centuriæ ad Areſchotum Caſtra poſuerunt, ut aditum præterlabentis fluuij commeatibus intercluderent, qui vel Antuerpiâ, vel Mechliniâ Sichemium ad Coniuratos vehebantur. Quod hi exprobrare non timuere per literas ad Velaſcum datas, cum dicerent. *Nouum atque inſolens admodum videri; ſtipendia ſua poſtulantibus, victum quoque prohiberi ab illis ipſis militibus, quibus nuper è ſeditione ab Oppido Sancti Pauli reuocatis, in eadem petitione factum fuiſſet ſatis.* Reſpondit Velaſcus: *Non ad eum finem ſuos ibi milites commorari. Exploratam quippe ſibi eſſe Regiam mentem, quæ nollet ſuis fraudari ſtipendijs bellatores: quaque erga Italos æquè affecta eſſet, atque erga Hiſpanos. Quare ſollicitudinem, ac timorem omnem deponerent.* Vtque fidem dictis adderent facta; naues commeatibus onuſtas tam hominum, quàm equorum in uſum, Sichemium, ac Dieſtam appellere bis, terve permiſit.

INTEREA clam fuerat vicinis Oppidis interdictum, ne ſubſidium ullum ad ſeditioſos perferri paterentur. Aditus quoque omnes obſtruere Velaſcum aggreſſum Italorum diligentia præuertit; quorum Equites campos, ubi poſceret opus, percurrebant,

1594. bant, viamque Sichemium versùs commeatibus muniebant. Cumque ad fluuium Demeram situm id Oppidum sit; ad tutamen aditûs, ingens munimentum erexerant, quod alio minore præstructo tutabantur. Aduersùs ea Velascus Castra mouit, inuasurus principio minus munimentum, ut eo superato pronius esset, maius expugnare. Verùm aut præfestinata Hispanorum impressio, aut Seditiosorum in obsistendo vis, & constantia, conatum irritum fecit; Obsessoribus retrocedere coactis, extinctisque ex ijs supra ducentos, & Centurionibus aliquot, militumque Præfectis: ac præcipuè Petro Portocarrero, sanguine Fontano Comiti arctissimè coniuncto. Quod verò primo Velascus impetu nequiuit, patienti perseuerantia, propria Hispanæ militiæ virtute, ductis circùm aggeribus munimenta concludens, tandem est assecutus: ut inde se coniurati Sichemium reciperent. Non tamen adeo rectè disposita ea receptio fuit; quin magna militum pars in recessu vulneribus, cædibusque pateret. Verùm haud multò tutiorem in Oppido stationem inuenere; crescentibus in dies magis commeatuum inuehendorum angustijs, rebusque breui redactis ad suprema necessitatis.

Aggrediūtur munimenta seditiosorum, & tandem expugnant.

QVARE consultissimum omnium factu Seditiosi duxerunt, Nuncios iterum ad Mauritium, Ordinesque Hollandiæ legare: qui consilium simul, auxiliumque tam difficili tempore postularent. Vtrumque præbere, visum fuit Hollandis è re sua. Consilium itaque dederunt, ut ab Hispano Rege, sub quo viuere subtractis stipendijs non liceret; ad Gallum se transferrent; vel huius liberalem experturi animum, vel illius tenacem irritaturi. Re autem vera ita suasisse Mauritium ferunt, ut eam hostilis partem Exercitus procul à suis finibus summoueret: enim iure metueret, ne sedatis paulò post discordijs sola pecunia componendis; sociales illæ copiæ omnes coniunctæ in communem hostem Hollandum irrumperent, concretis tum glacie fluminibus, facilem offerentibus viam. Gessere morem hostium consilijs Seditiosi; statim ad Galliæ Regem scribentes, eiusque obsequijs suas copias dedicantes. At Rex Henricus, meritò dubius, quam ab ijs fidem expectare posset, qui neque alteri Regi cui seruiebant, eam seruassent: rem omnem ad eos, à quibus profecta fuerat, Hollandiæ Ordines reiecit.

Seditiosi consiliū, & auxiliū ab Hollandis petunt.

M. Ianson. Merc. Gallo-belg. lib. 11.

Ex horum cōsilio Henrico Regi se offerunt: ille reiicit ad Hollandos.

HI verò ut subsidijs quoque suppeditatis eas fouerent militum secessiones, rationibus suis peropportunas; non patrocinium solùm, ac defensionem polliciti sunt: sed locum quoque Bredam inter, ac Gertrudisbergam ad se recipiendum obtulerunt, si forte Sichemio pellerentur. Neque ita multò post illuc

Hollandi receptū eis concedunt ad Langstratam.

Itali

1594.

Itali commigrarunt, extremis rerum necessitatibus adacti, & circumsidentium infestatione copiarum, & maiorum metu. Mirum in ea receptione seruasse ordinem feruntur; ac militarem astum eiusmodi adhibuisse: ut viginti quinque relicti Milites consuetis clamoribus custodias simularent; funesque in summis baculis accensi vigiles ignes referrent: ac transmigrantes paulatim copias ibidem morari persuaderent Hispanis: quod procliuius fuit, facta nocturno tempore discessione. In eam Bredani partem agri, quæ Langstrata dicitur, se receperunt: ibique perhumaniter à Fœderatis accepti; munimentis circùm extructis suspicionem Hispanis commouere, ne quid per summam desperationem audacius molirentur.

In receptione ordo, & astus.

VISUM interea fuit Archiduci Ernesto, Fontano Comiti, cæterisque Regijs Administris, tam perniciosum, & magis nociturum contagio malum omnino purgandum: & quando non profecerant acriora remedia, lenioribus curandum. Hæc verò eadem fuere, quæ reliquas composuere seditiones: & quæ principio, facilique negotio supprimere possent omnes: solutio nempe stipendiorum. Quippe quemadmodum ex venenis remedium aduersùs venena humana expressit industria: ita quæ lites plerasque irritare solet pecunia, lites componit. Ad eam rem pertractandam, sæpè ultro citroque commeauit Archiducis iussu idem, qui antea, Comes Belgioiosus. Atque in has tandem conditiones conuenit. Vt Itali Tillæmontem, siue alio nomine Thenas, locum in Brabantia Regi subiectum, se conferrent: ibique cum debita securitate morarentur. Vt Hispanus aliquis Vir illustris esset apud eos obses, donec stipendia omnino persoluerentur. Is autem fuit Franciscus Padilla. Vt solutis stipendijs, in Exercitu quemadmodum antea militarent. Exinde Tillæmontem profecti, supra unius anni spatium ibidem perstitere, præ difficultatibus necessariam congerendi pecuniam, qua eis fieret satis.

Archidux redit ad mitiora remedia.

Conditiones, in quas conuentum.

DUM hisce seditionibus in Belgio Hispani Regis Exercitus extenuatur: &, quæ plurimi est ad rem bellicam momenti, existimatio minuitur: Rex Henricus in Gallia obsidionem Lauduni, exclusis (ut ante dictum) subsidijs urget alacriùs. Igitur simul Vrbem frequentibus quatere tormentis, simul pluribus locis præparare cuniculos, ad interiora munimenta tutiùs, atque efficaciùs subruenda. Neque segniores in suis partibus Vrbis Defensores. Namque Calendis Iulijs munimentis egressi, in aggeres Bironij, ac Mommartinij tantos impetus fecerunt, ut receptibus potiti, stragem ingentem ediderint, Centurionibus un-

Rex Hēricus Lauduni obsidionem urget.

Henric. Catherinus lib. 14.

Obsessi strenuè se tuentur.

1594. undecim, Militibus supra ducentos occisis. Ad eam cladem raptim Bironius, & complures undique milites accurrerunt; hostesque repulerunt in Vrbem. Qui nouum opus aggressi, suis tormentis ferociter displosis obsidentium tormenta percutere, ac magnam partem lædere cœperunt. His tamen instauratis; longus iam tractus mœnium dirutus erat: adiectusque è terra congesta eminebat agger: qui ut submoueretur, expectandum erat, dum cuniculi perducerentur ad finem.

Glurius Vir egregius ab eis occiditur.

INTER hæc singularem passi sunt Henriciani iacturam. Quippe Annas Anglurius Glurius dum summâ diligentiâ cuniculorum opus urgeret; siue ut tradunt alij, dum antelucano tempore unum ex hostibus illudens alloqueretur; improuiso ictu sclopeti vulneratus in capite, occubuit cum summo Regis Henrici, aliorumque sensu doloris. Ætatis enim in flore spiritus gerebat ingentes, egregia morum suauitate temperatos, & bonis etiam artibus excultos: ut in communi omnium beneuolentia ipsis esset hostibus amabilis.

Turr. l. 20. Thuanus l. 111.

Cuniculorum varius exitus.

E varijs cuniculis, qui perducti iam fuerant ad summum, vix ullus optatum finem nactus est. Siquidem Sanlucianus aqua perstillante inutilis euasit. Grammontiano alium exitum hostes aperuerunt. Quem effodiendum curauerat Mommartinius, murum quidem deturbauit, aggestam verò terram non succussit. Soli, quibus Bironius, & Salignacus præerant, magnas ruinas edidere. Verùm ubi per eas facta fuit impressio, hinc à Tribuno Ludouico Grillonio, hinc à Torignio Comite; egregiè sustinuerunt impetum Defensores: eodemque tempore minore cuniculo, quem furnulum appellant, succenso, complures absumpserunt ex eis, qui nimis audacter terreos aggeres inuaserant.

Henricianorum validæ oppugnationes.

ITERATAE postridie sunt, ac frequentatæ oppugnationes, quibus Bullonius, Bironiusque præerant: & quamuis Oppugnatores occupare aggeres nequierint; eum tamen hostibus incussere terrorem, ut iam sibi persuaderent, sinè subsidio Vrbem se tueri non posse. Iamque duas Turres Henriciani ceperant: ibique milites ad locum conseruandum imposuerant. Cumque non semel eos adorti Ciues essent, plerosque occiderunt, Montignijque Dominum captiuum duxere in Vrbem. Auxiliares interea copiæ in dies addebantur Henrico: ut iam Pedites ad viginti millia, Equites ad quater mille numerarentur. Obsessis contra spes ferè omnis effluxerat: Fœderatorum ostenso tantùm ad maiorem acerbitatem subsidio: militum atque instrumenti bellici summâ penuriâ: vix ullâ obsistendi ratione, ac viâ relictâ.

QVAMOBREM in colloquium venire coacti undecimo Ca-

Obsessi agunt de deditione.

lendas Augusti, deditionem pacti sunt, nisi duodecim intra dies Mænius obsidionem soluisset; aut sexcentos minimùm Pedites in Vrbem immisisset: ita tamen ut Obsessis nequaquam liceret, quauis ratione subsidiarijs copijs opem ferre: sed solùm venientibus portas pandere; neque plures trecentis in singulas vices excipere. Quæ cum perlata fuissent ad Mænium; mandauit Rex Mompenserio, Villario, ac Balagnio, qui nouissimè in eius venerat fidem, ut cum suis copijs vias Feram usque occupantes, aditum subsidijs intercluderent. Igitur his ad dictam diem deficientibus, in Regis potestatem Laudunum venit pridie Nonas Augusti. Summæ Ripæ Comes Mænij Filius, Burgus Vrbi præfectus, ac Ianinus Præses cum Præsidiarijs militibus, armis, ac rebus suis instructis, sonantibus tympanis, somitibusque succensis, digressi sunt. Mænij filius Regem adijt venerabundus; magnisque ab eo significationibus honoris, ac beneuolentiæ exceptus. Eadem die Rex Laudunum ingressus solemni cum pompa, Claudium Insulanum Mariuallium Vrbi præfecit. Nec multò pòst Ambiani subsequuta deditio, hanc ob causam.

1594.

Henricus Lauduno potitur.

Thuan. lib. 111.

Ambianum eidem deditur, Aumalio Gubernatori infensum.

Tvmvltvatvs fuerat Ambianensis populus in Aumalium Ducem, qui tunc Vrbem regebat, sollicitantibus Henrici fautoribus, ac iacientibus: Aumalium, qui conuenerat, & conspirauerat cum Hispanis, facilè Ciuitatem exterorum ditioni subiecturum. Quare Ducem Vrbe dimittere contenderunt, quippe destitutum Præsidio; quod Ciues accipere perpetuò recusarunt, sua priuilegia iactantes. Verùm eo tumultu quartum iam diem sinè certa deliberatione vigente; peropportunè Mænius aduènit, qui cum solis Militibus ad sui custodiam corporis constitutis exceptus, tumultuantes componere visus est, & Ciuitatis Primarios cum Aumalio reconciliare. At eo ad Castra regresso, statim Populus arma resumpsit: regium nomen palàm inclamauit: Carolum Humerium in Vrbem induxit: Aumalium coëgit excedere.

Cameracum eidē subiicitur à Balagnio Præfecto.

Is in rem suam semper Victores sequitur.

Per eosdem ferè dies Cameracum quoque in manus Henrici datum à Gubernatore Balagnio. Vindicauerat eam Vrbem Gallis Franciscus Dux Alenconij, Caroli Regis Noni minimus natu frater. Atque ex eius obitu ad regiam Parentem suam Catherinam unà cum rebus alijs ab ipso partis deuoluta, Ioanni Monlucio Balagnij Domino regenda tradita fuerat. Is, Reginâ extinctâ, Galliâque turbatâ, Fœderatorum partibus addictus, ne quid molestiæ pateretur ab Hispanis; paulatim ex Rectore, Principem, ac Dominum se gerebat. Vrbisque nobilitate captus,

Cambray; Thuan. lib. 111. Turturalib. 20. Catherinus lib. 14.

1594. ptus, & agri ubertate; ut eam sibi suisque perpetuam faceret ditionem, Fœderatorum rebus declinantibus, in ea cum Henrico Rege venit conuenta: *Ut si Cameraci Principem ipsum declararet, ac postmodum contra vires Hispanas tueretur: se Regis obsequio, Gallicique regni ditioni Urbem, agrumque Cameracensem subiectum: accepturum in Urbe, atque Arce Gallorum Præsidium: belli tempore cum duobus Peditum millibus, Equitibusque quingentis ei militaturum; modò Rex in singulos annos aureorum millia septuaginta, ad alendum suo sub iure Præsidium suppeditaret.* Haud ægrè in eas conditiones descendit Rex: tum ut supremum eius ditionis imperium sibi conseruaret: tum ut hosti validum obicem in ipsis finibus opponeret. Quamobrem adhuc Lutetiæ manens, eius rei decretum fieri iussit, atque ab Senatu firmari: & Albertum Gondium Radesiarum Ducem Cameracum legauit, ut ab Vrbis Ordinibus Balagnium cum Vxore, liberis, posterisque Cameraci Principem eligendum curaret, ac nominandum.

Di Res.

Clemēs VIII. propendet in reconciliationem Henrici.

FELICIVM horum Regis euentuum iam Romam fama peruaserat: Pontificisque procliuiorem ad clementiam in eum animum propellebat, ut supremam rei manum imponeret. Iamque Petro Cardinali Gondio ab Henrico Legato permiserat ad Vrbem accessum. Et quamquam vetuisset palàm de Galliæ rebus quidquam effari: clam tamen ab eodem doceri voluit de rationum momentis, quæ facerent pro Henrico: de necessitatibus Ecclesiæ Gallicanæ: de Religionis in eo regno periculis, alijsque spectantibus eòdem: ut illorum notitia usui esset in tempore. Theologorum quoque Parisiensium editum pro Rege decretum citra intimam indignationem audiuit. Demum solo aspectu, verbisque præferens iracundiam, rerum euentu prospero gaudebat in animo: suamque constantiam, seueritatem nimiam appellari lætabatur: Hispanis tam Oratoribus, quàm Cardinalibus, qui ad eum quotidie ventitabant, iactans: Publicæ se obtrectationi suum nomen obijcere, ut ipsorum voluntati morem gereret. Neque conscientiæ suæ, ac religioni se facere satis: cum in dies magis, ac magis Regis ad fidem conuersi synceritatem, atque in ea constantiam experimento cognosceret. Significandum verò curarat Henrico per literas Arnaldi Ossati eius Administri: *Ad ipsum in Ecclesiæ gremium recipiendum multa requiri: præsertim verò, ut quando legitima prole ipse careret; iuuenis Princeps Condæus, qui sanguine omnium proximus ius habere posset in regnum; Huguenotorum manibus eriperetur, atque in Catholica educaretur religione.*

Catherinus lib. 14. Turr. lib. 21. Thuanus l. 13. Campiglia lib. 10. M. Ianson. lib. 14. Arnaldus Card. Ossatus epist. 24. 26. 27. 1. par. Ioannes de Bussieres histor. Franc. lib. 23.

Epist. 5. 1. Par.

IGITVR iam pronior Clemens erat ad amplectendum Re-

Causæ cur propendeat.

1594.

gem: quâ frequentibus eius in Catholica Fide constantiæ argumentis adductus: quâ metu sollicitatus, ne nobilissimum Christianæ Reipublicæ regnum, iam propè in Henrici positum manu, ab Romano Capite diuelleretur; neu tritum illud communi voce dicterium comprobaretur: ut à Septimo Clemente Angliæ iactura facta fuerat; ita Galliæ factum iri ab Octauo. Vnus obstare videbatur Hispaniæ Rex: cui deliniendo, præter multa, quæ ab eo postulata concessit, Ioannem Franciscum Aldobrandinum, Fratris Generum, legauit in Hispaniam, specie quidem agendi de rebus Hungaricis: re autem vera, ut unà reconciliationem Regis insinuaret.

Mentem Hispani Regis explorat.

INTEREA per Arnaldum Ossatum Henrico significauit: iam tempus ad res rite componendas maturuisse. Si nouos Romam transmitteret Administros, optatum aliquando exitum habituras. Misit ille Iacobum Dauidem Perronij Dominum, & Ebroicensem Episcopum: qui cum Ossato negotium diligentissimè promouit. Et Ioannes Franciscus Hispanorum sensa scrutatus, ad Clementem Pontificem scripsit: *Eorum animos in Gallicis rebus elanguisse. Exhaustos pecunia, bellisque fessos, non ita validè reconciliationi Regis obluctaturos. Præ se ferre tamen in speciem, existimationi tuendæ, propositi constantiam; ac moram Pontificiæ deliberationis optare, ut æquiores sibi conditiones interim compararent.*

Is parum obsistit.

QVIBVS exploratis, Pontifex acriores animos sumpsit: cumque ea super re non semel Sinuessanum Ducem, Hispani Regis apud se Oratorem, compellasset; libera ad extremum voce pronunciauit: Ampliùs differri non posse, quin Galliæ saluti consuleretur: adeoque se statuisse Cardinalium rogare sententias, ut quod optimum factu foret, decerneretur. Ratus est Sinuessanus, in consueto Senatu, solito ritu Pontificem Patrum suffragia coacturum: cumque eorum plerique in Catholici Regis verba iurassent, atque ab eius prorsus voluntate penderent: alij verò ab Henrico recipiendo sua sponte abhorrerent: proposito consilio non repugnauit, certus maiorem suffragiorum numerum aduersaturum Henrico: neque ab eo Pontificem ipsum in decernendo discessurum. At longè solertior Clemens rem tanti ponderis, quæque ad eam diem tam dexterè fuerat agitata, multorum arbitrio committendam non censuit: qui palàm sententiam dicere coacti, priuatis rationibus, ac Partium studijs in transuersum agerentur. Igitur expresso ab Oratore consensu, ut ea de re referretur ad Cardinales; coactoque de more Senatu, coram omnibus Henrici Regis literas supplices recitari iussit.

Solertia Pôtificis ad rem conficiendam.

Eam proponit in Cardinalium cœtu.

sit.

1594. sit. *Tùm audire se velle*, dixit, *singulorum sententias, non breuiter tamen, & quasi tumultuariò in re tanti momenti. Accessuros ad se in posterum ipsos intra priuatos parietes singillatim: utì remotis Arbitris liberum esset cuique synceré, ingenuèque dicere quod sentiret.* His artibus, atque hoc obtentu liberæ sententiæ proferendæ, sapiens Pontifex integrum sibi reseruauit arbitrium decernendi, quod optimum factu duceret, suumque decretum à maiori suffragiorum parte profectum affirmandi. Adeoque res planè cecidit ex sententia. Namque per dies complures indictis ad Vrbis Templa supplicationibus publicis, ut Diuinus in tanto negotio imploraretur afflatus; cum ipse præiret cæteris exemplo pietatis eximiæ: singulorum Cardinalium sententias per eosdem dies seorsim audiuit. Ad extremum iterum euocato Senatu, Patribus dixit: *Probè se cognouisse, quid ipsorum quisque sentiret ex animo; atque è tribus eorum partibus duas in eam sententiam conuenisse, ut Ecclesiasticis absolutus censuris, in Ecclesia gremium reciperetur Henricus. Quamobrem se fauente Deo, ac bene iuuante, cum eius Administris, atque Internuncijs acturum: ijsque personam illius referentibus eas iniuncturum conditiones, ac pœnas, quas ad obsequium Dei, Ecclesiæque dignitatem opportuniores fore arbitraretur.* Marcus Antonius Cardinalis Columna ei deliberationi adortus est intercedere: cumque iam assurrexisset, in eam perorare aggrediebatur. Sed indixit silentium Pontifex: Satis consultatum, ac deliberatum esse pronuncians; & pro maiori suffragiorum parte rem definitam: neque integrum iam esse, aut per se licere, eam rursus in controuersiam reuocare. Ita dimisso Senatu, adiecit animum Pontifex ad conditiones cum Henrici Internuntijs sanciendas.

Ossat. Epist. 21. & 24.

Sed eorum sententias seorsim audit.

Publicæ supplicationes pro tanto negotio.

Cardinalis Columna non sinitur contrà dicere.

AGITABANTVR hæ multos iam dies per Franciscum Cardinalem Toletum. Is patria Hispanus, atque è Societate Iesu prouectus ad purpuram, Henrici rebus impensè studebat. Huius prudentia, ac dexteritate cùm utrique Partium datum videretur satis, difficultatibus omnibus expeditis; tandem quintodecimo Calendas Octobris anni subsequentis; Pontifex sacrarum ornatu Vestium, ac Pontificia maiestate venerabilis, cum Comitatu Purpuratorum Patrum ferè omnium, ad Vaticani Templi porticum processit: ibique erecto ad eam rem insigni solio resedit, Cardinalibus ijsdem utrinque stipantibus latera. Huc se constituere Iacobus Dauides, & Arnaldus Ossatus, vulgari sacerdotum habitu pœnitentiam Henrici præseferentes. Eiusdem supplices literas ei obtulerunt, qui tunc à Secretis erat in Sanctæ Inquisitionis iudicio. Recitatæ palàm fuere coram infi-

Toletus Cardinalis fauet Henrico.

Epist. 26. 27.

Reconciliationis sacræ cæremoniæ.

infinita omnis hominum generis multitudine, quæ rei tantæ, tamque diu expectatæ confluxerat ad spectaculum. Promulgatum indè fuit Pontificium decretum: in quo rerum gestarum ordine breuiter enarrato, ad communionem Ecclesiæ reuocandum pronunciabat Henricum, eiurata priùs hæresi quacunque, ac salutaribus pœnis impositis; atque his præterea conditionibus adiectis.

1594.

Conditiones, quibus Ecclesiæ Catholicæ reconciliatur Henricus.

In Benearniensem principatum Henrico hæreditarium Catholica Religio induceretur; atque in eodem religiosa Cænobia conderentur. Ab uniuerso Galliæ Regno Tridentini Concilij decreta acciperentur. Intra unius anni spatium Condæus Princeps Catholicis educandus traderetur. In Ecclesiæ bonis, ac muneribus dispensandis ea seruarentur omnia, in qua superiores Reges cum Romano Pontifice conuenissent. Ad Episcoporum Sedes, aliasque sacras administrationes Viri eligerentur religione Catholici, moribusque spectabiles. Templorum, domorumque religiosarum opes, à profanis hominibus usurpata, restituerentur. Ad Regni Præfecturas, ac Magistratus ijs tantùm pateret aditus, qui nulla laborarent hæreseos suspicione. Hæreticis verò nulla Rex ratione faueret, neque eos in Regno toleraret; nisi quatenus cogeret belli, tumultuum-ve periculum. Cunctos denique Principes Christianæ Reipublicæ de sua ad Catholicam Fidem conuersione quamprimùm faceret certiores.

ANNVERE conditionibus Internuncij, publicaque ea de re subsignata chirographa. Mox ijdem flexis ad ostium Templi genibus, elata voce de scripto hæreses, Henrici nomine, eiurarunt. Quo rite peracto, Sanctæ Seuerinæ Cardinalis, qui supremi Pœnitentiarij munere fungebatur, summos eorum vertices virga de more tetigit: atque in ijsdem Henricum solemni formula ab Ecclesiæ Censuris absoluit.

Communis indè lætitia.

TVM verò patefactis repentè valuis, Templum uniuersum Musicarum vocum concentibus personuit: eodemque momento temporis ab Arce Hadriana bombardæ omnes, displosæ per summam lætitiam, signa communis plausus dedere. Atque Internuncij, suis Præsulum vestibus resumptis, solemni sacro interfuerunt loco Gallici Regni Oratoribus destinato. Indè ad Diui Ludouici, proprium Nationis Gallicæ Templum, se contulerunt: ubi geminati, latèque amplificati publici plausus; gaudente Roma, sibique gratulante, tam præcipuum Christiani corporis membrum usquequaque suo Capiti coaptatum.

DESIGNAVERAT Pontifex ea super re Legatum in Galliam Toletum Cardinalem. At postmodum (quæcumque impulerit causa) versâ retro sententiâ, Alexandrum Cardinalem

Me-

1594. Mediceum transmisit; quem ipsum habuit in Pontificia Sede, Leonis Vndecimi nomine, successorem. Internuncij, qui rem tantæ molis, totque difficultatibus impeditam, tam strenuè peregerant; alius alio tempore, ad sacram euecti sunt purpuram ab eodem Clemente; non semel palàm professo, ab vtriusque modestia, ac prudentia in agendo plurimas, maximasque, contra insurgentes, deuictas difficultates.

Regis Administrorum à Pontifice laus, & præmium purpura.

PERLATVS in Galliam absoluti, ac reconciliati Regis nuncius ea, qua par erat publicæ significatione lætitiæ, acceptus fuit. Vtque intimæ tranquillitati Regni suprema imponeretur manus; æquissimis non multò pòst conditionibus reconciliati sunt Regi Nemorosius, Ioiosius, ac postremò Mænius Duces. Arma quippe pro tuenda Religione à Fœderatis sumpta, hac in tuto posita, ad aras ab Henrico iam cultas sacranda erant. Atque in hunc modum Rex idem, animo, bellicisque virtutibus, quàm cognomento Maior, regnum Galliæ maximum, quod hæreditate obueniebat, armorum quoque felicitate promeritus, Catholicæ demum, ac veræ Fidei professione consequutus; triplici titulo, atque omni prorsus iure fecit suum. Vt hoc etiam nomine debuerit, ex more Gallicæ linguæ, ter Christianus Rex, id est, communi voce Christianissimus, appellari.

Gaudium in Gallia; & reconciliatio Regis cũ Fœderatis.

Tres-Chrestien.

DE

DE BELLO BELGICO LIBRI QVINTI

SVMMA.

Galli cum Hollandis iuncti aduersùs Hispanos Lucemburgensem ditionem infestant. Hollandi nouum iter in Indiam frustra tentant. Hoyum ab eisdem astu interceptum. Ernestus Archidux obit. Eius virtutes. Fontanus Comes Belgio præficitur. Ducis Areschotani, & Caroli Mansfeldij ex eo discessus. Hispani à Fontano missi, & Leodicenses Hoyum recuperant Principi Septem-viro. Verdugus in Lucemburgensi prouincia pugnat contra Bullonium sinistro successu: & paulò pòst moritur. Eius laudes. Hollandi quasi per ludum pacem petunt. Leges militares à Fontano latæ. Ab eodem Castelletum obsidetur. Hanum à Gomerono Gubernatore pactione traditur Hispanis, Arce seclusa. Idem cum fratribus Fontano se sistit. Longauillæ Ducis obitus infelix. Oruillerius Gomeroni frater Gallorum copias in Arcem admittit. Hi ex ea Vrbem oppugnant, & expugnant. Franciscus Sangrius, alijque urbani Præsidij Principes captiui in Arce custodiuntur. Castelletum Fontano deditur. Eidem Hanensis Arx, & Vrbs à Gomeroni Matre promittitur. Sangrius, & Socij se liberare moliuntur, sed irrito successu: pactis

tamen

tamen liberantur. Oruillerio fugiente, Galli omnium potiuntur. Fontanus, promissis sæpè deceptus, Gomeronum ante Arcem capite plectit.

DE BELLO BELGICO LIBER QVINTVS.

Henricus Rex arma vertit in Hispanos, eaque fovent Hollandici.

1594.

CIVILI Galliæ bello propemodum extincto; & recente adhuc memoria opibus, copijsque instructorum ab Hispano Fœderatorum aduersùs Henricum; necdum eius armis toto regno prorsus exterminatis: decreuit hic consueti Gallorum hostis præteritam ulcisci, præsentem excutere vexationem. Igitur, solemni satis arte bellandi, in hosticos fines inferre bellum aggressus est, ut ab suis amoliretur. Et quidem communicatis Hollando consilijs, Bullonium Ducem cum Exercitu iussit Lucemburgensem Ducatum inuadere. Mauritio se is non ita pridem affinitate coniunxerat, Elisabetha eius sorore in matrimonium ducta. Conuenerat autem cum Hollandis, ut Philippus Nassauius cum duabus Peditum legionibus, ac tribus Equitum turmis Bullonio auxiliaris veniret: unàque cum eo quæcunque posset, occuparet loca, & regionem ferro, flammisque vastaret. Ille namque aditus patet confluentibus in Belgium Hispanis, Italicisque copijs: qui si obstruatur, magno est Regis Catholici rebus incommodo. At Philippus imperio Bullonij subesse renuens, transmisso Militi loco suo præfecit Franciscum Verium Anglum. Hic Lucemburgensem agrum iam ingressurus, vias eius omnes offendit Caroli Mansfeldij diligentiâ ita munitas, ut nulla posset parte perrumpi. Quin etiam ad eamdem Prouinciam tutandam, Heluetiorum Peditum quater mille paulo ante venisse compertum est. Quare conuertendum à Verio iter fuit Treuiros versùs, indè Salisburgum, ac denique Metensem ad Vrbem, eum semper insectante, postremumque agmen carpente Mansfeldio. Cuius Milites in hyberna deducti, in agro Duacensi perstitere aliquandiu. Verùm hìc intolerabili frigore afflicti, ac fera lue correpti, plerique perierunt. Finitimi Atrebates præ Christiana charitate magnam eorum partem in Vrbem acceperunt: oppletisque nosocomijs omnibus, ac magis, magisque in dies increbrescente malo, vulgata per Populum pestilens contagio fuit; eiusque horrendam edidit stragem. Huius

Lucemburgensis ditio ab eis frustra tentatur.

Carolus Mansfeldius eisdem obsistit.

Mets.

Campana p. 3. lib. 2. Carnerus l. 10. c. 13. M. Ians. lib. 11.

Atrebates peste laborantes inuadunt Galli, sed incassum.

1594.

ius famà calamitatis, quæ circumiectos absterrere Populos debuit à commercio; vicinos Gallos, in omnem occasionem imminentes, ad eam Vrbem tam ferali tempore occupandam inuitauit. Ita plerumque cupiditates humanas ipsa pericula, quæ extinguere deberent, accendunt. Prope iam erat, ut ad portam admoto incendiario machinamento (pyloclastrum appellant) in Vrbem irrumperent Galli: cum admonitus periculi Carolus Longouallius Buquoij Comes, qui tum ibi aderat; qua erat rerum bellicarum peritia, se opposuit hostibus, Ciues ad obsistendum animauit, incurrentes Gallos non sine ipsorum damno propulsauit. Eorumdem excursiones in agrum, Oppido Sancti Audomari circumiectum, Belgarum Equitum virtus repressit. Quin Oppidum ipsum intempesta nocte tentatum, vigili Excubitorum custodiâ, Ciues ad arma concitantium, defensum est. Eumdem nacti sunt exitum ipsi Belgæ paulo pòst Vrbem Gallorum Monstrolium inuadentes. Ita miseræ Prouinciæ, Artesia, Hannoniaque in finibus sitæ Galliæ, Belgijque, duas inter Nationes inuicem pugnantes interiectæ, modò huius, modò illius inuasionibus obiacebant: nec minorem plerumque perniciem ab amico Milite stipendijs laborante, quàm ab inimico prædæ, aut sanguinis auido patiebantur.

Tettardo.

Hoc ipso anno magnum opus, & arduum Hollandi mouerunt. Viam ad Solis Orientis Indiam, Insulasque Iaponicas longè breuiorem, quàm quæ Lusitanorum nauigationibus trita iam erat, aperire sibi statuerunt per mare Septemtrionibus subiectum. Igitur ingentes naues quatuor adornarunt: Amstelrodami duas, Flissingæ tertiam, quartam Enchusæ: easque rebus ad tam nouum iter opportunis cùm affatim instruxissent, ex Insula Hollandiæ Texela Nonis Iunij soluerunt. Indè sua primum maria, mox etiam Noruegiæ prætervecti, Islandiàm ultra, & Groënlandiam (quas veterum ultimam Thulem plerique autumant) ad Oceanum verè glacialem delati sunt. His Insulis ad læuam relictis, cursumque dextrorsum circumflectentes, post multum temporis, ac laboris fretum tenuerunt inter nouam Zemblam, Insulamque Veigatum (uti Geographi vocant) interiectum. Id ab suo Imperatore Mauritio Nassauium denominarunt. Hîc enimuero vehementes obstare difficultates, ac magis magisque exaggerari, quo prouehebantur ulteriùs: adeo ut ad extremum non modò progredi non liceret, sed vix inde regredi tutum esset. Spectabant haud minore vi terroris, quàm admirationis attoniti, mare in montes conglaciatum, qui non iam à fluctibus attollebantur, statim exæquandi; sed obstinato

Hollandorum nauigatio in Indiam a Septentrione.

Card. Bentiuol. p. 3. l. 1. Cæsar Campana pār. 3. lib. 2. Thuan. lib. 109.

Difficultates obiectæ.

Mare conglaciatum.

gelu perpetui rigebant. Cælum densissima caligo eripiebat oculis: terræ vestigium nusquam apparebat. Vt qui cælum, terram, mare interdicta sibi, atque adempta conspicerent; lugere se meritò possent extra naturæ terminos omnes exilio sempiterno damnatos. A circumfusa glacie stare coactis nauibus, & quasi compeditis; ut se ab rigidissimi aëris inclementiâ Nautæ defenderent, earum unam dissolutam in ligneam casam, tuguriumque compegerunt; apposita sanè transformatione rerum: ut ubi mare obriguerat in solum, ibi nauis in domum verteretur. Et parum fuisset miseris à glacie obsideri: nisi plus multò perpessi essent ab immanium incursionibus bestiarum. Vrsi candidis villis insignes, & ingenti corpore metuendi, eos sæpè aggressi vexarunt: aliquot etiam incautos adorti laniatos vorarunt. Denique tot calamitatibus, extremisque rerum omnium necessitatibus circumuenti, de reditu, vitaque propemodum desperabant: cum anni mitior, calidiorque tempestas superueniens aliquod spei iubar affudit. Namque calore Solis & caligine in aere, & gelu in mari dissoluto, compedes illæ geminæ nauium, Nautarumque ita fractæ, dilapsæque euanuere: ut liberum utrisque fuerit post paucos menses in patriam reuerti.

1594.

Vrsi albi vexant.

Hollandi ubique Hispanis infesti.

Neque censeri debet, hoc enarrasse, à Belgici Scriptore belli alienum; quando non intra solos Belgij fines, in Hispanam dominationem Fœderatorum arma pugnarunt: sed in ultimas quoque naturæ deficientis oras, imò & in alterum terrarum orbem eodem velificante bello; quòcunque nomen Hispanicum, commercijs, aut victorijs penetrauit, illuc etiam imperantibus mari artibus suis peruenit insectator Hollandus. Tantumque dici potest fuisse Belgici huius incendium belli: ut non modò aquis illis, intra quas ortum est; sed neque Glacialis pelagi rigore, & Cæli Aquilonaris æterna hyeme; neque terram uniuersam ambientis Oceani immensitate restinctum usque adhuc fuerit.

Anno 1595.

Ineunte anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto Fœderati Belgarum Ordines nouam sibi viam aperiendam putarunt, qua Belgica in Galliam arma, Gallica in Belgium ultro citroque commeare liberè, ac tutò possent. Eius rei gratia Hoyum occupare decreuerunt, quod Oppidum etiam ad excursiones faciendas in agrum Lucemburgensem, Namurcensem, Hannonium, prædasque indidem conuectandas, perop-portunum videbatur.

Huy.

Hoyi prope Leodicum situs, & descriptio.

Est autem Hoyum Leodicensis Oppidum ditionis, quinque ferè millibus passuum Leodico dissitum. Interfluente Mosa duas

Liege.

1595.
Card. Bentiuol. p. 3. l. 2. Campana p. 3. lib. 3. Coloma l. 8. M. Ianson. lib. 12. Haraeus anno 1595. Thuanus l. 112. Gaspar Ens Annal. tom. 3. lib. 3. Euerar. Reidan. lib. 12. Carnerus l. 10. c. 15. Rolād. Mirteus de Comite Fontano. Liu. Dec. 1. lib. 9.

in partes diuiditur: sed imposito eidem flumini quadratis ex lapidibus ponte, multisque arcubus innitente coniungitur. Hoiolus ibidem (unde loco nomen) riuus veriùs, quàm amnis, rapido, præcipitique cursu exiguas in Mosam aquas euoluit. Ad dexteram maioris fluuij ripam præcelsus mons, ac præruptus Oppido superimminet: in cuius vertice sita est Arx, & Leodicensis Principis eiusdem, atque Antistitis insigne palatium tum natura, tum arte munitissimum, atque in subiectam latè dominans regionem. Cuius amœnitas ipsum Principem ad immorandum aliquandiu inuitat.

Eius Principis modus inter partes.

Is de hoc Oppido satis à Ciuium fide, satis ab Arce imposita defenso, eò securior erat, quòd neutri Partium addictus, infensus neutri, neque ab Hispanis, neque ab Hispanorum hostibus sibi, suisque rebus metuebat. Verùm ipse quoque suo docendus periculo fuit, aliosque docturus: inter duos hostes positum, neutrique coniunctum, nisi viribus alterutro superior sit, utriusque viribus esse obnoxium: & mediam illam viam, qua tutò non itur (contra verbum vetus) *neque amicos parare, neque inimicos tollere.*

Hoyum ab Hollandis per astum intercipitur.

IGITVR sub exitum Ianuarij Carolus Heraugerius, Bredæ Gubernator, cum duodecim Peditum signis, Equitum turmis quatuordecim, inde profectus Hoyum versùs; haud procul illinc nocturno tempore eas copias in insidijs collocauit. Cumque de conditione Oppidi, ac statu penitùs factus certior fuisset ab Hoyano Ciue Milite suo, compertum ex eo habebat, non ibi deesse qui Fœderatis Belgij fauerent: parum excubare in Arce Præsidij, cui à neutra Partium, quippe utrâque amicâ, timendum: Præsidiarios ipsos epulis, vinoque fartos (agebantur enim tum Bacchanalia) noctuque somno consepultos, facilè opprimi posse. Quare triginta milites Rusticorum habitu, velut in tempore personatos (alij quinquaginta numerant) in Oppidum Heraugerius immittit. Ad eius radices Montis, cui Arx incumbit, Oppidani cuiusdam domus erat, quîcum conuenerat Hollandis. Itaque ab eo excepti milites illi, per noctem scalarum, & funium adminiculis admissi sunt scandere prærupta Montis, non sine ingenti periculo, & labore. Cumque ad culmen euasissent, per vetustam quamdam fenestram Arcis muros intrarunt. Ibi sese in latebris, ac silencio continuerunt, donec proximo mane datum signum est, ut Arcis Custodes ad Sacrum (Dies enim Dominica erat) egrederentur. Suo quemque cubiculo prodeuntem improuisi adoriuntur Hollandi, circumsistunt, deuinciunt, silentium imperant, mortem vocife-

Porro in agguato.

Stratagema, quo capitur.

ran-

rantibus comminantur. Portas repentè occupant: Arcis totius breui potiuntur. Indè dato signo ante condicto, socium exercitum latitantem accersunt. Dux Heraugerius eum propiùs Oppidum admouet; postulatque deditionem. Oppidani principio, ignari quantum rei suæ in hostis esset potestate, mirari confidentiam; parare defensionem; arma corripere. At ubi mox eumdem è superiore loco suis imminere ceruicibus viderunt, Arcemque pro illo, non pro se stare; adeo cecidere animis consternati, ut ne modicùm quidem inimicis copijs obsistere ausi, eas intra mœnia cum paucis conditionibus acciperent. Ingressus Heraugerius nihil habuit prius, quàm Arcem, imposito è suis Militibus Præsidio, sibi suisque Partibus custodire. Deinde Sacris hominibus voluntarium suscipientibus exilium, cæterisque Catholicam Fidem acriùs propugnantibus exarmatis; ijs tantùm Oppidanis administrationem Reipublicæ commisit, qui ab Hollandis non, uti par erat, alieni, præsentis utilitatis maiorem, quàm futuræ animorum salutis, rationem haberent. Quibus ita constitutis, cum duabus Equitum turmis Bredam lætus reuertitur Heraugerius.

1595.

Principis Hoyi Septem-viri ob id indignatio.

Di Bauiera.

Rei huius, quæ præter omnem acciderat opinionem, perlatâ subito famâ ad Leodicensem Antistitem (qui tum erat Bauarus Ernestus, Coloniensis quoque Archiepiscopus, atque è Septem-viris Cæsarum Electoribus unus) non potuit animo non vehementer commoueri. Extemplo Legatos in Hollandiam mittit, qui cum Ordinibus de iniuria, & vi vel amicis illata grauiter conquerantur: Oppidum contra omne ius interceptum repetant; ad pœnas quoque deposcant eos, qui iura Gentium tam improbè violarint. Nullum ab Ordinibus responsum datum aliquis tradit; ac rem in multos dies protractam. Alius ne in Senatum quidem admissos, ac tantùm detestantes sui, atque Septem-viri despectum, reuertisse Leodicum. Adeo qui sui commodi, atque unius utilitatis studio, semel à recta fidei, atque æquitatis via deflexerit; contineri vix potest, quin alijs, alijsque implicatus erroribus, in omnem ciuilitatis, imò humanitatis neglectum præceps ruat.

Querelæ per Legatos ad Hollandos.

Stati. Sorpreso.

Iansonius. Haræus.

Eorum excusatio.

Campana. Coloma. Thuanus. Hugo Grot. Hist. Belg. lib. 4. Alij.

Qui verò clementiùs Hollandorum factum committunt memoriæ posterorum, eos respondisse scribunt. *Necessitate se temporum adactos, non adimere id Oppidum Electoris imperio statuisse: sed tantùm per illud patentem sibi, tutumque aditum urgentis belli tempore comparasse; eo profligato, fide integra Principi reddituros. Non id sibi amicis in Oppidulo denegandum ab optimo Antistite, quod antea Hispanis eodem amicitiæ nomine in Urbibus Berga, ac Bonna*

com-

1595. *concessisset. Verùm non easdem esse utriusque conditiones rei*, respondebant pro suo Principe Legati. *Quippe Vrbes illas, Archiepiscopo assentiente, ab Hispanis ex hostium potestate vindicatas, eosdem retinere, ut ab ipsis hostibus defenderent. At non eam esse Hoyi per dolum capti rationem*. Parum his, alijsque dictis profectum apud Hollandos, ad eum cantum surdos, & rei tractationem proferentes in longum, temporisque beneficium in suum usum captantes.

Ernestus Archidux Septem-viro auxilium offert.

Coloma. Hareus. Grotius.

Bentiuolus. Campana. Mirteus.

ERNESTVS interim Archidux prouidè animaduertens, apertum illum aditum Gallis, Belgisque Fœderatis, quàm commodum utrisque pariter inimicis, tam importunum, ac perniciosum regijs rebus futurum; non expectauit, dum à Bauaro Electore rogaretur auxilium, (quamuis id aliqui affirment) sed ultro missis ad eum insignibus Viris, Bassignij Domino, Ioanne Baptista Taxio, alijsque; prudenter, amicèque ipsum commonefecit: *Videret, nè pernicies ab oppressoribus dolosis illata, ni maturè depelleretur, latiùs per suam serperet ditionem. Non defutura, si vellet, Hispani Regis auxilia, quæ ad primum eius nutum erat ipse statim à finitimo Belgio submissurus*. Tam benignam, atque opportunam humanissimi Principis Legationem excepit, qua consentaneum erat, grati animi significatione Leodicensis Antistes. Legatisque post paulo ad Archiducem non sinè locupletissima gratiarum actione remissis: *Accipere se*, scripsit, *cum ingenua deuincti perpetuò animi testificatione, quod tam singulari clementia, preces nempe ipsas, nedum merita præuertendo, offerebatur auxilium. Agnoscere se, ac venerari Austriacum sanguinem, ad bene de humano genere merendum, tanta felicitate propagatum. Suis quoque viribus omnibus se connixurum, ut ab sua tota ditione propulsaret eos Hispanorum hostes (an rebelles?) qui ne ab amicis quidem populis, & à quibus nulla re læsi, multis adiuti forent, abstinere nossent, aut possent insatiabilem vim inuadendi, rapiendi, deprædandi*. Vbi verò de milite ad Hoyum recuperandum idoneo, in Aula Bruxellensi relatum, & consultatum est; in eam demum conuenere sententiam ferè omnes, ut ab Archiduce mitterentur quatuor Peditum millia, Equites mille; in quos summum obtineret imperium Fontanus Comes: tormentariæ verò rei Mottæ Dominus præesset. His copijs adiuncturum se spoponderat Bauarus ter mille Pedites cum Equitibus quingentis.

A Septem-viro gratiæ.

Ernesti Archiducis obitus.

Bentiu. l.1. Coloma l.8. Janson.l.12. Hareus an. 1595. Cãpana l.3.

IN hoc apparatu nouæ expeditionis Ernestus Archidux, quà valetudine corporis admodum debilitata, quà mentis ægritudine, ob res in Belgio suis auspicijs parum feliciter gestas, diem tandem clausit extremum. Tertio Idus Februarias tam repentinum,

tinum, atque ingens malum, tantusque defectus virium eum inuasit; ut solidas duas horas dubitatum fuerit, an aliquid ei vitæ superesset. Recreatus tamen è subito grauis morbi tentamento; summa imbecillitate, lentaque febre interiùs exedenre, ad nouum diem non tam vitam prorogauit, quàm protraxit mortem. Christianis interim Sacris, ut Austriaca pietate, Catholicique Regis personam sustinente dignum erat, animum præparauit ad ultimum illud, verèque decretorium tempus, & quasi Peruigilium æternitatis. Præter supremam voluntatem, quam Testamento condito declarauit; circumstantibus cum summo mœrore Proceribus regias res laborantes, & copias nimis distractas enixè commendauit. Regis mentem, ac suam asseruit esse, ut pro Gubernatore Belgium administraret (donec aliud in Aula Hispanica decerneretur) Regius apud Belgas Senatus, cuius Princeps esset Fontium Comes. His ita constitutis, obijt Ernestus decimo Calendas Martias, sub horam nonam, ætatis annum agens prope quadragesimum secundum.

Eius animi dotes.

PRINCEPS erat candore animi verè Germanus: studio pacis, Philippo Regi non tam Sororis Filius, quàm Gemellus: utrâque verò laude Belgis adeo gratus, ut eorum amor, ac deliciæ, sed breues, veteri titulo potuerit appellari. Catholicæ Religionis propugnator egregius: ut insignia testantur eo nomine ad illum à Sixto Quinto Pontifice Maximo Viennam usque transmissa. Ab ipsis suis, & Romanæ Fidei hostibus laudatus; ut grauis, & abstinens risûs, benignus tamen in omnes: Hispaniarum Regi obsequentissimus: ab opibus cumulandis tam alienus, ut plerumque vix haberet, quod creditoribus, familiæque persolueret; etsi à pompis, & fastu sibi maximè temperaret. Primam ætatem cum Rodulpho Fratre transegit in Aula Hispanica, celeberrima illa prudentiæ schola, apud Auunculum Philippum Regem, Regum, & Cæsarum in regnandi Arte Magistrum. Hungariam indè, Austriamque pro Rodulpho iam Cæsare, cum pari clementiæ, iustitiæque commendatione gubernauit. Ad Belgium postremò Regis nomine moderandum, atque inter tot intestina bella dissectum, & lacerum, componendum accessit; maiore quidem spe, atque expectatione, quàm exitûs felicitate. Vt propterea Vir magnus pronunciauerit, ad antiqui exemplum Elogij: *Egregium videri potuisse Gubernatorem, nisi Belgium gubernasset.*

Idē Script. & Veridicus Belgicus. Laurent. Beyerlinch in Chronogr. Io. Bochius in orat. fun. Apud Iansson. & Haraeum.

Bentiuol. p. 3. lib. 1. Tac. Hist. l. 1. de Galba.

Fontium Comes succedit in Belgii præfectura.

ABLATO terris Archiduce, Fontanus Comes, qui paulo post pro Gubernatore præfectus est Belgio ab Rege Hispano; ad Belli prosecutionem, quam & Gallicus, & Hollandicus hostis urgebat,

1595. gebat, totus incubuit. Ac primùm omnium Archiducis mandatum de Hoyo recipiendo exequendum curauit: atque obligatam Septem-viro fidem (quod Principes viros inter se facere maximè decet) liberandam. Igitur eò Valentinum Pardiæum Mottæ Dominum pro se destinauit. Quamquam non desint, qui scribant, Fontanum ipsum profectum. Sed rationi consentanea magis aliorum videtur opinio, qui eum in Aula Bruxellensi substitisse tradunt. Commissum quippe sibi tam recèns Belgium moderari opportuniùs potuit ex illa Regia unà cum Regio Senatu: & si quid Archiducis facilitate cepisset Reipublica detrimenti, maturè innata seueritate compensare. Eòque postulabatur magis eius in illo Senatu præsentia; quòd Belgis Principibus æquè inopinatum, ac molestum fuisse ferunt, ipsum alijs præpositum ab Archiduce. Id verò ægrè tulisse præ cæteris Areschotanum Ducem: qui vel gubernationis Belgicæ ambitione, vel Hispani nominis inuidiâ stimulatus, nullum non mouit lapidem, ut Belgicus Senatus alteri, potiùs quàm Fontano, id muneris ab Rege committendum curaret. Quod cum ex voto minimè successisset, indignationis plenus, Bruxellis primùm, indè toto Belgio excessit, Venetiasque contendit, ubi post paucos menses extinctus est. Addit idem ipse, qui hæc refert: Fontanum Comitem præ se quidem tulisse principio eius expeditionis per se obeundæ voluntatem: siue ut Archiducis etiam extincti quanti faceret imperium, declararet: siue ut muneris existimationem augeret apud alios, quod non indignum Gubernatore censeret. Verùm conditionibus rerum, ac temporum diligentiùs ponderatis, eam prouinciam Mottæ Domino concessit. Adiunxit eidem Ludouicum Velascum Peditatui uniuerso præfectum. Qui cum ire sub imperio Mottæ recusaret; hac arte Fontanus eum pellexit. Antonium Zunigam, veterem Hispanicæ Legionis Tribunum, accersit ad se. Eamdem ei curam demandat, quam detrectarat Velascus. Cumque ille obsequi nil moraretur; puduit hunc vel militari obedientia vinci, vel exemplum dignioris non sequi. Quamobrem Hoyum versùs uterque profectus est.

Câpana l.3. Haræus. Guillelmus Baudart. an. 1595. Thuan. lib. 112. Rolād. Mirteus. Coloma l.8. Bentiu. l. 2. Reidanus l. 12. Coloma. Hugo Grotius Histor. Belgic. l.4.

Coloma.

Mirteus.

Copias parat Hoyo recuperando.

Dux Areschotanus indignatus discedit.

CAROLVS Mansfeldius eam suscipere expeditionem non potuit: quòd ob rem toties in Belgio, Galliaque bene gestam, ab Rodulpho Cæsare accersitus, à Philippo Rege missus in Hungariam per eadem tempora fuit. Cumque Pragæ ab eodem Cæsare Sacri Imperij Princeps, & Matthiæ Archiducis, Cæsarei contra Turcas exercitûs Imperatoris, Vicarius renunciatus fuisset; ad Hungaricam Vrbem Strigonium obsidendam se contu-

Caroli Mãsfeldij profectio in Hungariã, victoria de Turcis, & mors.

lit; ibique Augusto mense memorabili prælio Turcarum quinque millibus cæsis; paulo post morbo correptus interijt, pulcherrimamque victoriam funestauit.

1595.

IN Exercitu, qui ad Hoyum recuperandum mouit, præerat Equitatui Ioannes Corduba. Iamque tertius erat dies, ex quo Tornohuto discesserat; cum ab Exploratoribus nunciatur, haud procul indè quingentos Hollandorum Equites ingenti prædà onustos excurrere, Hispanus verò Equitatus non superabat numerum ducentorum. Quâ tamen deficiebant Milites, Cordubæ Præfecti solertia suppleuit, Iubet igitur non unà omnes in hostem ire. Quippe numero tanto inferiore perspecto, animosiores Hollandi, eos circumuenire, atque in medio conclusos facilè opprimere potuissent. Sed veteri Romani Horatij exemplo pugnam segregandam ratus, manipulatim illos immittit, Vt prona suspicio inijceretur Hosti, Antecursores eos esse magni subsequentis Exercitus. Neque astus sinè prospero successu fuit, Committentes enim prælium primæ Turmæ, atque aliæ subinde alijs superuenientes, opinione maiorum copiarum instantium ita Hollandos terruerunt; ut facili negotio funderent, ac verterent in fugam. Aliquot eorum cæsi: vulnerati complures; nec pauci dum fugerent, à Villicis, quos paulo antè militari diuexauerant insolentia, trucidati. Nullum ex Regijs desideratum ferunt. Inter capta spolia equi numerati supra quadringentos; & magna vis byssi, holoserici, aliarumque mercium interuersa, quas recentissimè prædati fuerant in circumiectis locis Hollandi. Sic relata de Prædatoribus præda; modò his, modò illis fortuita bona, hoc est sua, dispensante fortuna, quæ maximè in bello dicitur dominari. Hæc in itinere accidère, quasi fausta futuræ pugnæ præludia, & velitationes bene auspicatæ.

Veteri stratagemate pauci Hispani multos Hollandos superant.

Rolandus Mirteus.

Liu. Dec. 1. lib. 1.

Cæs. de bello Ciu. l. 3. Hirtius, vel Oppius de bello Alexandrino.

POSTERO die peruenit Hoyum Exercitus; atque ad alteram Mosæ ripam Castra posuit: alteram Septem-viri acies tenuerunt; paribusque animis Oppidum obsidere aggressi sunt. Ab ijsdem Leodicensis Antistitis militibus paulo post aduecta per fluuium muralia tormenta, mole opportuniora, quàm numero. Sed hunc sedulò Fontanus expleuit: aliaque oppugnationi necessaria subministrauit. Ad eas se redactos angustias cum Oppidani viderent, multisque rebus ad propugnandum idoneis destitutos; literas statim, ac Nuncios in Hollandiam postulatum auxilia transmiserunt. Verùm ea tum Prouincia opem ferre, & paulo antè parta tueri non potuit, quòd illo ipso tempore longè diuersâ, & magis formidabili obsidione premeretur.

Castra Hispanorũ, & Leodicensium ad Hoyum posita.

Roläd. Mirteus, Campana, & alij, qui supr. de Hoyo.

Di Liege.

Hoyēses ab Hollandis subsidium poscunt.

Id impeditur ab infama fluminum eluuione.

INGENS namque fluuiorum eluuio, ac præsertim Rheni, qui

1595. qui ad pedes viginti nouem, & Mosæ, quæ ad tres supra triginta, nocte una excreuisse dicuntur; Bommeliensem Insulam omnem superfudit: magnam Hollandiæ partem inundauit: Oppida multa interclusit: propugnacula non pauca vel prorsus absorpsit, vel certè vehementer attriuit: hominum, pecudumque copiam incredibilem absumpsit. Tantum denique terroris per ea loca circumtulit: ut de se magis ab irrumpente cum aquis morte tutandis, quàm de Hoyensibus hostium obsidioni subtrahendis, cogitandum Hollandis fuerit.

Hoc beneficio temporis, & hostilium calamitatum sapienter utentes Obsessores, quinto Nonas Martias impetum primò in Suburbia fecere. Quæ facili negotio, pulsis, qui ea custodiebant, Hollandis, Hispani ceperunt. Quod subsequutæ oppugnationi non leui adiumento fuit. Cruciferorum quippe Cœnobium ibi situm, & quòd editiore loco erat, & quòd structuræ firmioris; quantum Obsessoribus commodi, tantumdem Obsessis attulit detrimenti. Vt horum propterea clarè satis appareat, in eo non antea diruendo, palmaris incuria. Cum igitur in eis Suburbijs peropportunam, frigido præsertim, pluuioque Cælo, nacti essent Hispani stationem: atque indidem tutiùs, commodiùsque Oppidum quatere, atque infestare liceret: eius Cœnobij fastigio tormenta quatuor imposuere. His frequenter mœnia concutere: adeò ut post paucos dies ingens in eis patuerit hiatus. Per eum plures militum, atque audaciores ingressi, validam in hostes impressionem fecerunt. Alij scalis admotis muros superarunt. Nec tam pugna fuit illa, quàm vel fuga, vel cædes. Centum quinquaginta interfectos tradunt. Plerique ad Arcem confugiendo sibi salutem quæsiere.

Obsessores Suburbia capiunt.

Hæreus anno 1595.

Et paulo post Oppidum.

Qva captum est Oppidum die, à Septem-viro missus aduenit Grosbequij Dominus cum bis mille Leodicensis Ditionis Peditibus, Equitibusque nonnullis. Eos iussit Motta montis verticem ad Arcis terga positum occupare: ut hanc oppugnandi principium ab illa parte duceretur. In Arce septingenti numerabantur Hollandi, rebus ad defensionem opportunis in multos dies instructi; paratique ad mortem usque tueri locum, si præsertim aliquod à Mauritio subsidium adfuisset. Et iam ab eo missi aduentabant, obicibus aquarum superati, bis mille Pedites, Equites septingenti. Auxiliares quoque copias è Galliæ finibus coactas Turenensis Comes adducebat, ut viribus cum Hollando coniunctis communem hostem summoueret Hispanum. Quæ spes ut animos faciebant Obsessis ad obsidionem pertinaciùs sustinendam: ita stimulos admouebant Obsessoribus,

Arx oppugnatur.

Serum subsidium ab Hollandis, & Gallis.

bus, ut oppugnationem ante nouorum aduentum hostium accelerarent. 1595.

Igitvr Montem aliquantò excelsiorem eo, quem Arx insidebat, cum suis Motta conscendit. Ex illo bombardis maioribus quatuordecim Arcem vehementer quatere: cum ex altera parte Leodicenses quoque tormentis totidem eamdem verberarent. Hoc impetu continenter facto & proximam Arci turrim paulò post expugnarunt, & tantam frequentatis ictibus in Arcis ipsius muris ruinam effecerunt; ut priores animos despondentes Præsidiarij Milites, ac de diuturniori defensione desperantes, deditionem obtulerint septimo ab obsidionis initio die. Ab Hispanis accepta ea est cum his conditionibus. Vt Hostes cum armis, atque impedimentis inde migrarent. Vt idem exequerentur Oppidani: nonnullis exceptis Arcis, Oppidique Proditoribus, qui Victorum in manus traderentur. De horum præcipuis quatuor, Leodicensium Iudicum Capitalium sententiâ, publicè sumpta supplicia. Hoyenses ipsi, quòd non minùs in Deum peccassent, Hæreticorum commodis magnam partem fauendo; quàm contra suum Principem, in alienam potestatem tam facilè veniendo: utrique pœnas dederunt: Deo, cum geminis Exercitibus, si minùs in prædam, in stipendium certè, atque alimentum ipsorum bona cesserunt: Septem-viro, cum suis ab eo fuere priuilegijs spoliati.

Arx cum conditionibus deditur.

Oppidani dant duplices pœnas.

Ad Arcis custodiam relictus erat cum centum quinquaginta Militibus Hispanis Ioannes Sornosa. Verùm id ægrè Leodicenses tulere: ac postularunt, ut suæ quoque Gentis Militibus id Præsidij demandaretur. Septem-vir ipse Legatos ad Aulam Bruxellensem transmisit, qui debitis actis pro singulari beneficio gratijs Fontano Comiti, Regioque Senatui; apud eosdem agerent de restituenda in integrum, suique Principis potestati prorsus permittenda Arce Hoyana. Fontanus in re non leuis ad ea, quæ gerebantur, belli momenti suo supersedit arbitrio: ac Philippi Regis imperium per literas rogatum expectauit. Hic ea usus æquitate, qua tot Regna terrarum moderabatur; Arcem atque Oppidum omnino iussit suo Principi restitui; vocemque adiecit, animi sui magnitudine dignam. *Leodicensi Ecclesiæ addere de suo se malle, quàm quidquam adimere*. Tam diuersa mens erat eius Regis, & eiusdem Hostium. Quare omnibus Septemviro redditis, Arcem idem, qui ex parte recuperarat, Grosbequius cum quinquaginta Militibus custodiendam suscepit.

Hispani Regis iussu omnia Leodicensi Antistiti redduntur.

Roläd. Mirteus. Hugo Grot. Hist. Belg. lib. 4.

Interea Fontanus Comes ad Belgium Regi subiectum, quâcumque opus esset, componendum, animum, viresque omnes

1595. Mirtens.

omnes intendit. Prouinciarum damna resarcire: onera, quantùm liceret, alleuare: exteros milites, sinè quibus illæ retineri vix possent, atque ab imminente hoste defendi; per ea loca distribuere, in quibus amicis Populis quàm minimùm graues forent; inimicos verò vehementiùs infestarent. Multas quoque, ac magnas pecuniarum exactiones, quibus miserum Belgium exhauriebatur, vel sustulit prorsus, vel ita temperauit, ut iniussu fieri suo vetuerit, etiam capitali pœna intentata. Certis quoque legibus præscripsit, quantum cuique militum tribuendum ab ijs esset, à quibus excipiebatur hospitio: quique in eorum alimenta sumptus faciendi: utque si quid præterea miles extorqueret, in ipsius caput recideret. Sic militaris auiditas repressa, frænata licentia: eòque validiùs, quòd in Fontano perspecta naturæ seueritas nemini iura violanti spem impunitatis dabat.

Fontani Comitis diligentia in gubernando Belgio, & militari disciplina instauráda.

CASTRORVM quoque disciplina Gubernatoris eius industriâ in eum visa reuocari splendorem, quo sub Parmensi Duce præfulserat. Et quoniam, ut ferrum usu nitescit, situ consumitur: ita, qui gerit id, Miles cessando corrumpitur, bellando redintegratur: sapientissimus Princeps vix Hoyo recuperato, in agrum Lucemburgensem nouam expeditionem adornat. Verdugum illi præfecit, Belgico in bello tamdiu eruditum. Eam quippe Prouinciam Gallus pariter, atque Hollandus, ut supra memorauimus, armis frequentibus infestabant. Obuijs accepit ulnis id muneris Verdugus: tum ut ad extremum usque spiritum obsequentem suo Regi, Regijsque Administris animum ostentaret: tum ut vel senio, prælijsque fessus ei Prouinciæ subueniret, in qua diutius vixerat, Vxorem duxerat, prolemque susceperat.

Fontanus Verdugũ mittit ad propugnandam Prouinciã Lucemburgensem.

Coloma l. 8. Bentiuolus lib. 2. Campana l. 3. Camerus l. 10. c. 14. Turtura lib. 21. Catherinus lib. 15. Thuan. lib. 112.

IGITVR eò cum Exercitu profectus; inde primùm Philippum Nassauium crebris excursionibus omnia deuastantem, propulsauit: coëgitque non sinè ingenti militum Hollandorum iactura Zelandiam repetere. Tum Ferream ad Oppidum castra mouit: cumque id solidos duos dies tormentis muralibus verberasset, magnum patefecit in mœnibus hiatum. Sed quòd impressionem in ipsum facere (quæcumque id persuaserit causa) distulit; nocte proximè subsequuta Bullonij Dux clam inuexit auxilium Equitum ducentorum, Peditum mille. Quare præcisa spe Ferream impetu facto capiendi: aggeribus potiùs erectis eò deducendis illam postmodum oppugnare Verdugus decreuit. Verùm neque consilium eiusmodi profecit diu. Nam aliquando eruptione improuisa Bullonius tam acriter, validèque adortus est Obsessores, ut eorum Equites supra quadringentos

Per assalto.

Sortita.

Ibi Verdugus cõtra Bulloniũ pugnat improspero successu.

cæci-

Barlotæ Tribuni virtus.

ceciderit. Quin etiam tormentis potitus, ea facilè abstraxisset: 1595.
nisi cum suis Vallonibus Barlota in tempore, magnaque vi obsistens repugnasset. Idemque qua pollebat animi strenuitate, hostium impetum tamdiu sustinuit, donec Hispanorum ingruens Equitatus, in Oppidum se cum suis recipere Bullonium adegit. Multorum ibi Barlota præstantium Militum, ac sui præsertim fratris iacturam fecit. Hac accepta clade, Verdugum nonnemo tradit, non ibi terendum tempus diutius duxisse, aut quicquid reliquum erat exercitus, absumendum. Atqui non desunt, qui scribant, eum post acrem pugnam reportasse victoriam; Fertæam, atque alia loca recepisse: Gallumque hostem è tota Lucemburgensi Prouincia depulisse. Vt ad hanc opposita scribentium dissensionem componendam, facilè, ac non temerè credi possit: passum quidem Verdugum in ea obsidione, quæ narrata sunt, damna, de discessu cogitasse: sed magnitudinem animi, memoris tot rerum anteacto tempore bene gestarum, contraria persuasisse consilia, ac denique victoriam peperisse: Cuius victoriæ ut supremum caperet fructum; & quiete frueretur, quæ bello quæri solet, ac debet: in Lucemburgensem Villam suam se recepit; ubi post paucos dies graui morbo correptus, vitæ (quæ tota militia est) finem fecit.

De prælii exitu variãt Scriptores.

Campana.

Mirteus. Bentiuolus. Vita Verdugi.

Verdugus moritur in sua Villa Lucemburgensi.

Iob c. 7.

Designatvs à Philippo Rege fuerat, ac destinatus à Fontano militantis in Burgundia Exercitus Imperator: sed ab Rege Mundi longè alia ei decreta prouincia. Primum & sexagesimum agebat annum: verùm optima constitutione naturæ, corporisque robore virtuti animi respondente, adhuc par belli laboribus erat, quibus ætatem ferè omnem impenderat. In ipso quippe Belgio annos propè quadraginta Regium in obsequium militarat. Per omnes militiæ gradus ita prouectus ad summos, ut in minoribus semper dignum sese maioribus præberet. Iustitiæ tam obseruans perpetuò, ut de se per iocum prædicare sit solitus, in suo nomine, & cognomento ludens: *Erga bonos Franciscum se esse,* hoc est mitem, ac facilem (qualis Diuus Assisias erat:) *in malos verò Verdugum*: quæ vox hispanicè tum Carnificem, tum ensem sonat.

Eius laus, & dictérium.

Vita Verdugi. Coloma l. 8. Bentiu. l. 2.

Coloma.

Hollandos interea, præter omnium expectationem, noua quædam cupido pacis incesserat. Et quos anno superiore Archiducis Ernesti postulantis auctoritas, eiusdem hortatrices literæ plenæ benignitatis, Oratoresque doctissimi ipsius nomine suadentes, ad pacem nulla ratione pellicere potuerunt: nunc ubi Vir belli amantior in eius substitutus est locum, ultro ab eo pacem petere non dubitant. Hispanum igitur hominem apud ipsos

Hollandi pacem petitum Bruxellas mittunt.

Franciscus Hareus an. 1595. M. Iacson. lib. 13. Gaspar Ens Annal. tom. 3. lib. 3. Grot. l. 4.

1595. ipsos commorantem ad Fontanum Comitem allegant: qui verbis eorumdem illi profiteatur: Optare iam Fœderatos Belgas cum alijs Hispano Regi parentibus concordiam inire. Neque Gallici Regis, aut Anglicæ Reginæ, hostium Hispani perennium, quorum apud se Legatos haberent, persuasionibus ab eo consilio reuocatum iri.

Causæ tam nouæ rei, quæ à Scriptoribus coniectantur.

Haraus. Iansonius.

QVAE causa tam subitò, tam inopinatè Hollandorum animos, cæteroqui tenaces propositi, recentibusque victorijs ad bella firmatos, commutarit; adeo incertum est, ut unam, aut alteram suspicari magis, quàm afferre videantur eius æui Scriptores. Vnam fuisse autumant, quòd ab Rege illo, ac Regina cum Hollando Fœderatis recèns, ac disertè scriptis literis interdictum ei esset, ne per biennium totum ullum haberet cum Hispanis commercium. Quod tamen omnino fieri non poterat, cum in eiusmodi negotiationibus fortunæ ipsius omnes essent sitæ. Alteram hanc existimant: quòd memoratæ superiùs eluuiones tantam in Hollandicis Vrbibus, campis, finibus edidissent hominum, ac pecorum stragem, solique vastitatem: ut Gens illa omnis ad rem domesticam reparandam, animum, atque industriam à curis bellicis auocaret: persuadente (uti fit) calamitate, quod prospera fortuna frustra suaserat. Fuere qui deliberationem nouam, atque inexpectatam solertiùs rimantes, eam pacis petitionem in speciem tantùm obtentam crederent: ut bellicoso Gubernatori, regijsque armis hàc, illac erumpentibus moram aliquam obiectaret: dum parte alterâ Gallus Burgundiæ paulatim potiretur, sibique finitimas prouincias Belgicas impunè vastaret: Hollandus alterâ copijs, & viribus auctior, robustiorque ad noua bella se instrueret.

Fontanus tractationi pacis assentiens, mittit in Zelandiam Delegatos.

VTCVMQVE causa petitionis habuerit; hanc respuendam minimè duxit Fontanus: ne vel hostibus in ipsum publica damna deuoluendi, vel Regijs conquerendi ansam aliquam daret. Ad rem ergo accuratè tractandam, Theodorum Liesfeltium, Othonem Hartium, aliosque regio nomine misit in Prouincias

Prouinciæ Vnitæ.

Fœderatas. Hi Middelburgum profecti sunt, in Vrbem Zelandiæ principem, ubi Mauritium Comitem tunc degere inaudierant. Hîc verò quiddam deprehenderunt ipsa pacis petitione magis inopinatum, ac mirum. Vbi namque in colloquium cum Mauritio, Valchio Quæstore, & Roëlsio Consiliario ventum est; Mauritius Fœderatorum omnium nomine pronunciauit: *Cum Belgicis Regis Prouincijs inire se velle concordiam, non autem cum Rege Hispano*. Cuius ab ea pace procul habendi caussis quoque adijciebat. *Hollandos alijs Principibus Hispani hostibus manifestis*

Hollandi pacem volût cum Regijs prouinciis, non cum Rege.

fa-

Causas profert, | *fœderatos: à quibus desciscere nec decorum, nec tutum foret. Recedendum verò ab ijs esse, si iungerentur Hispano. Hunc autem tam diuturno bello inimicatum, tam grauibus, ac multis irritatum damnis, quando unquam tot offensionum memoriam, acerbumque in ipsos animi sensum depositurum? Quî credere se posse, sinceram ab eo, stabilemque sancitum iri pacem, qui nullam ultionis sumendæ prætermitteret occasionem? Quam denique de illo spem superesse Fœderatis, qui suis continenter Theologis aurem præberet, inclamantibus: Hæreticis hominibus non esse seruandam fidem?* | 1595.

FACILE cuique sit assequi coniectura, quales ad hæc verba, quamque obstupefacti substiterint Hispanorum Delegati: qui pacem ineundam audirent cum corpore, seiuncto capite: & sinè Rege regnum in fœdera vocari. Paucis itaque responsum dedere. *Quam erga Hollandos mentem Rex habeat, satis ostendere permissa eisdem in Hispania, Lusitaniaque commercia: & plusquam satis declarasse Archiducis literas ad pacem inuitantes, non sine consensu Regis, ad eosdem anno superiore transmissas. Cæterùm si Regiæ Prouinciæ sunt; quî posse cum eis, aut pacem, aut bellum agitari sinè Rege?* Cumque adhuc in proposita exceptione persisteret Mauritius; eàque seclusa nullam unquam futuram concordiam verbis Fœderatorum assereret: re non modò infecta, sed penitùs dissoluta, discessum est. Neque ibi morati diutius Delegati Bruxellas redierunt. Vbi cum scripta Fœderatorum recitassent, & propositam pacis conditionem aperuissent; non tam admirati omnes, quàm stomachati, habuere pro certo, moliri illos Prouincias Regi subiectas ab eodem seducere, ut suum ad arbitrium versarent.

Delegatorum responsio. — Portogallo.

Iidem Bruxellas reuersi.

Quis ibi ea de re sensus.

NEQVE post multum temporis vulgatum est (nisi & hoc ipsum de industria simulatum) Angliæ Reginam tractationis institutæ de pace factam certiorem; idque actum se inconsulta queritantem, ad Hollandos misisse, qui pecuniæ summam ingentem ab ipsa mutuo datam repeteret. Illos autem, cum ea tempestate soluendo non essent, ut ab ea se vexatione liberarent, omni pacis negotio prorsus abstinuisse. Cæsari verò, alijsque Principibus dedisse literas, quibus significabant, per se minimè stetisse, quo minùs concordia toto Belgio sanciretur. In hunc modum omni spe pacis elusa (an potiùs eius umbra quadam, ad bellica occultanda consilia, Populorum votis offusa?) urgendum vehementiùs bellum fuit. Quare Fontanus ad nouam expeditionem adiecit animum.

Angliæ Regina ob eam tractationem indignata.

Iansonius.

Ludificata pace, bellum resumitur.

PERLATAE iampridem fuerant ad eum, & crebrescebant in dies Artesiorum, atque Hannoniorum querelæ: quòd frequentibus

Artesii, & Hannonii defendi postulant à Fontano.

D'Artoys. D'Enau.

1595. Di Cābray. Rolandus Mirteus. Bentiuolus lib.2. Campana l. 3. Camerus l. 11.c.3. Coloma l. 8. Turturalib. 21. Catherinus lib. 15.

tibus Gallorum incursionibus vexarentur: & vicinos Cameracenses, ac Dorlanenses sentirent continenter infestos. Opem ab eo, ut Belgij Moderatore, enixis precibus postulabant. Militem, commeatus, pecuniam pro suis viribus offerebant. His adductus Fontanus à Richardoto Præside, ac Morienfarto, qui erat à Secretis, iussit in hanc sententiam suo nomine responderi.

Eius responsio.

Sibi quidem maximè cordi esse Belgarum omnium sua Cura commissorum incolumitati prospicere: ipsorumque præsertim, qui Hostibus finitimi, eorum essent iniurijs præ cæteris obnoxij. Verùm id temporis nec pecuniam sibi tantis bellorum sumptibus respondentem, nec militem suppetere; cùm & eum in tot prælia sit partita diuersitas Hostium, & ipse se ab reliquo corpore seditione diuiserit. Vtcumque igitur bello necessarium instrumentum liberaliter ipsi, uti spoponderant, præpararent: se verò, quo posset, subsidio tam iustis petitionibus minimè defuturum.

Expeditionem ipse suscipit.

LAETISSIMIS illi animis responsum hoc accepere: nullâque interpositâ morâ, militum, annonæ, pecuniæ, quantum licuit, coëgerunt. Hac obsequij celeritate, apparatuque rerum animatus Fontanus, ipsemet ad eam expeditionem statuit proficisci; aliud tamen mouens animo, quod paulò pòst declarauit. Verùm nè quid interea per ipsius absentiam in Brabantia, Flandria-ve turbaretur ab hostibus; iussit Christophorum Mondragonium Cantabrum, Antuerpianæ Arcis Præfectum, cum Equitum sex ferè turmis, pluribusque centurijs Peditum ad earum Prouinciarum custodiam excubare. Cumque in Vasia Flandriæ regione ad compescendas confinium Hulstanorum irruptiones (Hulstum enim superioribus annis captum fuerat ab Hollandis) duo erigi cœpissent, viuente adhuc Archiduce, munimenta; ea nunc perfici Fontanus mandauit: alterique ab suo cognomine nomen fecit: alterum, ad perennem Archiducis memoriam, appellauit Austriacum. Ad eorum præsidium cohortes aliquot Vallonum, atque Heluetiorum collocauit.

Biscaino. Castellano. Vasà

Flandrica munimenta ab eo perfecta.

SVB exitum Maij copiæ omnes contractæ in finibus Hannoniæ iussæ consistere. Peditum erant fermè millia quinque: Equites mille. Neque machinæ deerant, bellique reliquum instrumentum. Bruxellis relictus est Feriæ Dux, qui tamen iam in Hispaniam cogitabat: & Stephanus, ac Didacus Ibarræ pecuniariæ rei præfecti. Ineunte Iunio suscepit iter Fontanus, comitantibus Roderico de Sylua Pastranæ Duce, qui non ita pridem aduenerat ex Hispania (quamquam aliquis eum morbo retardatum affirmat) & Christiano Sauinio Rosnæ Domino,

Coloma l.8. Rgna.

supremo Castrorum Præfecto, qui à Gallis transierat ad Hispanos, alijsque Principibus viris. Montes, Hannoniæ Vrbem, primùm venit; indè Valencenas: ubi moratus quatriduum, ut Chimacensis accessum Principis expectaret. Ducebat is ter mille Pedites Vallones, ac tres Equitum turmas grauioris armaturæ. Properantem ad reliquum exercitum adiungi Galli hostes interturbarant; Chimacum Oppidum, & Arces Hannoniæ aliquot obsidentes. Sed his pari virtute, & celeritate repulsis, ad Fontanum Princeps contendit, magnis ab eo, exercituque uniuerso gratulationibus, & plausibus honestatus. Copiarum omnium facta recensione, numerata sunt Peditum octo millia, Equitum propè duo.

1595. Maestro di Campo generale. Mons. Valencena. Chimay. Rassegna.

Militum recensio.

EXERCITV lustrato, Fontanus Comes ad militare Concilium Principes, ac Militum Præfectos conuocauit. Adfuere præ cæteris Chimaci, atque Auellini Principes, Bossutus Comes, Motta, Rosnæus, Mendozza, Mexia, militaris scientiæ, atque experientiæ præclari. His nouum proposuit consilium, quod præsens rerum necessitas, imminensque periculum suggerebat. *Hano Vrbi* (quæ non multò ante venerat in potestatem Hispanorum) dixit, *se non temere, nec mediocriter timere. Relictum in ea Præsidium haud leuiter periclitari. Gubernatoris eius Gomeroni, qui modò à Gallis, modò ab Hispanis stetisset; pluribus argumentis esse sibi suspectam fidem. Substitutum eius loco fratrem Oruillerium plus multò timoris, ac suspicionis inijcere, ne cum Bullonij Duce noui aliquid aduersùs Hispanos moliretur. Viderent ipsi pro sua bellica rei prudentia, quid facto foret opus. Num ex inopinato superueniendum, ac deteriora consilia occupanda simul, atque opprimenda? An aliquid in rem præsentem succurreret opportunius? Omnia, quæ par erat, animi libertate, atque in suum Regem charitate proferrent in medium.*

Rolād. Mirtens. Cōsiglio di guerra. Capitani. Di Bossù. Di Rona. Hān. Guarnigione. Duca di Buglion.

In bellico Senatu Fōtanus Hani defensionem proponit.

AD hunc modum rogatis à Fontano ea super re sententijs, suam primus omnium dixit Chimacensis; hanc illi pro merito cæteris ultro deferentibus prærogatiuam. Is igitur ea usus libertate dicendi, quæ Principum ac Militum iuxta propria est, & quam Comes ipse concesserat; ingenuè professus est: *E suis plerosque militibus Voluntarios esse, ac solùm Artesiæ, Hannoniæque à Gallorum incursione liberandis nomen dedisse. Iam si ad aliam expeditionem auocentur; vereri se, ne detrectent imperium, ac repentè dilapsi valde diminutum Exercitum relinquant. Quo sic destituto, neque ullius Oppidi, aut Arcis aggredi obsidionem, neque aliud opus moliri, cuius sperari possit exitus felix, prudentis hominis sit. Quid præterea Prouincias ipsas dicturas; ubi videant, diligentiam in cogendo mi-*

Chimacēsis Princeps & cæteri eā dissuadent. Venturieri. Targente.

1595. *lite suam, largitatem in pecunia, commeatibusque suppeditandis, quibus exhauserint quodammodo se, ut Exercitus affluat rebus omnibus; non sibi profuisse, sed alijs: non suis prospexisse necessitatibus, sed alienis consilijs subseruisse? Eo verò tam periculoso tempore maximè cauendum videri sibi ab irritandis ulla offensione Prouincijs, quæ non modò in confinio, sed propè in manibus hostium essent. Verùm quid alij sapientiores sentirent, se libentiùs auditurum.*

In sententiam Chimacensis ad unum omnes ierunt. *Hanense negotium, quod moras pateretur, opportuniori tempori reseruandum. Satis in Urbe Præsidij, satis à Gomerono, eiusque fratribus, qui Bruxellis obsides detinerentur, securitatis esse. Tunc minimè prætermittendam occasionem adeò commodam duas illas magni momenti Prouincias ingenti beneficio Hispanis arctiùs obstringendi, quæ Belgij limitaneæ forent, quæ natura bellicosæ, quæ Gallis hostibus continenter instantibus, vel occludere possent ad reliquas Prouincias aditum, vel aperire.* Sententiarum numero magis, quàm pondere vinci se passus Fontanus. Et quamuis sagaci prospiceret animo calamitatis aliquid (quod sequens comprobauit euentus) maluit tamen ab eo, quod censebat optimum, aberrare cum omnibus, quàm solus supra omnes sapere velle videri. Igitur Hano posthabito (quamquam neque ab eo longè recedebatur) Castelletum obsidere decreuit, quasi principium aliquod Cameracensis Belli, quod animo iamdudum volutabat. Sed antequam eò Castra moueret, voluit Militaris disciplinæ legibus instauratis, salubriùs quàm armis, militem suum instruere, probè gnarus Exlegem, ac dissolutum Exercitum Duci suo magis metuendum esse, quàm hostibus. Eas ut ab aliquo proponuntur, hîc referre non piget; neque pudere debebit posteros Duces à Viro nobilis in Belgio, Italiaque iustitiæ, ac prudentiæ militaris, Christiana capere Militiæ documenta.

Frontiere.

Fontanus eis obsecundās, Hanum omittit, Castelletum inuadit.

Chiatelet.

M. Ianson. Merc. Gallo-belg. lib. 13.

Seueris itaque legibus sanxit: *Ne quis Militum auderet in Deum, eiusque Parentem Virginem, aut alium è Sanctis Cœli Ciuibus iactare conuicia. Ne prostituti pudoris fœmina haberentur in Castris. Ne sacra Templa, vel religiosa Cœnobia diriperentur. Ne viris, virginibusque Deo consecratis ulla fieret vis, aut iniuria. Ne quis priuatas offensiones singulari certamine ulcisceretur. Ne locum, ordinem-ve desereret, ubi vel mouenda Castra essent, vel manus cum hoste conserendæ. Ne ad agendas prædas in hosticum procurreret, nisi facta priùs à suo Centurione, vel Præfecto Militiæ potestate. Ne quemquam è Socijs, aut Mercatoribus per Castra ultro citroque commeantibus, depradaretur. Ne in expugnatis Urbibus, Oppidis, Arcibusque aduersùs Matronas, aut Virgines esset iniurius, impuberes,*

Leges militares ab eo latæ.

occideret, ferro ſæuiret in captiuos, res ſacras raperet, Sacerdotibus inferret manus, niſi ſi qui armatis immiſti pugnarent. Ne demum in hoſtes ipſos, qui facta deditione Vrbibus, Oppidis, Arcibus migrarent, impetum faceret, aut eos adoriretur ex inſidijs. Qui quampiam ex his legibus violaſſet; capite lueret.

1595.

Hac diſciplinæ ſeueritate Chriſtiana ſatis, ad rem bene gerendam inſtructum militem ſuum ad Caſtelleti obſidionem deduxit. Eſt autem Oppidum hoc in Veromanduis, Galliæ olim Belgicæ, nunc Picardiæ parte: quod cum Cameracenſi ditioni, ſiue ut appellant, Cameraceſio ſit finitimum, oſtium eius quoddam videtur. Imò tamquam eiuſdem propugnaculum extruxit, aut certè validè muniuit Henricus Galliæ Rex eo nomine Secundus contra Arcem Cameracenſem à Carolo Quinto Cæſare conditam. Oppidi quadratus eſt ambitus: & in quouis è quatuor angulis eminet munimentum ex ijs, quæ à magnitudine, ac firmitate regia nominantur. Circumducta foſſa partim inanis erat, partim aquis abundans. Cæterùm ita rebus omnibus fuerat ad defenſionem inſtructum, ut diu credi poſſet Obſeſſoribus obnixurum. Illo potiri non ſolùm opportunum ad Cameraci expugnationem, ſed etiam neceſſarium à Fontano, cæterisque Principibus, ac bellicis Conſiliarijs cenſebatur; tum quòd in Galliæ limitibus ab eo latere Belgio viciniſſimum eſt: tum quia in hoſtium poteſtate relictum, obſidentibus Cameracum magno futurum erat incommodo.

Caſtelleti ſitus, & munitio.

Campania. Bentiuolus. Thuan. lib. 112. Cambreſis. Forte reale. Confini.

Igitur medio ferè Iunio Caſtra locauit Comes ante Caſteletum; ſtatimque diſponi aduerſùs Oppidum iuſſit quatuor maiora tormenta, corbibus, atque integumentis præ celeritate deſtituta. Et quia turris in conſpectu erat, quæ à vetuſtate facilis ad ruinam videbatur; in eam bombardas dirigi mandauit, ac diſplodi. Poſt paucas horas turris percuſſa magnâ ſui parte diſiecta eſt: non ita tamen, ut multis irrumpentibus aditum daret. Ad ruinam explorandam rapidè aduolarunt è veteranis duo, qui plumbea ſclopetorum grandine nihil retardati, qua parte diruta turris erat, aſcenderunt. Vt eos ſubſequerentur, ac denſo milite iuuarent, prompti expeditique aderant Vallones: cùm ſubitò vox audita, incertum quo auctore: *Fugiunt*. Id ubi ad aures Vallonum inſonuit: tenere ſe non potuerunt, ardentes natura, gloriæ auidi, occaſione præcipites, quin Ducis imperia præcurrentes, ad Oppidum certatim per eamdem illam ruinam irrumperent. Et quoniam inde aliquo diſtabant interuallo, magnusque fuit ardor contendentium, ac properantium, & ipſe aſcenſus laborioſus, atque arduus; nonniſi anhelantes, langui-

Oppugnationis initium à quadam turre.

Gabbioni. Mirteus. Archibugi.

Vallones præpropere periclitatur.

di,

1595. di, fatigati eò peruenerunt. Oppidani contra integri viribus, alacresque, prædâ quodammodo in manus veniente; eos acriter inuadere, sternere audaciores, cæteros fortiter propulsare. Et iam Vallones terga dabant, ac pœnas temeritatis suæ: cum Hispani sociorum cladem, quamuis ultro lacessitam, miserantes, magnis clamoribus postularunt, ut signum ad irrumpendum daretur. Eo impetrato, pari ferociâ, constantiâque Oppidum ab dirutâ parte turris inuadunt: hostes victoriâ superbos, ac securos aggrediuntur: eorum plerosque occidunt, reliquis in Arcem profugientibus.

Hispani succurrunt, & Obsessos ad Arcem repellunt.

ARCEM verò ipsam propiùs obsessuri, atque omnem Obsessis exitum interclusuri, vallum fossæ obducendum existimarunt: quod & machinis contra illam erigendis futurum erat opportunum. Nocte igitur tota hoc in opere desudarunt, nihil à continenti sclopetorum displosione, quâ fulminabatur ab Arce, deterriti. Iamque sub auroram locis plerisque vallum perfectum assurgebat: cum rei nouæ, ac non minoris momenti, Nuncius adueniens id operis, ac penè totam obsidionem interturbauit. Hanensis ea erat Vrbis amittendæ periculum præsentissimum, à Fontano (sicuti paulò antè diximus) prouisum. Quod ut in aperto sit magis; altiùs aliquanto repetenda res tota.

Noua res oppugnationem interrumpit.

Hani situs, & opportunitas.

HANVM in Picardiæ finibus Vrbs est, non tam magnitudine, aut opibus, quàm sitûs opportunitate magni æstimanda. Quippe in Galliæ, Belgijque confinio posita, alterutri ditioni, cui accesserit, commoda esse potest ad se tuendam, ad finitimum hostem infestandum. Propter Somonam fluuium iacet, æquali propè spatio quinque leucarum hinc Ferâ, illinc Sancti Quintini Oppido distans. Præerat ei Gubernatoris nomine Ludouicus Moius Gomeroni Dominus: idemque Arcis in latere Vrbis erectæ Præfectus erat. Hic Partes Fœderatorum Galliæ sequutus, ubi eas ad dissolutionem inclinare animaduertit, cum Hispanis conuenire optimum factu duxit. Cur ad hos potiùs, quàm ad Henricum Regem adiunxerit sese, ea proditur causa: quòd cum publico decreto Parisiensis Senatus, in celebri Lutetiæ foro Carolo Lotharingo Aumaliæ Duci statuæ caput fuisset per summam ignominiam amputatum, eiusque absentis bona proscripta, tanquam rebellis; eamdem sibi metueret fortunam, qui fuisset in eadem causa. An potiùs quòd præter ingentem opum vim, quam inde consequi poterat, perpetuam sibi, propriamque gubernationem illam magis ab Hispanis eo beneficio deuinctis, quam ab suo Rege sperabat, cui redderet, quod ipsius esset?

Michi. Aitsingerus ad finē Leonis Belgici. Ioā. nes de Bussieres histor. Franc. l.23. Coloma l.8. Bentiu. l. 2. Cāpana l.3. Catherinus lib.15. Turs. l. 21. Carner l.11. c.3.4. Harens anno 1595. Thuan. lib. 112. Gaspar Ens Annal. tom. 3. lib.3. Rolād. Mirteus. Coloma. Thuanus. D'Umalas.

Eius Gubernator in sequendis Partibus varius.

Cur magis Hispanis quàm Gallis adhæreret.

CVM

Eius pacta cum Hispanis.

1595.

CVM Hispanis ergo conuenit: *Vt Hanensem Vrbem, atque Arcem in eorum potestatem tradenti sibi, semel dono darentur aureorum millia viginti quinque: octo autem millia quotannis in redditus soluerentur, his tamen adnumerando, quæ penderet Hanum ipsum; cuius esset perpetuus Gubernator.* His conuentis utrinque sancitis, Hispanicum Præsidium inductum in Vrbem est. Constabat id Italis Peditibus octingentis, quibus præerat Franciscus de Sangro ex nobili apud Neapolitanos familia, Vir animorum plenus, & Belgici satis experiens belli: ducentis verò Hispanis, totidem Vallonibus, & quadringentis Germanis; quos omnes Ferdinandus de Olmedo Hispanus, magna ipse quoque militari virtute, atque experientia clarus, regebat. His Gomeronus Vrbem concessit, Arcem negauit: siue quòd expectaret, dum tota pecunia pacta persolueretur: seu veritus, ne Arce potiti, factique validiores, ipsum inde propellerent. Cumque pluribus missis super ea re literis nihil proficeretur, ad artes ventum est.

Campana. Carnerus.

Horum Præsidiũ in Vrbem accipit, non in Arcem.

Cecco di Sangro.

Coloma.

Rolãd. Mirteus. Gaspar Ens. Catherinus.

FERAM communitum iuerat Christianus Rosnæus, tria militum millia eò deducens, & quatuor maiora tormenta. Hanum ergo perlustrans in reditu; Gomeronum adit: eique persuadet, ut secum Bruxellas commigret, reliquam pecuniæ summam accepturus, & confirmandæ sibi gubernationis certiora sumpturus auctoramenta. Duos quoque natu minores adducat fratres, quos in manu Hispanorum fidei suæ obsides relinquat. Tradunt alij, sua se sponte Gomeronum in eas pedicas induisse: ne quis eum fraudulenter agere suspicaretur: atque ut ipse se pignus offerret fidei suæ. Sed magis credendum cæteris videtur, eorumque præsertim uni, qui, cum Hani tunc fuerit, oculati Testis auctoritatem habet. Neque simile veri est, homines dubiæ fidei, suarumque machinationum conscientiâ timidos, ultro in aliorum potestatem, & suprema pericula incurrere.

Rosnæus ei persuadet, ut Bruxellas cum fratribus se conferat.

Campana. Thuanus. Carnerus. Coloma.

Rolandus. Bentiuol. Turtura. Iansonius. Coloma.

DISCEDENS Gomeronus cum paruis fratribus; alteri ex eadem Matre, diuerso Patre nato (siue ut alij scribunt, Vxoris fratri) Oruillerij Domino, suæque Parenti Arcis curam commisit. In arcanis quoque mandatis Oruillerio dedit: Ne ullo pacto Hispanis Arcem traderet. Quod si vel per literas absens id ipsemet iuberet, vel coram eo reductus verbis imperaret; iam tùm sciret, id ab se inuito, coactoque factum iri: adeòque morem in eo sibi geri nolle. Hæc postmodum Fontanus ex interceptis literis cognouit. At ubi Bruxellas attigit Gomeronus, ei statim fuere viginti aureorum millia numerata: multoque plus opum, imò & honorum promissum, cùm primùm Arcem iuberet in manus Hispanorum venire. Id ut maturaretur, instabant: *Indignum,*

Quæ mãdata Oruillerio fratri reliquerit.

Thuanus. Rodolp. Botereius, Comment. lib. 2.

1595.

dignum, & periculi plenum dictitantes, *à Gallis Arcem, ab Hispanis Vrbem custodiri. Vtramque potiùs in Catholici Regis, cui se ipsum tradiderat, potestatem daret ex initis conuentis; in eius patrocinio perpetuò securus, & magnis ab eo muneribus cumulandus.* Cùmque ille verba dare, in dies rem trahere, atque ambigua, & perplexa loqui agnosceretur; deprehensis quoque dolosis Epistolis modò memoratis; Fontani iussu Bruxellis subsistere cum fratribus coactus est, eamque Vrbem habere pro custodia, donec Arcem obtinerent Hispani.

Hispani Arcem postulant.

MISIT etiam Comes ad Oruillerium, & Matrem, Gomeroni socium, turmæque Præfectum cognomento Arloum, unàque Ferdinandum Friam (Antonium alij nominant) cum literis Gomeroni, quibus iubebantur Gallicum Præsidium ex Arce dimittere, Hispanicumque recipere. Quæ cùm illis exposita fuissent mandata; excusauit se Mulier, cùm diceret, in Oruillerij potestate omnia esse. Is verò: *Neque se posse quidquam agere*, subiecit: *cui frater in digressu claues Arcis committens, seuerissimè vetuisset, ne illam umquam concederet Hispanis: non si captiuus fieret, Hanumque reductus id ipsemet vehementissimè rogaret: non si ob eam causam in oculis ipsius trucidaretur. Imò ne sibi quidem, nisi libero, portas aperiret. Quod si frater, mutatâ sententiâ, certò statuisset Hispanorum Præsidio Arcem credere; adesset ipse cum fratribus liber, Arcisque procuratione resumpta, de illa statueret pro arbitratu.* Ad hæc Frias aliquantò commotior, à Filio auersus ad Parentem: *Domina*, inquit, *à Fontano Comite legatus huc sum, deliberatæ ipsius mentis interpres: ut nisi maturè iubeas Gallicum Præsidium ex Arce migrare, & Hispanicum octoginta militum cum Olmedo Præfecto in eamdem admitti; certiorem te faciam, ipsum quàm primùm dono tibi missurum in disco trium tuorum capita filiorum, quos habet in potestate.* Hac subitò perculsa comminatione miserabilis Mater: ac timore, dolore, indignatione uno eodemque tempore agitata, à lacrymis sibi temperare non potuit: quibus ubertim fusis, has voces adiecit. *Hancine rependunt gratiam Hispanus Rex, & Galliæ Fœderati pro tot erga se meritis Coniugis mei, meorum affinium, meorumque natorum? Ecquam obtendere causam potest Fontanus Comes, in meum sanguinem innocentem adeo crudeliter sæuiendi? Vndenam haurire vel minimam suspicionem potest de minùs syncera meorum filiorum fide: ut eos nouis conditionibus adigat violenter ad alterius Præsidij iugum ab illo, quod hactenus expertus est constantissimè toleratum? Quod verò suæ fidei pignus certius, chariusque magnanimi mei filij præbere poterant Comiti Fontano, quàm uti tres unà in eius manus se darent? Eos profectò non aliud illuc deduxit,* nisi

Campana. Gaspar Ens. Carnerus.

Tergiuersantem cogunt ad Fratrem scribere, ut eam tradat.

Responsio matris, & fratris cõtraria Hispanorum postulato.

Comminatio Fõtani in vitam triũ fratrum.

Matris lacrymæ, & querelæ.

nisi animus ipsorum, aquè ingenuus, ac generosus. Hunc ipsum spero menti Comitis iusta simul, & benigna persuasurum, ut omni utilitatis ratione posthabita, incolumes restituat natos miserrimæ Parenti. Cum his dictis lacrymæ rursus, & singultus effusi viam longioribus precibus, aut querelis (quarum erant illæ compendium efficacius) obstruxerunt. Sociabat Parentis fletum præsens Filia Deo consecrata. Quarum commiseratione victus Frias abeundi veniam poposcit; easque sperare meliùs iubens, ab Arce in Vrbem descendit.

1595.

Oruillerius agit cũ Gallis de Arce atq; Vrbe eis tradenda.

AT Oruillerius, qui diutius anceps animi fuerat, utram in partem vergeret: & modò tradendi Arcem spem fecerat Hispanis, modò ad eos in Vrbe opprimendos egerat cum Longauillæ Duce Picardiæ Gubernatore, & Carolo Humerio Locum-tenente, ut Gallicæ copiæ clam inducerentur; eis comminationibus Hispanorum (quæ viriles animos non terrere, sed irritare solent) Fratrumque periculis, in iras exarsit vehementiùs: & Gallis suis Arcem, Vrbemque tradere omnino decreuit. Quare clam cum Humerio rem urgere; hic eamdem cum Bullonij Duce, & Oppidi Sancti Pauli Comite communicare. Is namque moderationem prouinciæ iam susceperat, Longauilla fratre paulo ante extincto ictu sclopeti, ab uno suorum militum fortuitò displosi, dum cæteri honoris ergo communi displosione ipsi plauderent. Aliter tamen improuisam hanc, & imprudenter illatam Principi necem Scriptorum aliquis narrat, qui haud procul inde aberat, ubi rem gestam in hunc modum testatur.

Catherinus.

Buglione.
San Polo.

Colonna.

Longauillæ Dux per ignorantiam cæditur à suis.

AVDIERAT Longauilla, Varambonium Marchionem cum Hispanico Exercitu Dorlanum, Picardiæ nobilem Vrbem, accessisse: qui tamen iam illinc recesserat. Equum igitur ascendens, cum alijs, qui extempore cogi potuere, militibus eò conuolauit: atque horâ unâ ferme ante lucem ad portas adstitit. Vt illæ panderentur, instabant eius comites, Gubernatorem eum Prouinciæ asseuerantes. At Vrbis Custodes quò urgebantur magis, eò minus habebant fidei, militarem aliquem dolum hostium suspicati. Neque cessabant interea sclopeta ab mœnibus exonerare, ut illos, quos hostes existimabant, summouerent. Perstabat adhuc Dux, certus ad claram diem, ut agnosceretur veritas, expectare. Sed ecce sclopeti repentinus ictus eum ita ferit, ut illico mortuum ad terram affligat. Ingenti lætitia plausuque Dorlanenses eum ictum, & sequutam extemplo necem exceperunt; utì plerumque cæcum genus humanum ibi plurimùm gaudet, ubi gaudere minimùm debet. At postquam patefacta dies miseris Gubernatorem suum ab se occisum, &

ma-

1595. magnum, quamuis per ignorantiam, crimen aperuit; vanum illud gaudium versum est in verum luctum: & sera pœnitentia, quòd nimis obstinatè renuissent credere: commiseratio in florem æui succisum Principi, qui non explesset annos viginti quinque: dolor ingentis factæ sua ipsorum manu iacturæ; tantum propè publici mœroris crearunt, quantum oriturum erat, si nimia credulitate peccantes, hosti patriam prodidissent.

Lõgauillæ subrogatur in Picardiæ præfectura Frater eius Sancti Pauli Comes.

IGITVR pro Longauillæ Duce Frater eius Sancti Pauli Comes ab Henrico Rege suffectus in Picardia gubernanda; cum Bullonio Duce, Humerioque consilium de Hano recuperando cepit. Ardua res effectu videbatur, tum ob validum Vrbis Præsidium, tum ob vicinatem hostilis Exercitus, tum etiam quia Oruillerij admodum dubia erat fides. Operis tamen mouendi, ac præparandi onus totum in se recepit Humerius. Ac primò quicquid erat in vniuersa ea prouincia Gallicæ Nobilitatis, quicquid Militum in Præsidijs circumiectis, cogere in unum aggressus est. Simul etiam agere per clandestinas literas, atque *In cifra.* Internuncios cum Oruillerio; coram verò cum eius affini Damio Roiæ Præfecto, qui syncerè Oruillerium agere testabatur: idemque confirmabat Vitermontius Humerius in Arce Hanensi captiuus.

Humerii, & Oruillerii conuenta super Hani traditione.

INTER eos autem conuênit: *Vt Oruillerius Humerium, eiusque milites in Arcem acciperet, inde ad Vrbem descensuros, ut eâ, pulso Hispano Præsidio, potirentur. Vt idem Oruillerius perpetuus esset Vrbis Gubernator, Arcis Præfectus.* *Castellano.* *Vt quotquot hostilis Exercitus Præfecti caperentur, in ipsius darentur potestatem; pro Gomeroni, ac fratrum redemptione permutandi, vel uti rerum exitus posceret, habendi.* *Ostaggio.* Obsidem quoque postulabat Humerius, ac pignus aliquod securitatis, ne cum suis discrimen incurreret. At Oruillerius, quando Natum suum transmittere non poterat, ne consilium patefieret, ac proinde careret optato successu; orauit Damium, & exorauit, ut eius loco se sisteret. Iamque contractæ Gallorum copiæ Peditum erant quater mille, Equitum supra mille, alijs, alijsque proximis Hano locis castrametantes. Et quamquam Castelleto Hispanorum obsidione laboranti opem poterant ferre: pluris tamen faciendum erat eam Vrbem capere, quam hoc Oppidum retinere: cum præsertim Fera, & Capella in potestate hostium essent; quibus si Hanum quoque relinqueretur, ad tuendum Cameracum (quod potissimùm peti ab Hispano exercitu iam fama erat) Gallorum subsidijs aditus omnis præcludebatur.

INTER hæc Oruillerius, simulans accepisse se, Gallos ad Hanensem

1595. Campana. Thuanus. Carnerus.

nensem Vrbem, atque Arcem occupandam adducere copias (uti re ipsa erat) adeoque oppugnationem timere; omnia in promptu iubebat esse, quæ ad defensionem parantur, ac locis opportunioribus, præsertim Vrbem versùs, tormenta disponi. Hinc Sangrio, & Hispanis aliqua oborta suspicio: quam Fridericus Rotundus Neapolitanus, qui erat in Arce Gomeroni Equiso, confirmauit. Docuit is, insolitos fieri apparatus: bombardas usitato loco moueri: vimineas cistas de nouo strui, & contra Vrbem dirigi. Quamobrem indignati Vrbani Defensores, quærere ex Oruillerio: *Quid nouitas illa rerum sibi vellet? cur etiam tam frequenter, præter solitum, ex Gallicis Henrici castris aliqui ad ipsum commearent?* Ille autem aperta fronte respondere. *Quod Gallos audisset Henrico militantes velle in Hanensem Vrbem, atque Arcem impetum facere; eosdemque videret ad eum profectò finem circumcursantes; sui muneris esse Arcem tueri, & quàcumque opus esset, communire. Qui verò è castris ad se venirent, veteres esse amicos: ideo tùm frequentiores, quia propiores. Si quid ipsi præterea suspicarentur, mitterent quotidie sub noctem è fidissimis duos, qui Arcem perlustrarent, ac de visu cuncta cognoscerent.* Accepit Sangrius oblatam conditionem: & immittere cœpit singulis diebus vesperi binos in Arcem milites. At voluens animo postmodum, si quid immineret inde periculi, in eorum capita primo casurum: simul etiam ut fidere magis Oruillerio videretur; ab ea destitit inquisitione, quæ vel non satìs erat, vel abundè. Opportuniùs itaque ad Vrbem muniendam se totum impendit, non minùs contra intimum, quàm contra extimum hostem. Ac principiò Vigilum numerum auxit, qui pro portis excubabant ea positione, ut simul Vrbem, simul occultam Arcis portam haberent in prospectu. Diu præterea, noctuque mittebat extra Vrbem exploratores, quàcumque facturus iter hostis credebatur, ut ad Arcem accederet. Vrbem verò aduersùs eas, quæ fieri ex Arce poterant, eruptiones non minore diligentia communiuit.

Hani Præsidiarij suspicätur de Oruillerio.

Cauallerizzo.

Gabbioni.

Ille ambiguè se excusat.

Assaltare. Far scorrerie.

Franciscus Sangrius Vrbem cómunit.

Fortificare.

Sentinelle.

Spie.

Sortite.

Catherinus.

In area, siue foro ante Arcem latè patente tria spectabantur capita viarum, ad varias Vrbis regiones, ac portas deducentium. Ea Sangrius obstruenda curauit erectis aggeribus ex dolijs, humoque ingesta. Circumiectas domos multis perfodi locis iussit, ut inde minora tormenta liceret in omnem areæ partem displodere. Hortorum quoque sæpimenta disiecta, ut Præsidiarius miles, quòcunque res vocaret, excurreret. Is per loca opportuniora dispositus. Lectissimi verò quique in turre, cui à Diuo Martino nomen, collocati. Denique nè cui suarum partium deesse Sangrius videretur; certiorem de omnibus, quæ impendebant, Fon-

Et Fontanum de periculo monet.

1595. Fontanum fecit per Arloum, Doanumque ad eum transmissos.

Et iam condicta inter Gallos, & Oruillerium occupandæ Vrbi nox aduenerat: cùm in Arce Fridericus Rotundus secundum cœnam, ad captandam auram egressus sub apertum Cœlum, unà cum Oruillerio, & Vitermontio; animaduertit, ex ea parte, quæ spectabat Vrbem, insolitum apparatum militum, bombardarum, corbium ex vimine; aliaque parum amicæ voluntatis indicia. Qua rerum nouitate commotus, continere se non potuit, quin rogaret: *Quanam tanti ibi apparatus causa esset? Arcanâ sibi viâ compertum*, respondit Oruillerius, *ea nocte per vim Arcem occupare Præsidiarios Vrbis statuisse*. Vix ea: cum sclopetum extra Vrbem displosum audierunt, quo Sangrio significabatur ex condicto, Gallos adesse. Statim in Vrbe, ad arma, conclamatur. Oruillerius haud segnior eam aperiri portam Arcis iubet, quæ ab inducendo subsidio appellatur. Sangrius contrà milites immittere, qui ingressum in illam hostibus vetent. Sed pauci longè pluribus obsistere nequierunt. Ad Arcem igitur accessere propiùs Galli: & quidem ordine non modò ad obiectum hostium, sed ad Oruillerij quoque incertam fidem valde accommodato. Præibant alijs Oruillerij Amici quidam, & Consanguinei, Sclopetarijs quinquaginta stipati: quasi ad Arcem occupandam sanguis, & amicitia viam facerent. Sequebantur alij centum, & secundum hos ducenti delecti milites. Aliam postremò centuriam ducebat Humerius. Seorsim ab his, & sensim progrediebantur cum reliquo exercitu Franciscus Aurelianus Oppidi Sancti Pauli Comes, & Henricus Turrius Turenensis Comes, ac Bullonij Dux. Præmittendum censuerunt in Arcem, qui exploraret tam eius munitionem, quàm inconstantem Præfecti fidem. Eo tuta omnia renunciante, Humerius, & Franciscus Auertonus cum suis ingressi citra damnum aut periculum, alios fecere certiores. Bullonius ad extremum intrauit, Arcem pro sua militari peritia, quâcumque opus foret, instructurus. Sanpaulius verò cum uniuerso Equitatu, ac mille Peditum acie substitit extra muros, ut, quò necessitas acciret, subsidio raptim cum suis accurreret.

Gabbioni. — *Dar all'arme.* — *Archibugieri.*

Preparatio ad Arcem, Vrbemq; tradendam. — Galli admittuntur in Arcem. — Eorum cautio in ingressu.

Propvgnacvlvm erat angulare, quâ ex Arce descendebatur in Vrbem. Hoc mandauerat occupari Sangrius; ubi primum instantis hostis rumorem accepit. Sed ab Arcis Custodibus & tùm strenuè defensum, & multò magis postquam intrògressi Galli suppetias laborantibus tulere. Quin & ab Arcis turre, quæ ad latus erat, Neapolitani sclopetis petiti, à propugnaculo recedere non sine suorum cæde coacti. Illi etiam, qui Vr-

Rinellino. — *Guardie.* — *Soccorso.* — *Bastione.*

Vrbis Præsidiarij ab Arce infestantur.

bis mœnia tuebantur, exoneratis ab Arce maioribus, minoribusque tormentis adeò infestati fuere; ut necesse haberent, in erigendis contra eam partem munimentis, noctem eam totam insudare.

1595.

Gallorum consultatio de ratione Vrbem oppugnãdi.

Hostes interea temerarium rati, per tenebras Vrbem inuadendo, se in discrimen obijcere: opportunius duxere de ratione eamdem aggrediendi inter se deliberare. Coactis ergo in unum Præfectis militum, quæsitum est: an Arcis porta, quæ spectabat Vrbem, in eruptione pandenda; quandò proximum propugnaculum esse poterat erumpentibus tutamento. Prudentioribus visum id maximè periculosum. Nam si validiores forent hostes, Gallosque in Arcem repellerent, peruium illis fuisset simul intrare: neque occludere licuisset portam, nè reliqui Galli exclusi internecioni darentur. Neque à propugnaculo percuti par erat hostes socijs permistos, nè utrique confusè cæderentur. Accedebat & illud incommodi Vrbem ex ea parte inuadentibus, quòd in aperto foro expositi erant ictibus è varijs circumiectarum domorum foraminibus euibratis. Consultius itaque visum, ex altero latere in fossam Arci obductam descendere. Cui rei opportunam aperuit viam hiatus quidam in muris deprehensus; qui ferramentis amplior factus, singulos milites demisit per obliquè prostantem inferiorem mœnium partem.

Capitani.

Metter'à fil di spada.

Attaccare.

Scarpa.

Humerius deditionem Vrbis postulat.

Iamque trans fossam erant ad hostes aggrediendos parati: cum Humerius Tubicinem præmisit ad Sangrium, qui denunciaret: *Si ex aquo, & bono deditionem facere cum suis vellet; omnes in tutum locum deductum iri; aliquot militum Præfectis in Arce relictis obsidibus, donec Gomeronus, & fratres Bruxellis remitterentur.*

Arrendersi.

Sangrij generosa responsio.

Responsum à Sangrio fuit: *Mirari se, Humerium tanta existimationis in rebus bellicis Ducem, in animum induxisse opinionem de se tam indignam, ut hostis facie nondum conspecta, vellet Vrbis eius defensionem abijcere. Cogeret potiùs vires, ac neruos contenderet suos omnes. Materiem eis exercendis non defuturam: cùm Præsidiarijs omnibus una mens esset, ad extremum usque spiritum commißam sibi Vrbem tueri.*

Acer conflictus, eiusque successus varius.

Hac accepta magnanima responsione, Galli agmine tripartito Vrbem inuadunt. In singulis agminibus centum erant nobiliora capita omnibus armis instructa. Impetus primi pro more Gentis vehementissimi fuere: sed robore non minore à Præsidiarijs excepti. Quamobrem atrox principio, & pertinax prælium fuit, veteranis utrinque militibus, experientiæ, ac virtutis egregijs, strenuè rem agentibus. Mox in diuersis, quibus pu-

Liu. Dec. I. lib. 10. Torqu. Tasso Can. I. Hierof.

1595. pugnabatur, locis diuersus apparuit exitus. Namque ad dexteram munimentorum partem, quam Balthassar Caracciolus, & Marcellus de Iudicibus propugnabant; impressionem facienti Humerio, non modò duas horas acerrimè Neapolitani restitere: sed eumdem postremò non sine multa cæde, & sanguine propulsarunt. Ad læuam verò, quâ Sesseuallius, & Cruceus munitionem aggressi erant ab Olmedo defensam, pari vtrobique fortunâ belli decertabatur. In media demum parte, quam Sangrius animo superante vires tuebatur, oppugnare Vrbem adorti Ambiani Vicedominus, & Nouioduni Gubernator; post longam, acremque dimicationem, ad extremum Sangrio duobus lanceæ vulneribus grauiter sauciato, perrupere Galli intra munimentum: ac dimotis omnibus, qui opponebantur, obicibus, ad Nouiodunensem portam demum peruenere; quam aperire decreuerant, ut per eam Sanpaulius cum Exercitu reliquo Vrbem intraret.

Assaltare.

Amiens. Noyon.

AT Sangrius extremis malis adhibens extrema remedia, & ab rerum desperatione consilium mutuatus; in eam stationem inijci iussit ignem. Is vento incitatus magnis ausis obsecundante, tam vehementer insectatus est Gallos, ut eos retrocedere compulerit. Imò prælium omne quiescere necesse fuit, quâcumque victrices flammæ debacchabantur. Gallis alij tribuunt hoc excitatum incendium: quod ligneis domibus, in ea parte Vrbis extructis, congestâque palea tectis, faciliùs incubuit, & citiùs promanauit.

Quartiero.

Campana. Gaspar Ens. Thuanus.

Sangrius in angustias redactus, incendio se tuetur.

MERIDIANVM iam tempus erat: & milites utrinque quâ pugnando fessi (quippe sexdecim horas tenuerat prælium) quâ repentinis flammis exterrefacti, languidiore manu dimicabant: cùm Humerius animosior, quàm cautior, nec impendentis prouidus mali; vbi primùm reflare ventum animaduertit, & conuersum vidit ab Gallis ad Hispanos incendium; imperio statim atque exemplo suos reuocauit, atque accendit ad pugnam. Ipse in prima acie ruit obuiam in hostem; quòque expeditior ad discurrendum esset, galeam deposuerat. Ecce autem ex Diui Martini turre bombarda minor displosa generosum Humerium percutit, prosternit, extinguit; cum tanto militiæ Gallicæ detrimento, ut eius audita morte pronunciauerit Rex Henricus: *Minùs ægrè se fuisse laturum, si quotquot Picardia continet, Vrbes amisisset.*

Humerius nimis animosus ictu bombardæ occiditur.

Campiglia lib. 10. Carnerus l. 11. c. 4. Thuan. l. 12.

Quàm grauis ea mors Henrico Regi.

QVI vero Humerij ductu militabant, improuisâ, luctuosâque iacturâ consternati adeò, immotique in vestigio perstiterunt, ut quasi afflati fulmine viderentur. At Bullonius eos incre-

Campana.

Bullenio promouente prælium, Sanpaulius cum exercitu intrat Vrbē.

crepitans, atque ad ulciscendam Ductoris sui mortem inflammans, in hostem acriter incitauit. Seque, suasque copias ipsis adiungens, tantum iniecit animorum, ac roboris, ut obsistentes cædendo, fugando-ve, viam sibi ad portam Nouiodunensem facerent, eamque tandem occuparent. Qua patefacta, cum exercitu Sanpaulius introgressus, ab ea quòque parte Præsidiarios inuasit. Hi quamquam ab hoste circumuenti, non tamen animis destituti; adhuc repugnare victoribus, & fronte semper aduersi in Suburbium Sancti Sulpicij recipere sese. Vbi cùm dimicatum ad noctem esset, neque expectatum adforet à Fontano subsidium, elatis hastis signum deditionis præbuere.

Eius facta deditio.

Hanensis Præsidii Principes captiui.

A T Galli vel ob occisum Humerium furentes, vel odio aduersùs Hispanos implacabili, rei nullius habita ratione, sæuierunt in victos: eosque prorsus internecioni dedissent, nisi Gomeroni recuperandi spes, & cupiditas, ut plerosque primates Viros captiuos abducerent, persuasisset. Hos inter Sangrius fuit, & Olmedus, Balthassar Caracciolus, Ferdinandus Ninsa, Marcellus de Iudicibus, Alexander Brancaccius, Septimius de Fabijs, alijque. Cæsi memorantur ex Vrbis Defensoribus octingenti: ex Hostibus quadraginta illustres Viri, centum & viginti gregarij. Captiuos magni nominis omnes sibi reposcebat Oruillerius, quo procliuior esset redemptio fratrum: cùmque Bullonio iactaret conuenta cum Humerio; respondit is: *Ignorare se, quid cum Humerio conuenisset: at probè nosse, id prælij longè laboriosius, damnosiusque fuisse, quàm ipse antea significasset: suumque Regem ea die iactura multò plus fecisse, quàm lucri. Quare, qui darentur obsides, Sangrium, Caracciolum, Brancaccium, Fabium, Ninsam latus acciperet.* Olmedus Sanquintinum, Chionium de Iudicibus, alij aliò in custodiam missi. Vtque aliquod militibus daretur præmium laborum, quos pertulerant; concessa Vrbs in prædam, ac direptionem. Adeoque prope funditus euersam reliquerunt.

Numerus utrinq; occisorum.

Scioni.

Vrbis direptio.

Permetter il sacco.

F O N T A N V S interea de Hani oppugnatione factus certior, ad ferendum subsidium cum Exercitus parte profectus erat; Pastranæ Duce, siue ut alij scribunt, Augustino Mexia ad prosequendam Castelleri obsidionem relicto. Et quamuis solidam noctem summa diligentia properando, leucas octo cum copijs confecisset; ubi tamen tribus passuum millibus prope Hanum accessit, nunciatum fuit, pridie superatos à Gallis Præsidiarios, captam Vrbem, ac depopulatam. Quo audito, retrocedens, cœptæ obsidioni se reddidit. Multòque in eam acriùs incubuit, ut Vrbis amissæ damnum aliqua ratione resarciret.

Fontani serum subsidium.

Campana. Catherinus. Thuanus. Rolandus. Bentiuolus. Coloma.

Idem ad Castelleti obsidioné redit, eamque urget.

Saccheggiare,

I G I T V R septimo Calendas Iulias quindecim tormentis maioribus

ioribus

1595. ioribus propugnaculum concuti cœpit saxo validissimo constructum. Eius diruta parte, duos Fontanus misit, qui ruinam explorarent. Hi non sine vulneribus redeuntes; posse quidem tentari oppugnationem affirmarunt; verùm haud citra difficultatem, atque discrimen: quandò & excelsitas loci, & facti hiatus angustiæ paucos milites admittebant. Contrà verò Defensores tum multi, tum strenui propulsare nullo negotio poterant irruentes. Sed vicit ardor animorum in Militibus certatim oppugnationem poscentibus, & studium in Duce ab eo se leuiori opere expediendi, ut ad maiora festinaret. Impetum ergo faciunt in Oppidum ab ea, quæ disiecta erat, propugnaculi parte. Duas ibi continentes horas acerrimè pugnatum: multum utrinque sanguinis fusum. Fontanus ubi paruum profectum videt, magnumque Militum discrimen; cani receptui iubet: ut ampliore ruina tormentis patefacta, recentior, validiorque viribus instauratis in eam Miles inuadat.

Riconoscer la breccia. *Assalto.* *Assaltare.* *Suonar à raccolta.*

Atrox Oppidi oppugnatio.

ET iam in promptu noua erat impressio, cùm subitum infortunium oppugnandi labore leuauit Hispanos, & deditionis consilium Defensoribus maturauit. Dum enim hi aduersùs hostem denuò, ac vehementiùs irrupturum, in eo se propugnaculo parant communire: fortuitò in locum, ubi pyrius puluis seruabatur, ignis illapsus eum totum absumpsit. Quare tam necessario militiæ recentis instrumento destituti, nihil sibi reliquum ad salutem vident, nisi ut quàm possunt optimis conditionibus deditionem faciant. Venitur in colloquium: constituitur, ut postridie cum armis, & sarcinis discedentes, explicatis signis, tympanisque strepentibus, deducantur in tutum. Egressi dicuntur Pedites quingenti quinquaginta sex: Equites octo, & sexaginta: sauciorum viginti currus. Cæsi in oppugnatione centum viginti. E victoribus cecidere quadraginta: plures vulnerati. Aliquot ibi dies Fontanus substitit, ut partes murorum dirutas restauraret; aliaque pararet ad nouam expeditionem.

Assalto. Resa. *Poluere d'archibugio. Campiglia, & alij.* *Bagaglio.* *Mura smantellate.*

Pyrius puluis in Oppido incendio consumitur.

Hinc accelerata deditio.

AT Gomeroni Parens materno timore anxia, ne Hanensis iacturæ damnum in filiorum capita recideret; sæpiùs ad Fontanum literas, atque Internuncios misit, ab ea se purgans Vrbis occupatione, præter suam, suorumque liberorum mentem (ut aiebat) facta. Spem tamen esse confirmabat, illam facilè recuperandi, quando Arx in potestate Oruillerij adhuc erat, & ipse in Bullonium vehementer iratus. Ad extremum legauit è captiuis unum, Alexandrum Brancaccium, qui suo nomine polliceretur: Arcis portam se Comiti concessuram, si restitueret Natos. Accepit conditionem vel cum gratijs Fontanus: interminatus

Gomeroni mater Fontanum vocat in spem Hani recipiendi.

minatus contrà, si promissis illa minimè staret, aut quid intercederet fraudis; se in ipsius Parentis oculis Gomeronum, & fratres trucidari iussurum. His in hunc modum firmatis, eò se conferre Fontanus ipse cum Exercitu parauit, cumque Gomerono, & fratribus, ingentique pecuniæ vi, quam ex priori conuentione persolueret. Sed nouus interea rerum motus in eadem Arce, & magnæ spei minùs respondens exitus intercessit.

1595.

Nouitas in Arce excitata.

SANGRIUS, cæterique præstantes dignitate captiui non eâ diligentiâ custodiebantur: quin Friderico Rotundo, paulò antè memorato, liberum esset cum ijs & sermonem habere frequenter, & magnum quoddam opus moliri. Animaduerterat is, Oruillerium cum Henricianis militum Præfectis, Gallico more, lætissimè agere, & quotidiana celebrare conuiuia. Hinc ipsi iniecta suspicio, affectare illum vel perpetuum Arcis dominatum, vel alia pro eo munera rependenda, de fratrum periculis, aut morte securum. Quippe ubi cor occupauit ambitio, reliquas inde curas exturbat. Itaque ad Sangrium rem defert Rotundus: ei consilium proponit Arcis facili negotio vindicandæ. Renuere principio Sangrius, seu quòd latentem aliquem subuereretur militarem dolum: siue quòd rem æstimaret aggressu periculosam, exitu prope desperatam, nondum præsertim suis persanatis vulneribus. Verùm iterante illo consilia, modoque patefacto, non tam arduum opus ostentante; suam demum, ac sociorum operam pollicetur. Modus hic erat: ut ab Aluaro Osorio Præfecto militum Feræ, qui apud eum essent, Equites peterentur: hi non longè ab Arce laterent in insidijs: ubi verò sub horam prandij bombardam displosam audirent; effusis habenis ruerent ad Arcis portam, quam inuenturi erant apertam. De his omnibus Osorio commonefacto, Rotundus conuenire captiuos: consilium totum edocere: clam eos armis tam ad tegendum, quàm ad petendum instruere. Mane demum diei ad facinus condictæ Milites euocat ex Vrbe duos magni animi roborisque, quos amicos norat sibi fidissimos. Eos adhibet ad conuiuium. Quo peracto, eisdem significat, Gomeroni Parentem velle ad filios recuperandos, vel inuito Oruillerio, Arce potiri. Vtrumque hortatur, ut operi tam generoso, tam pio præsto sit: equum singulis, & aureos centum pollicetur. Assensi cùm essent; curam alteri demandauit Excubitorem carceris confabulatione detinendi; atque ubi Custodum Arcis clamorem audiret, eum necandi; statimque Carceris ostium recludendi. Alteri præscripsit, ut cum ipsis Custodibus ludendo tempus traheret, donec ipse adforet: sibique in eorum cæde auxiliaretur.

Campana. Thuanus. Catherinus. Turtura. Carner. c. 6.

Sagrius animatus ad libertatē cum socijs recuperandam.

Modus aperitur.

Fridericus Rotūdus opus molitur.

Arma defensiue, & offensiue.

Præ-

1595. Præmoniti pariter captiui fuerant, ut in libertatem asserti, raptim ad Oruillerij ædes conuolarent, ubi cum duobus Bullonij militum Præfectis epularetur: omnesque illico trucidarent.

Corpo di guardia. His ita præparatis, Rotundus cùm primùm rei peragendæ opportunum instare tempus animaduertit; Arcis Custodum adijt stationem. At quando eos præter opinionem quadraginta esse deprehendit; animo vehementer exhorruit: ac spem propè omnem abiecit, nùmero longè inferiore rem tantam conficiendi. Ab astu tamen animos resumens, quos omnino vires desponderant; nouum repentè commentum excogitauit, quo tantum numerum imminueret. Narrat ijs (sed per fabulam in actum penè tragicum exituram) ea ipsa hora in Vrbe sex milites palam incendio puniri, qui aduersùs imaginem Christi è Cruce pendentis per summum scelus iniuriosi fuissent. Credita res, & curiosa spectandi cupiditas plerosque Custodum in Vrbem euocauit: adeòque vix eorum dimidia pars substitit. Eodem tempore Oruillerius cum Conuiuis assedit ad mensam: alij milites se somno dedere. Ita commodum ab omni parte Rotundo, & Coniuratis fuit designatum facinus aggredi.

Eiusdem dolus ad Custodes minuēdos.

Pistole. Igitvr extemplo displosis breuioribus sclopetis, quatuor è Custodibus prosternunt. Quo strepitu audito captiuorum Excubitor cæditur: captiui liberantur. Hi satis instructi armis, ad occidendum Oruillerium properant: obsistentem in via eius militem de medio tollunt. Ipsum reperire minimè potuerunt. Quippe tumultu percepto, cum plerisque Gallorum Principum in latebras abdiderat sese. Rotundus terrore magis inopinati facinoris, quàm defensorum cæde, potitus Arcis, iam demitti iusserat pontem: iam clandestinam aperiri portam: & strepitu bombardæ missos ab Olorio milites euocari, quos proximè latere censebat in insidijs. Sed hi nulli aderant, non præstituto tempore profecti. Qua expectatione delusa, Coniurati in summum se discrimen adductos vident. Animi tamen magnitudine roborati, suggressos ab Vrbe Gallos aliquot Præsidiarios propulsant. At Custodes Arcis, qui ad primos impetus fuga sibi consuluerant, cum alijs ex Oruillerij familia conspirantes, in duas se Turres recepere. Inde Gallicum aduocare Præsidium: docere, Coniuratos esse perpaucos. Igitur alij scalis, alij adminiculis alijs in Arcem euadere: aggredi Coniuratos. Quatuor integras horas acerrimè pugnatum: & Rotundus quatuor acceptis vulneribus, & Sangrius antiquis recrudescentibus, cum quinque tantum socijs, subsidio, quod sperauerant, destituti, Arcis obtinendæ onus supra suas omnino vires esse perspexerunt. Quare

Oruillerius, & socii sese abdunt.

Porta falsa. Appiattarsi.

Huic etiam operi obest serum subsidium.

1595. *Capitolare.*

Gomeroni Parentem adeuntes, cum ea conuenerunt: ut ipsi liberi dimitterentur ex Arce, ac Feram usque rutò deducerentur: Oruillerius verò non aliud in Arcem admitteret Præsidium, nisi quod Gomerono placeret.

His conuentis Oruillerij, ac Parentis auctoritate sancitis; Sangrius, socijque curru educti fuere, Gallis aliquot Principibus ad tutamen comitantibus. Missum ab Osorio subsidium seriùs, quàm res poscebat, discessit, ducente Petro Gallego: qui cum obuios in itinere haberet Heluetios quingentos in Sanquintini Præsidium destinatos, Henriciani exercitus partem suspicatus, insidiasque metuens, retrocessit cum eo, quem regebat, Equitatu. Sangrius quoque haud leue vitæ discrimen, dum proficisceretur, incurrit. Rogatus namque ab Estrumelio Plinuilla, uno è Gallis comitibus, ut chirographum conuentionum ostenderet; morem gessit. Ille non priùs perlegit, quàm discerpsit; contra sui Regis dignitatem eas esse proclamans. Quare cùm vehementer Sangrius, utì par erat, irasceretur; parum abfuit, quin extemplo ab eodem Gallo breuiore sclopeto ictus caderet. Sed intercesserunt cæteri, indignitatem facinoris obiectantes. Vbi Feram deuenerunt, non ante passus est Sangrius Gallos inde discedere, quàm nouum eiusdem rationis chirographum ex Hanensi Arce deferretur.

Sangrii vita periculum.

Interea Fontanus Gomeroni Matris precibus, & pollicitationibus, ut diximus, incitatus, cum Exercitu propius Hanum accesserat. Ad eius conspectum, Arcis Custodes bombardas aliquot exonerauere, magis ut videbatur, in speciem, atque ad Gallos Vrbis Præsidiarios fallendos, quàm ut damni quicquam inferrent. Similes prima die velitationes commissæ, quæ neque admodum hostiles animos, neque amicos certò præ se ferrent. Cumque sub Vesperam Alexander Brancaccius à Fontano missus, ut Gomeroni Parentem alloqueretur, Arcem adijsset; ab eius Filia responsum fuit: ei postmodum significatum iri, quicquid agendum esset.

Fontanus cū copiis Hanum venit, sed frustra.

Sparare.

Scaramuccie.

At Oruillerius ut cum maximè incertus animi, & rerum ab se parum syncerè, fideliterque gestarum conscientiâ nusquam tutus: hinc sibi à Fontano timens, quem Arce fraudauerat: hinc à fratribus, quorum periclitantem vitam neglexerat; clam inde Royam profugit. Quo comperto Sesseuallius ex Vrbe Arcem cum ducentis militibus ingressus, Gomeroni Matrem, omnemque familiam, & veteres Custodes inde dimisit, suos eorum loco substituens. Mox in Hispanum exercitum acriter, & frequenter iubet tormenta displodi.

Oruillerij occulta fuga. Galli rursus Arce potiuntur.

Sparare.

Fon-

1595. FONTANVS iam verè hostiliter agi secum animaduertens, totiesque se deceptum, postremò fœmineis etiam artibus delusum ratus; indignatione percitus vehementi, ut omnes uno supplicio puniret iniurias, mandat illico Gomeronum in prospectum Arcis educi, omnibusque inspectantibus, capite plecti. Hunc exitum nacta est Gomeroni vel in sectanda modò hac, modò illa Partium, versipellis varietas; vel pecuniæ cupiditas fatalis Vrbibus, Arcibus-ve prodendis, & perdendis: vel continuandæ dominationis ambitio: quæ labes animorum rarò successus extremos prosperos habent. Minores fratres Antuerpiam captiui missi. Inuasit animum Comitis, ac penè peruicit impetus Hani obsidendi, ac recuperandi. Sed ubi deferbuit iræ militaris calor; non censuit expeditioni Cameracensi moram illam interponendam. Quamobrem castris inde dimotis, ad Cameraci ditionem vastandam progressus est.

Fontanus, tanquam deceptus, iubet Gomerono palam caput abscindi.

Sloggiare.

DE
BELLO BELGICO
LIBRI SEXTI
SVMMA.

CAmeraci obſidioni ſtruitur aditus. Dorlani oppugnandi cauſæ. Eiuſdem poſituræ, ac munitionum deſcriptio. Immiſſum à Bullonio ſubſidium minùs opportunum: atque in Vrbe confuſio. Obſidione cœpta, Valentinus Mottæ Dominus ex vulnere occumbit. Roſnæus eius loco ſuffectus, Vrbem ſimul atque Arcem oppugnandam curat. Propugnaculum principio capitur, & munitur. Gallica Nobilitas auxilio Dorlanum accurrit. Bullonius copias mouet, non expectato Niuernenſi Duce, cui infenſus. Exercituum error mutuus: eorumque diſpoſitio. Hiſpanorum virtus, ac victoria: & Galli Nobiles perempti. Villarij cædes commiſeranda. Eius victoriæ cauſæ. Poſt acrem oppugnationem Dorlanum cum Arce capitur. Fontanus Comes pius, & prouidus. Mauritius Grollam obſidet: ſed ſuccurrente Mondragonio, recedit. Exercitus vtriuſque pabulandi occaſione acerrimè confligunt. Philippus Naſſauius, Solmenſis Comes, & alij Nobiles lethaliter ſaucij: alij capti. Lira ab Heraugerio intercepta, ac direpta: mox Vrbium vicinarum ſubſidio recuperata: Heraugerius merſus. Fontanus Cameracenſem obſidionem inſti-

instituit. A Niuernensi Duce subsidio mittitur Filius, qui pluribus obstaculis superatis, Vrbem intrat. Cameraci status antiquior, & varians imperium.

DE BELLO BELGICO
LIBER SEXTVS.

AD Cameracenſem obſidionem viam ſibi Fontanus aperuit, inualida quædam finitimæ regionis Oppida occupando. Inter quæ Cleria, & Braium, propter Somonam fluuium ſita, ad primum aduentum hoſtium ſe dedidere. Circumiectus ager, perditis frugibus, abductis gregibus, cum ſummo Colonorum terrore, peruaſtatus. At copiæ, quas Arteſia, Hannoniaque promiſerant, nondum erant uniuerſæ coactæ. Sinè illis autem omnibus Cameraci obſidionem aggredi, temerarium omnino videbatur militiæ Præfectis & præ Vrbis ambitu, & præ multitudine Defenſorum.

INTERIM ergo, nè torpeſceret otio miles; ſimulque ut eò firmior redderetur obſidio, quò plures aditus hoſti præcluderentur: Dorlanum adoriri ſtatuit Fontanus. Acceſſere Arteſiorum preces rogantium: *Ut quantum ſecuritatis attulerat Hannoniȷs Caſtelleto ſubacto; tantumdem adijceret ſibi, expugnato Dorlano. Urbem hanc ſuis quodammodo ceruicibus imminentem, nihil toti prouinciæ tutum, pacatumque permittere. Contrà verò ſi Belgicæ Hiſpanorum ditioni adiungatur; multum hoſtibus allaturam incommodi, pronis excurſionibus in Urbes Picardiæ principes Ambianum, & Abbatis-Villam. Denique ſi relinquatur in poteſtate Gallorum; haud ita futuram facilem, expertem-ve periculi militum è Belgicis Præſidijs euocationem, atque traiectum.* His adeo momentis rationum in ſua deliberatione confirmatus Comes, Exercitum ad Vrbem admouit.

IN Picardiæ finibus, Arteſiæ proximis, Dorlanum eſt, ad fluuium Ahiliam ſitum, unius itinere diei diſſitum Cameraco: ambitu murorum, & foſſa valde munitum, erectâque ad latus Arce validius. Eiuſmodi quippe munimentis omnes ferè inſtructæ ſunt eius Prouinciæ Vrbes: utpote alienis finitimæ ditionibus, hoſtibusque propè perpetuis obnoxiæ. Hæc tamen Arx non, aliarum inſtar, ſolis erat turribus vetuſto ritu circumſæpta: ſed uti fert uſus recentior, oppletis terra mœnibus, lunatisque propugnaculis extantibus cuſtodita; vel Præfecti diligentiâ,

Marginal notes (left): Fõtanus obſidere aggreditur Dorlanum. — Dorlani ſitus & munimenta.

Marginal notes (right): 1595. — Clery. — Bray. — Somma. — Arrenderſi. — Dar' il guaſto. — Artoys. — Enau. — Far leuata di gente. — Cambray. — Capitani. — Attaccare. — Amiens. — Abbeuille. — Authia. — Caſtello. — Torrioni. — Terrapienate. — Riuellini.

1595. *Colona l. 8. Card. Bentiuol. p. 3. l. 2. Campana p. 3. lib 3. Carner l. 11. c 7. 8. 9. Thuanus l. 112. Catherinus lib. 15. Turs. l. 21. Haræus an. 1595. Roläd. Mirtens de Comite Fontano. M. Ianson. Merc. Gallo-belg. lib. 14. Rodolp. Botereius Cõment. lib. 2. Ioannes de Bussieres l. 23. Alex. Campiglia l. 10. Mich. Aitsingerus in fine Leonis Belg. Corazze. Archibugieri. Catherinus. Fanteria. Guarnigione. Riuellini. Accãparsi. Sortire.*

tiâ, vel vicinitate periculi submonente. Præerat Vrbi Carolus Haluinius Dinani Comes: Arci Robertus eius frater Ronsoij Dominus. Loci Præsidium infirmius, quàm necessitas postularet, ad oppugnationem Fontanum incitabat. Quæ licèt inopinata esset, ac raptim admota; non tamen ita maturè claudi omnes obsidione aditus potuerunt; quin antea de re tota certior Bullonius fieret. Is ut in periculo repentino, celeriùs, quàm consultiùs quadringentos immisit Equites loricatos ex Nobilitate prouinciæ, & sclopetis instructos Pedites octingentos. Opinio quippe prudentum fuit; si Peditatum, quem regebat, omnem, duorum millium numerum superantem, Vrbis Præsidio addidisset, non aliud tentare subsidium futurum fuisse opus. Et nisi Equitatum in defendendis mœnibus occupasset; eodem opportunè potuisse uti ad vias Obsessoribus intercludendas. At in subitis rebus, ac trepidis, vel sapientiores consilium fugit.

Bullonius Vrbi subsidiũ mittit parum utile.

Praesidiario milite introgresso, maius quid ad Vrbis defensionem desiderari visum. Cum enim, qui totum sustineret imperium, unus non esset; Virorum Principum, Nobiliumque prouinciæ certatim sibi quisque ius imperandi arrogabat. Vnde rerum omnium confusionem summam existere necesse erat. Quia tamen Hostem mœnibus distinendum omnes videbant: in formam opportuniorem redigere studuerunt aliquot propugnacula, quæ de more sita erant extra murorum ambitum, ad vim inimicam aliquandiu retardandam. Sed hîc etiam patuit minùs apta Præsidiariorum electio. Nobilitati namque pudori erat, aut molestiæ, manus operi admouere: Gregarij verò pauciores, quàm qui breui tempore possent rem ad exitum perducere.

Idibus Iulijs Hispani Castra ad Vrbem posuerunt. Ac prima ipsa die alacriter erumpentibus ex ea Militibus, nonnulli utrinque vulnerati, ac perempti. Repulsis tamen illis in Vrbem ab Obsessoribus, commodum his fuit eâdem operâ fossæ, murique exterioris conditionem explorare: quo nihil opportunius sub initium oppugnationis. Postera verò die vergente ad exitum, Valentinus Pardiæus Mottæ Dominus, supremi Castrorum Præfecti partes agens, cum ex propinquo mœnia circumspiceret: ut quâ potissimùm facienda esset impressio, de visu cognosceret; displosoinde repentè sclopeto, in oculo dextero ictus est. Quod vulnus lethale cum esset, eum paulò pòst letho dedit: non sine ingenti Exercitus Hispani detrimento, luctuque. Quippe militari virtute, Belgici experientiâ belli, atque in Catholicum Regem fide, nulli habebatur secundus. Vna inter alias prærogativa

Obsidionis initiũ.

Maestro di Campo generale. Dar l'assalto.

Mottæ Domini Cædes Hispanis luctuosa.

ga-

gatiua illi defuisse dicitur, quæ in usu militiæ non est postrema, felicitas. 1595.

SVBROGATVS in eius locum fuit Christianus Sauinius Rosnæus, ingenij sagacitate, peritiaque rei bellicæ paucis comparandus. Huius consilio ante alia communiri Castra cœpere: faucesque viarum lunatis propugnaculis obstrui: nè quis aduentantibus subsidijs pateret in Vrbem aditus: ne-ve Exercitum haud ingentem improuisa vis hostium adoriretur. His perfectis operibus; oppugnanda ne prius Arx esset, an Vrbs, ambigebatur. Arcem plerique præponebant, qua capta, procliue admodum foret Vrbem oppugnare, & capere. Alij, quòd Arcis expugnatio plus multò requireret temporis, ac laboris, à faciliore Vrbis aggressione faciendum putabant initium: unde pari ratione ad Arcem oppugnandam aperiretur via. Has inter pugnantes mutuò sententias, & tam auctoribus, quàm rationibus æquatas, tertiam quamdam, ac penè mediam Rosnæus proposuit, in quam priores duæ coalescere videbantur. Suadebat enim, ut ibi tormentis ageretur, qua parte Vrbs Arci coniungitur. Ita quippe & illius mœnia ruinam ductura, & huius defensionem infirmiorem fore. Obstabat prima fronte lunatum propugnaculum extra mœnia, & citra fossam, quæ Arcem ab Vrbe disiungit, ad eandem tuendam fossam erectum. Id quamuis nuda humo structum, eâdem tamen diuturno tempore conglutinatâ ita validum erat, ut nullis perrumperetur ictibus bombardarum. Quare se nihil eis proficere animaduertens Rosnæus, nouam commentus est id superandi viam.

Fortificar gl'alloggiamenti. *Mezelune.* *Soccorsi.*

Deliberatur, Arx ne prius, an Vrbs oppugnanda.

Dar la batteria. *Far breccia.* *Riuellino.*

Rosnæi prudens consilium.

DVOS erigi iussit aggeres, quorum alter ab Vrbis, alter ab Arcis infestatione subeuntes milites tutaretur: eosque ad iactum lapidis propè lunatum propugnaculum duci. Dumque huius Defensores opinantur, illos ad fossam usque perductum iri: ex improuiso erumpunt utrinque duæ iam paratæ cohortes, Italorum altera, altera Vallonum. Hæ partim adrependo, partim scalis admotis, in loricam propugnaculi peruaserunt ea celeritate; ut ante Defensores inuaderent, manusque cum ijs conserrent, quàm ab Arcis tormentis peti possent. Breuis pugna, sed acris fuit. Namque etsi veterani erant, qui munimentum illud propugnabant: quia tamen eos nil tale expectantes hostis adortus est; post horæ quadrantem, quo dimicatum fuit, obruti maiore numero, loco cedere coacti sunt, atque in tectam viam extra fossam se recipere. Rosnæus propugnaculum victor ingressus, Barlotæ Vallonibus præcepit, ut eumdem sibi locum communirent; in quo bombardas ad quatiendum collocare decreuerat.

Trinciere. *Azzuffarsi.* *Strada coperta.*

Obsessores propugnaculo potiuntur.

NEQVE

1595. NEQVE maior fuit horum in opere struendo diligentia, quàm Dorlanensium in eodem disturbando. Namque tribus è quodam Vrbis munimento,& pluribus ex Arce tormentis adeo propugnaculum infestabant, ut ingentem ederent stragem. Eâ tamen generosas animas minimùm absterrente, tantum operis breuì peregerunt Itali,& Vallones vicissim laborando, ut locum tandem satis munirent. Impositæ ibidem fuere septem longiores bombardæ, quibus factum nomen à colubris, in Arcem directæ: atque alterius formæ sex, quæ Vrbis mœnia quassarent. Exploratores interea ultro citroque decurrebant, quid Bullonius rerum moliretur, indagantes. Is verò propè Abbatis-Villam, ex Picardia, Normanniaque militem centuriabat. Adiunxere se illi Sanpaulius,& Villarius Gallicæ Classis Præfectus, alijque Principes Viri, Vrbiumque Gubernatores.

Colubrine. *Scorritori.* *Abbeuilla.* *Assoldare.* *Ammiraglio.*

AT Fontanus promissas à Prouincijs auxiliares copias exigebat. Artesij statim Pedites mille adiecerunt. Sexcenti è Belgicis Præsidijs euocati. Quo supplemento non parum auctus est Hispanus Exercitus. Magno quoque coacto numero militarium Operarum, vehemens à tormentis impressio parabatur. Quamobrem aliæ septem bombardæ longiores ab Atrebatibus petitæ.

Guastatori.

IN hoc rerum statu erat Dorlanensis obsidio: cum ea nocte, quæ diem decimum Calendas Augusti secuta est, ab Exploratoribus Fontano nunciatur: iam Villarium cum quadringentis Equitibus ex uniuersa Normannica Nobilitate lectis Ambianum intrasse. Sanpaulium verò, ac Bullonium scripsisse Ludouico Gonzagæ Niuernensi Duci, qui recenti Picardiæ bello ab Henrico Rege præfectus, in Oppido Sancti Quintini morabatur; ut frequentiorem cogeret militem. Sequidem iam promptos, ac satis instructos esse ad afferendum Dorlano subsidium: imò ad vitam pro eius defensione profundendam. Idem confirmarunt Equites leuioris armaturę ad explorandum pręmissi, qui aiebant, plurimas se hostium turmas in Ambianensi Agro vidisse.

Amiens. *Canalli leggieri.*

Gallorum Exercitus cum magna Nobilitate subsidio venit Dorlanensibus.

ET sanè iam in eam Vrbem conuenerant Gallici Exercitus Principes, ut de ferenda Dorlanensibus ope, reique agendæ ratione deliberarent. Sanpaulius, Belinius, Sesseuallius in ea erant sententia, ut Niuernensis cum eis, quas augebat in dies, copijs expectaretur. Temerarium quippe ducebant id immaturè cum summo discrimine tentare, quod intra paucos dies viribus longè maioribus, ac felicis euentus certiori spe aggredi possent. At Bullonius, Niuernensis vetus æmulator in militari prudentia, gloriaque, nec minùs ei ob diuersam religionem infensus; pa-

Catherinus. *Tartara.*

Bullonius Niuernensi Duci infensus,& æmulus.

 tienter

1595.

Apud Iuliũ Caſ. Bulengerum Hiſt. lib. 9.

Cãpana. Campiglia. Carnerus. Lonarius.

tienter ferre nequibat, eius aduentum expectari, eique reſeruari decus illud ſolutæ obſidionis, Vrbiſque liberatæ, quod ipſe ſibi iam pollicebatur, ac ſpe præſumebat. Quamquam enim numero non admodum præſtaret Exercitus: florentiſſimus tamen Equitatus, quo ſuperior eſſe Gallus ſolet, atque in unum coacta vis magna Nobilitatis & animos ad pugnandum, & ad vincendum ſecuritatem dabant. Cumque in ſuam ſententiam Bullonius Villarium quoque pertraxiſſet; penè per vim ab omnibus extorſit, ut ſtatim hoſtem petere ſine Niuernenſi decernerent.

IGITVR Ambiano Dorlanum versùs accelerant iter, eo inter ſe conſtituto: ut Seſſeuallius cum Peditibus mille ducentis, & commeatuum, bellicique inſtrumenti carris viginti, Vrbem ingrederetur: Eodemque tempore quadringenti Nobiles Viri, qui Dorlani parum utiliter morabantur, ad Exercitum ſe reciperent. Is verò tripartitus tribus diuerſis locis hoſti obijceret ſeſe: ut eius vires, quæ coniunctæ validiores erant, diuidendo attenuaret; occupatumque varijs partibus, atque auerſum ab Vrbe detineret. Quas artes cùm Fontanus pro ſua militari prudentia proſpiceret; ijs obuiam ire cum Exercitu ſimul iuncto decreuit.

Fõtanus cum ſuis occurrit Exercitui Gallico.

DIES erat octauus ante Calendas Auguſti, & peruigilio ſolemnis Apoſtoli Iacobi, Hiſpaniarum Patroni (quod nomen ei genti ſanctiſſimum, ac præſertim in prælijs fauſtiſſimum) cùm hora decima undecim hoſtium turmæ per campos equitantes apparuere; quæ peritorum iudicio Equites mille & quingentos fermè numerabant. Creditum ab Hiſpanis principio, Gallicam eam eſſe ſuarum virium oſtentationem, aut etiam indagationem hoſtilium. Qua opinione decepti, cum ſe minùs accuratè pararent ad prælium; incitamentum inde ſumpſere Galli ad eos citiùs, alacriùſque aggrediendos. Iamque ad Gallicam leucam aberant: cum Hiſpani metuentes, nè in impedimenta impetum facerent; ea iam conſarcinata in tutiorem locum deportare cœperunt. Hoc animaduerſo Galli, qui iam antea vires Hiſpanorum infirmiores rebantur (quod ſibi perſuadere de Hoſtibus tam pernicioſum eſt, quàm uſitatum) pro certo habuerunt, Hiſpanos receptui canere, ac dimittere obſidionem. Quamobrem etiam in deliberationem apud ipſos veniſſe fertur: præſtaret-ne recedentem inſequi hoſtem, ac profligare: an liberata obſidione Vrbe contentos eſſe.

Exercitus uterque alterius æſtimatione fallitur.

Suonar'à raccolta. Leuar l'aſſedio.

AT Fontanus obequitans ad pugnam accendit, & direxit acies ſuas: atque obſidioni præſtituto Ferdinando Portocarre-

ro,

1595. re, qui summus Instructor erat in legione Alphonsi Mendozzæ, cum Peditibus mille ducentis: relictoque cum alijs mille Gaspare Zapena, ut Castra, & munimenta tueretur: utroque verò iusso, si erumperent ex Vrbe Dorlanenses, strenuè obsistere: ipse cum cæteris copijs obuiam hosti processit hoc ordine: uti Carolus Coloma describit, qui earum pars magna fuit: & nescias, gladio-ne magis, an calamo bellum Belgicum illustrarit.

Ordinanza.

Dispositio Exercitus Hispanici.

Coloma l. 8. Carnerus l. 11.c.8. Bentiuolus lib.2.

AD dexteram ibant Equites Belgici ferè sexcenti sub imperio Comitis Bossuti. Ad læuam Equites leuioris armaturæ: quorum duas primas turmas regebant: alteram Alphonsus Mondragonius, & Ambrosius Landrianus: alteram Comites Alphonsus Montecuculus, & Franciscus Belgioiosus. In medio Fontanus ipse Comes, præeunte cum suis Sancio de Luna; cumque omnibus Aulicis magno Principum Virorum numero comitante. Inter eos præcipui: Dux Aumalius, supremus Castrorum Præfectus Christianus Sauinius Rosnæus, Cymacensis Princeps, Camillus Caracciolus Auellini Princeps, Varambonius Marchio, Alphonsus Mendozza, Stephanus Ibarra, Ioannes Bracamontius, Ioannes Gusmanus, Bartholomæus Torralba. Instructum quoque fuerat è solis Hispanis paruum agmen (quod Volans appellat recentior Militia: quia paratum est aduolare, quocumque vocat Dux, aut necessitas) eique impositi Alphonsus Ribera, Franciscus Vega de Mendozza, Contrera, Refitus, Gueuara.

Squadron Volante.

Dispositio Gallici.

GALLORVM exercitus ex aduerso dispositus in hunc modum erat. Primam aciem è Normannis Equitibus ferè quadringentis in tres turmas diuisis Andreas Brancaccius Villarius Maris Præfectus moderabatur. Mediam è trecentis Equitibus Picardis regebat Sesseuallius. Tertiæ, quæ sexcentis constabat Loricatis, præerant Bullonius Dux, & Sancti Pauli Comes. Vnamquamque stipabant sclopetariorum Equitum turmæ aliquot promptæ ad velitationes irritandas. Aderant etiam ad dexteram è legione Campaniæ Gallicæ Pedites mille ducenti: unàque vehebantur instrumenti bellici carri viginti. Mens quippe fuit Peditatum, & bellicum apparatum in Vrbem inducere: atque in receptu hostiles copias carpere.

Ordinanza. Ammiraglio. Corazze.

Truppe.

Confligunt acies.

IAM ad medium processerat dies: cum exercitus ambo sibi inuicem infestis animis occurrentes ad ineundum prælium propinquarunt. Prior Gallus Eques Duce Villario primas duas turmas Equitum leuioris armaturæ magno impetu aggressus, uti numero maior, facilè fudit, ac fugauit. Agmen verò Sesseual-

1595.

lij secedens in partem dexteram videbatur velle Dorlanum versùs accurrere. At Carolùs Coloma, qui tertiam turmam è Lancearijs ducebat fermè centum quinquaginta tum suis, tum Iannis Gamarræ, tum Francisci Padillæ, ratus hostem declinare velle impetum, & mox in latus perrumpere; occupauit cum Gamarra strenuissimo Iuuene illum inuadere tanta & sua, & commilitonum virtute, ut supra centum Gallos sterneret, plures in fugam verteret. Fontanus interea Sancio de Luna iussit, ut Villarij turmam in latus inuaderet. Quod cum ipse præstaret egregiè, multis utrinque cæsis, minore sclopeto in sinistro latere ictus, recessit. Villarius animaduertens, se ad extrema redactum, centum quinquaginta Loricatos à Bullonio, Sanpauliοque poposcit. Eos impetrauit Belini Comite Ductore. Horum auxilio restituit suos, Equitesque aliquot Hostium dissipauit. Alphonsus Ribera, quique cum eo Volanti agmini præerant, collem occuparunt ad læuam Hispani exercitus: ad cuius radices prætereuntibus Gallis, hostemque insectantibus, magnam mosquetis cladem intulere. Simul etiam Fontanus Comes cum suis Stipatoribus ad dexteram, & Carolo Coloma, Hispanoque Equitatu ad sinistram tanto impetu in Villarij copias inuectus est, ut eas ingenti cum cæde profligarit.

Pistola.

Moschetti.

Hispani superant Gallos.

Sconfiggere.

At Villarius, qui multorum animos gerens, primùs lacessiuerat hostem, perstabat adhuc in pugna ferè postremus: cum ante suos oculos vidisset occumbere tot Exercitus Principes, tot lumina Galliæ. Et propè erat, ut ipse quamuis eò laboriosiùs, quò seriùs, in tutum euaderet. Verùm tam bellicus ardor, qui semel accensus in pectoribus generosis ægrè restinguitur: quàm charitas in sanguinem suum, quæ vel vitæ iubet non parcere; magnam animam vehementer impulerunt in aleam belli maximè periculosam. Dum enim anxius cogitat de receptu; videt Montinij Dominum Nepotem suum, ætatis flore, atque indole generosa spectabilem, cum famulorum manu ab Hispanis Antonij Mendozzæ Peditibus circumuentum, atque in extremo laborantem discrimine vel vitæ, vel libertatis. Quamobrem extemplo suas reuocans copias, quæ iam se recipiebant; atque ad pugnam propellens, habenas Equi rapidè retroflexit, ut periclitantem Iuuenem liberaret. Verùm à sclopetarijs Hispanis circumclusus, simulque ab Italis, & Vallonicis Equitibus itinere præciso; animosè tamen dimicans unus aduersùs multos, tandem pluribus affectus vulneribus equo decidit. Irruerunt in eum illico Hispani de tam insigni præda inter se contendentes. Ornatus quippe vestium, atque armorum argen-

Villarius perstat, ut Nepoti periclitanti subueniat.

Catherinus.

Idem circumuenitur ab Hispanis, & capitur.

1595. to, auroque præclarus, ut antè oculos, ita tunc manus auidas inuitabat. Recens quoque memoria crudelitatis, quam in expugnatione Hanensi contra Hispanos exercuerant Galli, stimulabat illos, ut paria rependentes, in horum Principem Villarium desæuirent. Sed ipse, ut auri fames sedaret sanguinis sitim, pro sui redemptione quinquaginta promisit aureorum millia: Duplo maiorem summam alij scribunt. Et sanè vita illa pretio longè maiori æstimabilis erat. Ita præsentem iræ rabiem spes futuri lucri compescuit.

Campana. Carnerus.

INCIDERAT Captiuus hic nobilis in manus duorum militum è centurijs Carolo Colomæ subiectis; quarum in eo prælio summa enituerat virtus. Rosnæi tamen Filius cum Ferdinando Salazario accurrens, partem sibi ex ea præda deposcebat. Dumque inuicem altercarentur, ipse, qui erat altercationis miseranda materies, dirimere contendebat litem: utque eos sibi magis, quàm inter ipsos conciliaret, Hispanica dicebat lingua: *Vtrique affatim præda, pecuniaque futurum: abstinerent interim rixis. Se quidem gaudere, quòd in Hispanorum potissimùm venisset manus.* Morem gerebant Captiuo suo Victores (adeò maiestas nominis, & personæ, vel dum alieni iuris est, ius in alios habet) & in se mutuò, & in illum iras compresserant: cùm Commissarius (ut appellant) supremus Equitatûs Ioannes Contrera, ea inter Hispanos intempestiua contentione animaduersa, unum miserat è suis honorarijs Ephebis, ut Villarium occidendo, componeret controuersiam. Crudelis mandati causam ipse postea sese purgando hanc attulit: quod tantæ victoriæ detrimentosum censebat uni Captiuo, quamuis nobilissimo, immorari, antequàm penitùs debellatus hostis esset. Alijs tamen in suspicionem venit inuidiæ, quòd præda tam egregia in aliena esset manu: Tradunt alij, Contreram, cum Captiuum illum tam splendidè armatum Bullonium Ducem esse crederet, exclamasse: *Occidite perfidum istum Ecclesiæ Catholicæ inimicum.* Paret Ephebus: Villarium adoritur: obtruso in vultum, displosoque sclopeto ad terram sternit exanimem. Seuitiæ in viuum addita barbaries in extinctum. Annulus pretiosissimo adamante conspicuus illuminabat Villarij manum. Eum ut sibi raptim auferret, fuit in turba militum, qui digitum, cui circumductus erat, abscinderet. Ita in Campo Martis, ubi pullulat sylua vitiorum, ira, inuidia, auaritia, crudelitas; flagitio solet flagitium obsignari. Neutrum tamen passa est impunitum Fontani Comitis celebrata iustitia.

Coloma. Carnerus.

Villarius de se captiuo rixam componit.

Thuanus. Campana. Coloma. Carnerus.

Apud Colomam.

Apud Carnerum.

Sed mox indignè occiditur, & crudeliter spoliatur.

Catherinus. Campana. Carnerus.

VILLARIUM sociarunt in morte ij ferè omnes, qui comitati

tati eum fuerant ad prælium, ac Sesseuallius in primis: quamquam acerrimè, ut in desperatione, pugnantes carò emptam hostibus, & multo venalem sanguine victoriam dederunt. Bullonius, siue magis è re sui Regis esse ducens reliquum exercitum ad secundiorem belli sortem reseruare: siue ex animo in Villarium iniquiore, ob eius in Catholica tuenda Fide constantiam; facilè persuasit Sanpaulio, qui iunior ætate in seniorum ibat sententiam; ut milites in medio exercitu constitutos, & adhuc expertes pugnæ, in tutum adduceret, ne-ve in discrimen, & certam cladem offerret. At contrà Belinius olim Lutetiæ, tunc Hani Gubernator, eiusmodi consilium detestans, cum postremo agmine ad Villarium periculo eximendum aduolarat. Verùm à Fontano in se immissas quatuor hastatorum acies obuias habens, earum impetum superare, ac perrumpere nequiuit. Imò paulò pòst agmine ab ijs fuso, ac profligato, salutem fuga quærentibus cæteris, ipse captiuus in Caroli Colomæ manus dedidit se: suo periculo discens, ac docens alios: si dimicetur in explicata planitie, Hastatis militibus cedere Loricatos.

1595.

Cur non ei subuentum.

Catherinus.

Apud Campanam, Carnerum, & Bulègerum.

Nobiles alii capti.

Coloma. Carnerus. Catherinus.

FUNESTISSIMAM Gallis hanc Hispanorum victoriam fuisse ferunt, tum ob numerum cæsorum, tum quòd Gallicæ Nobilitatis flos, ex quo ferè totus erat Exercitus, fuerit magnam partem excisus. Quæ Militum conditio potuit haud parum Bullonium excusare, reliquos à belli discrimine subducentem. Constans tamen tunc opinio fuit: si principio copiæ omnes eductæ ad pugnam fuissent; aut ipse pertinaciter dimicans recentem Sanpaulij militem in auxilium vocasset; futurum facile fuisse, vel subsidium introducere Dorlanum, vel certè inde minore damno recedere.

Ingens Hispanorum de Gallis victoria.

NEC minùs alij peccasse scribunt hostes in complenda victoria, reliquijsque prælij persequendis. Rosnæum aliqui culpabant, qui Gallus, quamuis ab Henrico Rege abalienatus, non ferens tantum in sua natione Nobilitatis excidium, Pedites penes se retinuisset. Quippe si prosequuti victoriam fuissent: eam aiunt Papiensi, aut Sanquintinianæ æquiparari potuisse. Alij contrà, Rosnæum semper infestissimum nomini Gallico, noluisse Ducis optimi, ac prudentissimi partibus deesse. Ac propterea Peditatum intra suos ordines, ac sub signis contineri iussisse: quòd timeret, ne Bullonius, ac Sanpaulius, qui è prælio immunes, atque intacti recesserant; Hispanorum copias dissolutas, ac palantes aggressi opprimerent, & relatam victoriam è manibus extorquerent.

Cur eadem non perfecta.

Apud Campanam, & Carnerum.

Apud Thuanum.

DUM Exercitus ambo in aperto Campo confligerent; Dorlanenses

1595. *Sortire.* lanenses opportunum rati tempus Obsessores adoriendi, maiore militum parte diminutos; eruperunt ex Vrbe, & castra hostium inuaserunt; ut ijs superatis, cæteris suorum copijs se coniungerent. Verùm illa tam validè munita, tamque sapienter prospectum rebus omnibus deprehenderunt: ut retrocedere coacti fuerint dedecore maiore, quàm damno. *Dorlanensium eruptio vana.*

Plvs fortè pudoris ijsdem incussit alterum imprudentiæ peccatum. Per idem ferè tempus euenit, ut Vallones octingenti ex Belgio missi, ad Hispanorum Castra pergerent. Eorum aspectus miseram Vrbem non parum exhilarauit, ratam subsidiarias esse copias ad summam necessitatem suam peropportunè adductas. Igitur patefactis portis rursus erumpunt, ut ijs ingressum muniant ab hoste vicino. Sed eos ipsos hostes experiuntur, quos auxiliares putabant. A quibus pessimè accepti, fusi, fugatique, in Vrbem se referre præcipites compelluntur. Ita spes indigentium credula humanum genus plerumque deludit. *Soccorso.* *Eorumdem error.*

Memorabilis hæc victoria ut Hispanis, atque Italis laudi: ita vitio vertitur huic, aut illi Gallorum. Alij quippe Villarij temeritati, superbiæ, atque æmulationi cladem illam tribuunt: cum eum scribant maturè monitum à Sanpaulio, ut se reciperet; quòd ea Bullonij iussa existimaret, cui se parem habebat, morem gerere recusasse. Alij Bullonij vel ambitioni, atque inuidentiæ in Niuernensem superiùs indicatæ; vel in omnes Catholicos Principes odio: quos in prima acie collocatos hosti obiecerit trucidandos, cum suis ipse Sectarijs in medio, tutoque collocatus. Has inter variantes opiniones de tantæ causa victoriæ nemo digniùs, ac religiosiùs sensit, quàm Comes ipse Fontanus victor: qui in literis ad Senatum Belgij regium extemplo datis hæc inter cætera scripsit. *Dextera Domini dedit hanc nobis victoriam, & Sancti Iacobi Apostoli deprecatio.* Vt meritò alijs tam multis, quàm præclaris adnumerari possit, quas Cælestibus eius Diui auspicijs Hispani de suis hostibus reportarunt. *Mirteus. Thuanus. Hugo Grotius Histor. Belgic. l. 4. Apud Campanam. Mirteus. Carnerus. Bussieres. Vãguardia.* *Fontani pia mens eam victoriã Cælo tribuentis.*

Accedit unius è victis, atque occisis nobile, & quia sub mortem dictum, integrum, & syncerum testimonium. Pedriellus hic erat Villarij Locum-tenens: qui multis confossus vulneribus, & Catholicæ Sacramentis Ecclesiæ munitus, grauiter identidem ingemiscebat. Sacerdoti verò è Societate Iesu, cum aliqua spe salutis recuperandæ consolanti, disertè professus est: *Non se vel præsenti dolore vulnerum, vel instantis horrore mortis excruciari: sed quod Hæreticorum hominum Partes sequutus ob rationes priuatas, & politicas fuisset.* *Rolãd. Mirteus.*

Nocte, quæ subsequuta victoriam est, & sacram Diuo Iacobo

cobo

1595.

cobo lucem anteibat; iussit Fontanus utriusque lætitiæ significationem publicam dari festis ignibus excitatis, displosisque bombardis. Postridie verò, ut humanitatis quoque partibus, & Christianæ vel in hostes, ac mortuos charitati faceret satis; Villarij, ac Sesseuallij cadauera Dorlanensem ad Vrbem, quo par erat, honore sepelienda transmisit. At Præsidij Præfectus ea reiecit, cum diceret inclementer argutus: *Viuentibus illic opus esse, non mortuis*. Imò nè milites tantorum iactura Virorum in conspectu posita deterreret; à mœnibus exonerata tormenta procul arcuere portantes. Hanc retulerunt Obsessi gratiam ijs, qui, ut inferrent ipsis subsidium, vitam profuderant.

Fontani clementia in hostes.

Campaua. Carater.c. 9.

Dorlanensium inclementia in benè de se meritos.

At Niuernensis audita suorum clade, neque ea territus, postero die ductis, quas coëgerat, copijs; quæque fusæ, ac dissipatæ fuerant, recollectis, in conspectum se dedit hostilis exercitûs; diligenter explorans, si quâ posset in Vrbem introducere subsidium. Verùm aditus omnes reperit interclusos. Fontanum contrà stimulabant plerique suorum ab recenti victoria audentiores, ut hunc etiam exercitum inuaderet, ac profligaret. Sed militaris eius prudentia pellici se non est passa dulci spe alterius victoriæ. Quin cautè timuit, nè dum prælium miscebatur, clandestinum aliquod subsidium in insidijs latens, Dorlanum immissum potiorem victoriam frustraretur. Biduo pòst idem conatus iterum Niuernensis, improsperùm pariter exitum nactus est. Non defuit tamen, qui scriberet: nocte quadam per Altiliam fluuium centum viginti Loricatos, & octodecim iumenta pyrio puluere onusta clam hostibus Dorlanum inducta.

Soccorso.

Scõfiggère.

In aggnato.

Morteus.

Corazze.

Obsessores interea perductis ad fossam aggeribus, Arcem tormentis muralibus infestabant. Nec strenuè minus Obsessi numerum ingentem hostium strauerant, & supra quadringentos sauciarant. Eruptione quoque magno numero facta sub æstu meridiano, qui solet ad quietem inuitare, hostem inuaserunt. At eo ipso tempore Peditatum inueneie peruigilem, ac paratum ad conserendas manus. Quare post longam, acremque dimicationem, pedem referre tandem coacti sunt. Quod dum lentis passibus, & fugam dissimulantibus peragunt; in latus eos insiliens Equitatus, plerisque cæsis, effuso cursu recedere ad muros compulit.

Obsidionis progressus.

Artiglierie. Abbattere. Ferire. Sortita.

Combattere Zuffa. Ritirarsi.

Iam verò Fontanus animosior parta victoria, & quasi nimis lentæ obsidionis pertæsus, atque ad Cameracensem anhelans expeditionem, ad quam Artesij, Hannonij, Duacenses, Insulani, Tornacenses, Valencenenses à Balagnio vexati; ac sua prætertim felicitas euocabat; vehementi bombardarum impressione

Fontanus Vrbem, atque Arcem vehementiùs quatit.

Colonne. Bentinolus. Iansonius. Harau.

Batteria.

moras

1595.
Arras.

moras omnes perrumpere, atque aditum sibi ad Vrbem aperire decreuit. Igitur misso Atrebatum Carolo Coloma cum mille Peditibus, Equitibus quadringentis, ut inde sex alia maiora tormenta, duo longiora curaret aduehenda: postquam hi regressi, pridie Calendas Augusti, vix ortâ luce, quatuor supra viginti bombardis Vrbis, Arcisque mœnia quassari cœpere. In colle quoque vicino, Vrbi imminente, tormenta erant ita disposita; ut Defensores quidem magno discrimine infestarent; ituri verò ad impetum faciendum Hispani citra periculum essent.

Colubrine.

Dar l'assalto.

MVLTAS horas, adeoque ad tertiam usque post meridiem, tempestas ea bombardarum intonuit. Cui peropportunè se obuoluit illucescentis diei tam densa caligo, ut fumo tormentorum immista, ea displodentes obtegeret, atque oculis inimicorum, & offensionibus eriperet. Vbi verò nebula rarescens à solis radijs dissoluta penitùs fuit; iam muri pars magna labebat, ac ruinam minitabatur. Nec multò pòst hac ad imum solum cum ingesta humo corruente, viginti cubitis amplior hiatus apparuit. Quo viso, se statim accinxere ad faciendam irruptionem Obsessores, ad sustinendam Obsessi.

Terrapieno.

OBSESSORES tres in acies distributos hoc ordine collocauit Fontanus. In prima sexcentos Pedites posuit, maximam partem Hispanos, tum Burgundiones, & Vallones. In alijs duabus maiorem esse voluit numerum tam Hispanorum, quàm aliarum militum Nationum. Sic autem unam pone aliam disposuit: ut primæ laboranti subsidium ferret secunda, secundæ tertia. Scribunt alij Fontanum ex norma quoque prudentiæ militaris, ut Dorlanensium vires diuidendo minueret; diuersis locis eodem tempore fieri voluisse impressionem. Quare ad Arcem aggrediendam Hispanos, ad Vrbem Vallones immisisse: Italos verò paulò pòst utroque, ad integrandum prælium.

Bentinol.

Ad oppugnationem militũ dispositio.

Catlerinus.

NEC minùs ex arte suum contrà militem explicauerant Defensores. Primos namque tenebant ordines undique qui claritudine sanguinis, animorumque præstabant: atque inter se densati, ferroque muniti, murum alterum interiorem, ac ferreum referebant: aut ex antiquo ritu Laconum, pectora pro mœnibus obiectabant. Impetum in eos fecit per hiatum tormentis apertum primum agmen Hispanorum: atque intra murum, cuius lorica fuerat ad terram deturbata, pedem figere summo nisu contendit. Verùm eo robore obluctati sunt in aduersum Defensores, ut primis Oppugnatoribus cedere incipientibus accurrere necesse fuerit in auxilium secundos. Tunc enimuerò

Defensorum virtus.

Breccia.

Parapetto.

1595.

Atrox oppugnatio.

atrocissima exarsit pugna, instauratis pariter à nouo subsidio viribus Nobilium Defensorum. Hi vix ullum pugnandi spatium Hispanis dabant, plurimùm laborantibus, ut ab hoste se tegerent, ac stabilirent in muris pedem. Sesquihoram circiter ferunt in ea murorum crepidine hastam hastæ obstitisse; & quasi fluctuante bello, nunc huc, nunc illuc annuisse victoriam.

Gubernatoris imprudentia.

Campana. Carnerus. Ritirata. Tagliata.

Non leuis etiam imprudentiæ damnant Dinani Comitem Vrbis Gubernatorem: quòd ut iuuenis duorum & viginti annorum, atque in re bellica generosior, quàm peritior, nullum præparasset suis receptum, sed solam viæ scissuram, eamque tam angustam, ut aciem directam continere non posset. Locus verò, ad quem refugerent Defensores, ubi murum tenuisset Hostis, plus æquo declinabat. Adeòque Oppugnatores eò se saltu deijcientes distineri non poterant. Accedebat horrenda strages, quam de ijs continenter edebant bombardæ è loco superiore, uti dictum est, displosæ. Non tamen his omnibus instantis exitij terroribus coërceri Gallicæ Nobilitatis generosus ardor potuit: quin ad extremum usque spiritum Vrbem, Arcemque tueretur; ac vitam mallet deserere, quàm locum.

Abbädonare il posto.

Ferdinádi Portocarreri fortitudo.

Catherinus.

Neque minor eluxit in Oppugnatoribus virtus: ac singularis præsertim extitisse fertur Ferdinandi Portocarreri. Hic per hiatum muri Arcem aggressus, tanta ibi strenuitate pugnauit: ut occiso Dinani Comite, qui ei parti aderat defendendæ; eiusque socijs ferè omnibus aut fusis, aut stratis, non sine magna cæde capta demum Arx fuerit. Inde certatim Victores sese in Vrbem demittere: obuium quemque perimere: omnia tumultu, luctu, clade miscere. In ultionem Hanensis internecionis, quam Hispani vulgò memorabant, ita sæuitum. Ipse Fontanus edixerat: ut in profanis locis nulli parceretur armato: in sacris nulli noceretur: fœminarum pudor illibatus esset: incendijs abstineretur. Hanc tamen postremam legem vel fortunæ temeritas, vel impetus iræ militaris fregit: cùm sub noctem in una domo excitauit incendium, quod statim ad proximas propagatum, adeò pertinaciter inhæsit, ut ipsomet Comite accurrente vix fuerit aliquando restinctum.

Arx, & Vrbs capiuntur.

Mich. Aitsingerus. Thuanus. Campana. Carnerus. Catherinus. Ianfonius. Lanarius. Campiglia. Meteus. Bentiuolus.

Repentinum incendium.

Patefactis Vrbis portis, reliquus irrupit Exercitus; atque omnia latè loca depopulatus hostiliter est. Verùm exigua reperta præda spem, atque auiditatem Militum haud expleuit. Cæsa memorantur Gallorum tria millia: in quibus Viri Nobiles supra trecentos. Tot vulnerati, ut in uno nosocomio plures quàm centum numerarentur. Hos inter Ronsoij Dominus Gubernatoris perempti frater, qui captiuus Atrebatum missus pau-

Bottino.

Clades magna Gallorum, ac præsertim Nobilium.

lò

1595.

Miteus. Haraeus. Ianfonius. Coloma. Bentiuolus. Campana. Aly.

lò pôst perijt. Pars quoque magna Nobilitatis Gallicæ captiua in Vrbes Belgij diuersas abducta. Haraucurius erat in primis, qui licèt Dorlani Gubernator minimè fuerit, ut aliqui tradunt (id enim muneris Dinani Comiti plerique Scriptorum tribuunt) tantæ tamen auctoritatis, atque existimationis in rebus bellicis habebatur: ut eius plurimùm consilia Præfecti ambo tam Vrbis, quàm Arcis sequerentur. Is in Arcem Antuerpiensem custodiendus ablegatus est unà cum Griboualio, & Rinseuallio Principibus itidem Viris: qui simul omnes pro sua redemptione aureorum millia quadraginta soluerunt. Tam notabilis huius oppugnationis successus fuit: ut nulla ad eam diem in Belgicis, aut Gallicis bellis, illa atrocior, & cum varietate fortunæ diuturnior memoraretur.

Riscatto. Bentiuolus, & aly.

Victoriæ magnitudo.

Fontani pietas, & prouidentia.

FONTANVS Comes pro innata pietate, actis publicè Deo solemnibus gratijs de duplici victoria uno in loco reportata: humanæ quoque incolumitati prospiciens, Vrbem, Arcemque curauit cadaueribus, sordidisque cædis reliquijs expurgandas: ne aerem inficiendo, tetriorem, & magis communem cladem afferrent. Exinde mœnia disiecta reficere: exteriora munimenta diruere: Vrbem, & Arcem rebus omnibus instruere ad defensionem opportunis. Quibus accurandis Dorlani dies quindecim immoratus; ad loci tutamen cum delecto militum Præsidio reliquit Ferdinandum Portocarrerum, cuius potissimùm virtute (uti paulò antè diximus) Vrbs ea fuerat expugnata. Fontanus autem ad Cameracensem expeditionem, velut ad rerum summam, ac motus illius bellici metam, accinxit sese. Verùm priùs quàm eam ingrediamur; præstat paucis perstringere, quæ Dorlanensis obsidionis tempore, ac paululum deinceps in Belgio gesta sunt.

M. Ianson. lib. 14. Haraeus an. 1595. Gaspar Ens tom. 3. l. 3. Hugo Grot. Hist. Belg. lib 4. Mirteus. Botereiks l. 2. Laurentius Beyerlinch Chronogr. Guillelmus Baudart. Thuanus l. 112.

Mauritius arma mouet.

Mōdragonius parat obsistere.

MAVRITIVS Comes in omnem peruigil opportunitatem; ubi Regium militem vidit abunde Gallicis armis occupatum; tempus id commodum ratus est, Fœderatorum in Belgio rebus aduersùs Hispanos promouendis. Quamobrem ineunte Iulio, contractis undique copijs, & nauibus maioribus, minoribusque ad ducentas octoginta, bellico apparatu omni, & commeatu instructis, Vahalim fluuium ingressus, per eum aduersùs Nouiomagum vela fecit; ex arte Ducum, hoc præsertim tempore solemni, sparso rumore, Syluam-Ducis in Brabantia obsessum iri. Eo comperto Christophorus Mondragonius, Arcis Antuerpianæ Præfectus, quem Fontanus Regijs in Belgio armis impofuerat: ut si quid per suam absentiam à Fœderatis moueretur; ipse pro tot annorum in eis bellis experientia, strenuè obstaret,

Militum quatuor millibus coactis, Campiniam ingressus, Turnohuti, & circumiectis in locis Castra posuit; animo magno, alacrique Mauritium expectans, quicum iusto prælio decernere iamdiu habebat in votis. Quippe cum inclytis famâ Ducibus pugnando, quæcumque sors belli obuenerit, bene vertit: quandò & eos vincere summa gloriarum est, & ab eis vinci non indecorum. At Mauritius hostis expectationem fallens, magna celeritate naues in Rhenum, atque inde in Isalam traiecit; eisque per fossam, quam à Druso Nerone Drusianam appellant, ad regionem Grollæ circumiacentem transportauit Exercitum.

1595. Campana in fine l. 3. Camerus l. 11. c. 16. Coloma l. 8. Euerar. Reidan. lib. 12. Auber. Miræus Chron. Belg. Bentiu. l. 2.

Grolla obsidetur à Mauritio.

IN Zutphaniensi Comitatu Geldriæ confini hoc Oppidum est: quod unum alicuius momenti superabat in Belgio trans Rhenum Hispano Regi subiectum. Quæ potissimùm causa Fœderatos permouit ad illud occupandum: ut eo potiti, Transrhenanam eam omnem regionem haberent in potestate. Angustum ambitu Oppidum satis Ars, & Natura munierunt: hæc situ valde ad tuendum opportuno, prope Slingam amnem: illa propugnaculis quinque. Præerat loco Ioannes Comes Stirumbius Germanus cum sexcentorum militum Præsidio. Mauritius ergo cum octo millibus Peditum, Equitum duobus (quinquies mille Pedites, Equites mille ducentos alij numerant) Grollam obsedit. Octodecim quoque aduexerat maiora tormenta: quibus Oppidum quatere, & Diui Iacobi peruigilio expugnare animus erat. Castris itaque communitis, exonerare bombardas in mœnia cœpit: & diuersis locis agi sub terra cuniculos iussit, qui unà cum Castris quotidie propius Oppidum admouebantur. Erecti quoque aggeres sexta obsidionis die ad fossam perducti: hæc verò eò minùs tuta, quòd subduci poterant aquæ.

Gheldem.

Oppidi situs, & munimenta.

Mine.

OBSESSI quamuis in angustias redacti, & nulla spe vicini subsidij: tueri se tamen strenuè, & deliberato animo esse ad extremum usque spiritum fortiter agendi. Verùm hanc virtutem periclitari diutius non siuit Mondragonij Ducis in prospiciendo vigilantia, in exequendo celeritas. Is præter contractas copias, è vicinis quoque Præsidijs quàm plurimum potuit militum euocauit: ut eorum numero haud multò inferior esset Mauritio. Adiunxerat verò se illi cum suis Hermannus Comes Thserembergius. Qui amboab Anglis quibusdam, & Scotis de hostilis Exercitus numero, conditione, statu fuere prorsus edocti. Igitur magnis itineribus profectus Mondragonius, & Mosa ac Rheno summa celeritate traiectis, Grollam versùs exercitum deduxit; certum, & constitutum habens, aut Oppido subsidium inferre, aut prælium cum hoste miscere.

Mondragonius subsidio accurrit.

Guanigiomi.

AD

1595. AD eius aduentum opinione maturiorem, dubius animi Mauritius fuit; num obſidionem proſequeretur, cuius felicem, & vicinum exitum ſpondebant tum anguſtæ in Oppido res, quod probè norat; tum opera, & machinamenta iam ad ſummum perducta: an potiùs animoſiore conſilio aduentanti hoſti prior obuiam iret, eumque vel debellare, vel auertere conaretur. Suadebant hoc & eius animi magnitudo, & exercitus Principes æquè generoſi. Sed ut tertium ſequeretur conſilium, omnium prima fronte deterrimum, ac minimùm quidem certè glorioſum, nempe obſidionem ſoluendi: vel eius ingenium impulit, ad cauendum procliuius, quàm audendum: vel Ordinum Fœderatorum inſtinctus, quorum perpetuò mens fuit non facilè vires ſuas ad incerta belli profundere. Et ſanè iure metuendum erat, nè ſi continuaret obſidionem, hinc à Mondragonij copijs inuadentibus, illinc ab erumpentibus Grollæ Defenſoribus circumuentus opprimeretur: ſin hoſti occurreret afferenti ſubſidium; non ſatis haberet militum ad hunc repellendum, ſimul, atque obſidionem protogandam. Igitur conſultiſſimum duxit, inde recedere, ac ſe conferre Zutphaniam.

Mauritius obſidionem ſoluit.

IBI Mauritius perſtitit aliquandiu, quid Mondragonius interea moliretur, obſeruans. Hic verò id unum ſpectabat, ut à maioribus faciendis progreſſibus Mauritij arma coërceret: quemadmodum contrà in eo totus erat Mauritius, ut Mondragonium per eas regiones occupatum detineret; nè inde digreſſus adiungeret ſe Fontano. Sic enim Fœderatos inter conuenerat, & Galliæ Regem Henricum: qui perſuaſum habebat, Gallicis expeditionibus, ac præcipuè Cameracenſi, ſolas Fontani copias pares non eſſe.

GROLLA obſidione liberatâ, rebusque ad tutamentum neceſſarijs ſatis inſtructâ; haud procul inde Mondragonius conſtitit iuxta Rhenobergam: tum ut eam quoque, traiectumque illum fluminis cuſtodiret: tum quòd illac facilior aditus commeatibus eſſet. Nec longè Caſtra Mauritius poſuit: utroque contendente alterius conſilia, & propiùs introſpicere, & commodiùs diſturbare. Inter duos Exercitus medius interfluebat amnis haud magni nominis Luppia, qui prope Vrbem Veſaliam euoluitur in Rhenum. Vt eum amnem ultro citroque tranſmitterent utriuſque Exercitus milites, conuehendorum pabulorum neceſſitas adigebat. Quæ occaſio frequentes inter eos, quamuis leuiores, dimicationes ciebat. Septembri tamen ineunte fors tulit, ut quædam longè grauior, ac magis memoranda confereretur. Sic autem ſe res habuit.

Rynsberga. Vettouaglie. Lippa. Foraggiere. Scaramuccie.

Inimici Exercitus propinquant.

R E-

1595. *Foraggio.* *Scolta, ò Conuoio.*

Regius magis, quàm Fœderatorum Exercitus pabuli penuria laborabat: adeòque id ex loco longinquiore comportare, & maiorem militum numerum adhibere ad custodiam opus erat. Commodam eam se nactum opportunitatem hostis opprimendi Mauritius censuit. Igitur Philippum Comitem Nassauium, supremum Equitum Magistrum cum Equitibus quingentis latère in insidijs iubet intra nemus, prope quod transeundum pabulatoribus erat. Id ubi ab Exploratoribus suis cognouit Mondragonius, ut artem pari arte deluderet, in aliam vicinam syluam ut abderent se, turmis Equitum aliquot mandauit. Vtrisque quid agendum, in tempore ab suis Ducibus imperatum. Regijs Equitibus præerat Ioannes Cordubensis, Præfectorum eius Exercitus veterrimus, exploratæque virtutis. Aderat & Henricus Comes Thserembergius, Hieronymus Carrafa Montis Nigri Marchio, Nicolaus Maria Caracciolus, & Paulus Æmilius Martinengus cum suis quisque turmis. Itaque non modo par hostili, sed etiam superior erat hic Equitatus. Progressos pabulatores ad locum, prope quem delitescebant insidiæ, varijs statim è partibus adoriuntur hostes: & licèt custodias militum auxisset prudentia Mondragonij; Mauritianis tamen quâ numero, quâ robore superantibus cesserunt. Regij partim cæsi, partim saucij, partim fugati. Tunc è nemore vicino cum suis Henricus Comes erupit: nec morati sunt hostium alij in medium prodire, ut iam non in umbraculis syluarum mutuò præparatis ageretur insidijs: sed in Solem, ac puluerem egressis, in aperto campo iustum, & cruentum prælium exoriretur.

Pabulandi occasione sibi mutuo ponunt insidias.

Generale della Caualleria. *Star' in agguato.* *Foraggieri.* *Spie.* *Truppe.*

Acer inter eos conflictus.

Principio inferiores esse Regij; Nassauio præsertim, eiusque duobus fratribus, & Ernesto Solmensi Comite, pro nobilitate generis, animique magnitudine rem egregiè gerentibus, aliosque corroborantibus exemplo suo. Quare iam Victores Hollandi toti erant in obstringendis Captiuis, spolijs colligendis: cùm extemplo nouis superuenientibus Mondragonij copijs, inopinantes, atque occupati præda inuaduntur. Redintegratur pugna: recentes Regij fessos, atque impeditos cædunt; alios vulnerant, alios fundunt: eripiunt è manibus, & liberant Captiuos: qui eos ceperant, capiunt: victoriam de Victoribus reportant. Ita plerumque belli scenam fortuna conuertit: & habendi cupiditas impotens elabi sinit è manibus victoriam: qua sapienter uti non minor est virtus, quàm vincere.

Hollandi principio vincunt.

Mox Hispani.

Nobilitarunt hanc Hispanorum victoriam maiorum gentium Captiui: Comes ipse Nassauius Philippus, qui lethaliter

ter

1595.

Philippus Nassauius captiuus moritur.

ter vulneratus, & Rhenobergam ductus, paulò pòst è viuis excessit: & Frater eius Ernestus, & alter Ernestus Solmensis Comes ijsdem sanguine coniunctus; qui mox etiam à vulneribus obijt: plures quoque Præfecti militum, & Viri nobilitate præstantes. Philippi cadauer exenteratum, atque aromatibus conditum ad Mauritium honorificè remisit Hermannus Comes Thserembergius. Adeò vel inter hostes locum habet officiosa clementia. Extincti numerantur in hoc prælio ex Hollandorum Exercitu trecenti; quorum pars magna Luppiæ aquis absorpta, dum eas fugiendo transuadaret: è Regijs sexaginta: grauiter tamen sauciati fuere Carrafa, Martinengus, Caracciolus.

Nobiles alii capti.

OCTOBRI ferè toto cùm utrinque nihil motum fuisset: eo exeunte, uterque Ducum ad hyberna reduxit suos. Id paulò antè quàm fieret; facinus in Brabantia tentatum fuit, quod si felicem exitum habuisset, magno fuisset Fœderatis emolumento. Res verò gesta narratur in hunc modum.

M. Ianson. lib.15. Cāpana l.3. Gaspar Ens lib.3. Grotius l.4. Mirteus. Beyerlinch. Haraus. Carner.c.17. Coloma. Aubertus Miraus. Bentiuolus. Thuan. lib. 113. Anuersa. Malines. Riuellino.

Heraugerius pro Fœderatis Liram intercipit.

BREDAE præfecturam administrabat Carolus Heraugerius: cuius nempe astu recuperata Mauritio superioribus annis Vrbs ea fuerat; & hoc ipso Hoyum interceptum, quamuis post paulum amissum, uti suprà memorauimus. His igitur secundis euentibus animatus, tertium opus aggredi constituit: Liram scilicet in Brabantia occupare. Medium obtinet locum hoc Oppidum inter Antuerpiam, Mechliniam, Louanium. Et quòd tam præcipuis Vrbibus interiacet, quòdque natura, ac manu munitum est, magni momenti censetur. Præerat ibi Alphonsus de Luna Hispanus cum paucis eiusdem gentis Peditibus. Quo comperto Heraugerius ex Bredano, vicinisque Præsidijs mille Pedites, Equites centum coëgit. Tùm silentio, quàm potuit, maximo digressus, cum ijs ad Liræ fossam intempesta nocte peruenit. Vnamè portis, quæ Mechliniam ducit, lunatum propugnaculum nondum perfectum è regione positum tuebatur. Per hoc facilis patuit ingressus hosti clandestino. Hinc fossam per occultum quoddam foramen milites ingressi: quâ minùs altam esse aquam cognouerant, eam transmittunt. Tùm scalis ad mœnia erectis, ea conscendunt: Præfectum Vigilum interficiunt: alijs captis non minùs obstringunt os terrore mortis, quàm vinculis manus. Vnus tamen elapsus, per Oppidum ad arma conclamauit, hostem adesse monens. Hic verò muris potitus, vicinam portam Mechliniensem vi, ac ferreis instrumentis, ad eum finem aduectis, patefacit. Per eam Equites, ac reliquus hostilis Exercitus cum Heraugerio irrumpit. Factis repentè per vias excursionibus, omnia terrore complent, ac tumultu.

Scalæ.

Ioannes Bochius in narrat. profect. Archiduc.

Oppidi Præfectus cum aliis nequicquam obsistit.

1595.

multu. Luna Præfectus cum Præsidiarijs, atque Oppidanis armatis obuiam ire irruentibus, & viribus cunctis obsistere. Ab aurora ferè ad meridiem acerrimè dimicatum. Bis Hollandi repulsi, bis irruperunt. Hi vehementer pugnando, Lirenses haud minùs strenuè repugnando, tandem in forum, ut in æquum prælij campum, prouecti sunt. Longus, & sæuus ibi quòque conflictus. Verùm Oppidanis aliquot cæsis, alijs in domorum tuta refugientibus, intellexit Luna, se tam paucis cum socijs, qui centum quinquaginta dumtaxat erant, hostium numero tantò superiori obsistere minimè posse. Quare, quod opportunius factu iudicauit, seruatis ordinibus paulatim retrocedens, ad Lisperanam portam se contulit. Inde citatissimos Nuncios Antuerpiam, Mechliniamque dimittit, qui præsens discrimen exponant, auxiliumque tam tempestiuum, quàm necessarium poscant. Tùm verò ad eam portam muniendam se totum, & qui eò confluxerant, milites impendit. Vtque nossent, quam in partem Oppidi contendere deberent, quæ vicinis ex Vrbibus expectabantur auxiliares copiæ, supra portam eamdem regium sustolli, & explicari vexillum iubet.

Idem subsidiũ poscit ab vrbibus vicinis.

Soccorso.

Stendardo.

Hostes interea exigui defensionem Præsidij contemnentes, & custoditam ab eo portam sperantes se nullo negotio mox expugnaturos; ad prædandum effudere sese in partem omnem, atque ad corpora reficienda, nocturno itinere, diurnoque prælio defatigata, & exhausta. Pro solemni Hæreticorum hominum more, templa cuncta diripere, sacra contaminare, imagines confringere, aras euertere. Est qui sceleribus addat, aliquos per ludibrium Sacerdotum vestes induisse: sacratis calicibus sibi inuicem propinasse: ignominiosissimè tractasse Altaris maximè venerabile Sacramentum. In priuatis verò domibus omnem petulantiæ, auaritiæ, crudelitatis vim exercere.

Oppidi direptio.

Bochius.
Iansonius.
Bcyerlinch.
Carnerus.
Coloma.

Heraugerius fedatâ epulis fame, non irâ sanguine; Tubicinem mittit ad Præfectum de Luna, qui suo nomine polliceatur: *Si portam, quam custodiebat, Victoribus iam Oppidi potitis liberam reliquisset; ipsum cum omnibus impedimentis, armis, & signis etiam explicatis ab se dimissum iri*. Responsum dedisse fertur Lunã generosis militibus usitatum: *Se quandiu vita suppeteret, locum hosti non concessurum*. Heraugerius reiectâ à victis tam honesta conditione ferocior; ad Carthusiense Cœnobium raptim aduolat, ut locum oppugnandæ portæ accommodatum obseruet. Quod dum ipse molitur: dumque milites eius palantes, ac populabundi percursant Oppidum; improuisum ipsis, Liranis expectatum adest ab Vrbibus vicinis subsidium.

Haræus.

NAMQVE

1595.

Antuerpia, Mechlinia; missum ingens subsidium.

NAMQVE ubi primùm Nuncius Antuerpienses de Liræ discrimine commonefecit: extemplo Gaspar Mondragonius Arci præfectus pro Christophoro Consobrino (qui tum in Geldria vel Frisia morabatur) cum ducentis Hispanis militibus egressus est: & Magistratus Vrbis bis mille expediuit armatos. Imò tantus fuisse fertur Ciuium ardor, vel ad Oppidum apprimè sibi commodum tutandum, vel ad importunam communis hostis audaciam retundendam: ut nisi Magistratus ipse reduci pontem versatilem mandasset: Ciuitas uniuersa, Vrbe deserta, propera-tura in eam expeditionem fuisset. Cùm verò Milites Antuerpiâ profecti celeritate maxima Liram accurrerent; obuios habuere Mechlinienses quadringentos & quinquaginta, ad opem ferendam socijs, pariter aduolantes. Igitur geminata utrinque alacritate, felicem occursum, paremque diligentiam sibi mutuò gratulantes, coniunctis animis, atque armis, ad portam Lisperensem, quò regium elatum signum euocabat, citatissimo gradu perrexere. Et nè res impetu magis, quàm consilio ageretur: ut in summa trepidatione, motuque tumultuario fieri consueuit: ex uniuersis copijs tres acies conflant, in diuersas Oppidi partes subsidium illaturas. Paulò post meridiem Lisperanâ portâ ingrediuntur, quam prouidè ad eum finem Luna custodierat. Acies prima recto itinere forum inuadit: altera dexteram murorum partem: tertia sinistram.

Bochius. Lansonius. Beyerlinch.

Ponte leuatoio.

Stendardo.

Haraus.

Hollãdi ex inopinato cæduntur, & propulsantur.

HOLLANDI concursu hostium tanto, tamque inopinato perculsi, quamquam obsistere paulùm initio contendère: plerisque tamen eorum subitò cæsis, magnoque numero depositis armis adhuc prædæ, atque epulis incubante: in sola fuga spem sibi salutis aliquam relictam vident. Sed neque illi tutus patebat aditus, locis ferè omnibus ab hoste circumsessis. Imò tanta fuit in re subita trepidatio, atque in præcipitanda fuga confusio: ut eam ipsam portam, quam paulò ante ceperant, atque aduersùs hostile subsidium occluserant; ad salutem suam, quam se proripiendo quærebant, aperire nulla ratione potuerint. Ita velut in cauea conclusæ feræ, sola expectabant ab hoste furibundo aut vulnera, aut vincula. Tentarunt quidem plurimi se de muris in fossam deijciendo, tamque tranando, ad ripam alteram incolumes peruenire. Verùm eius conatus pauci felicem exitum nacti sunt, multis aqua submersis, alijs alia calamitate interceptis. Ductor ipse, & audacis consilij auctor Heraugerius pœnas insignes dedit vel suæ temeritatis in Oppido aggrediendo, tam validis Vrbibus circumsepto: vel suorum licentiæ, auiditatis, impietatis, quibus excæcati vitijs, impendentem sibi

 ruinam,

ruinam, ac vicinum exitium non prouiderunt. Quippe dum præuius alijs ad fugam, qui ad facinus præiuerat, saltu se demittit in fossam; in eadem demersus ibi sepulcrum reperit, ubi perfugium quærebat. Ita qui Vrbes, atque Oppida consueuerat intercipere; à morte quodammodo nil tale cogitans interceptus fuit. Secuti sunt in hoc exitu infelici, atque inglorio Ductorem suum Centuriones aliquot, eorumque Vicarii. Ac demum ex omni numero, qui Liram inuasit, vix ducenti superfuisse dicebantur ab ijs, qui Antuerpiam ducti fuere Captiui.

Heraugerius in Oppidi fossa mersus.

1595. Haræus. Iansonius. Campana. Carnerus. Thuanus.

EODEM die, quo hæc de manibus Hollandorum extorta Victoria; sub vesperam Antuerpiani, & Mechlinienses, debellatores hostium, sociorum liberatores, in suas reuersi sunt Vrbes triumphantibus similes cum hostilibus armis, equis, signis, aliàque prædâ, & spolijs: quodque summum iactabatur & felicitatis, & gloriæ, nullo è suis interfecto, aut vulnerato. Quamquam in eo singularis enituit Senatus Antuerpiensis prouidentia, ac liberalitas: quòd certos homines in portis Vrbis collocarat, qui de reducibus quærerent, an essent vulnerati, ut tam promptè, quàm sedulò publicis sumptibus curarentur. Illud quoque ab eodem clementer, & iustè, atque ex propria Belgarum integritate decretum: ut quando præda, quam Hollandorum è manibus abstraxerant Antuerpienses, non tam ab ijs Liram aducta, quam ex Liranis abducta censeri posset; ea omnis in Curiam comportaretur, & quæcumque Lirensium essent, sanctè restituerentur. Vt verò præmium aliquod rei bene gestæ constaret ijs, qui tam diligentem operam in socijs ex hostium potestate vindicandis nauarant: idem Senatus eisdem duo florenorum millia dispensauit, quibus conuiuia publica celebrarent. Singulis præterea Centurionibus distributa numismata, quibus ab uno latere inscriptum erat: LIRA RECEPTA; ab altero; OB CIVES SERVATOS. Nec minùs aliæ communis lætitiæ significationes datæ: ac præcipuè ad agendas Deo grates, in cuius verò manu victoria est, publicæ supplicationes institutæ. In quo genere & illud accidit, quod esse documento potuit, quantum in rebus humanis inane sit. Munimentum Antuerpiæ proximum, Lilloum appellatum, Hollandi Præsidiarij tenebant. Hi statim atque acceperunt, Liram ab suis captam; excitatis ignibus, displosisque maioribus tormentis communia gaudia significarunt. At Antuerpienses, ut eos docerent, gratulatione præpropera *cecinisse triumphum ante victoriam*: & Hollandis quidem principium, sibi verò finem, *qui opus coronat*, faustum obuenisse; festos, ac triumphales ignes extulerunt, & lætissimo campana-

Senatus Antuerpiensis clementia.

Iansonius. Campana. Lanarius. Iansonius. Campana. Grotius. Carnerus. Thuanus. Beyerlinch. Haræus.

Hollandorum vana lætitia.

Pers. sat. 1. Iansonius. Campana. Carnerus. Coloma. Thuanus.

1595. panarum omnium sono suam esse victoriam declararunt. Interea peruenerat ad Fontanum Liræ oppugnatæ nuncius. Quamobrem statim ille Principem Auellini cum quater mille Peditibus, & quingentis Equitibus subsidio misit. Nec minore diligentia qui Tillemontem adhuc tenebant seditiosi, auxilium ab Luna rogati, milites ferè mille transmiserant. Sed utræque Copiæ cum Mechliniam peruenissent, de profligatis hostibus, & Lira liberata certiores facti, retrocesserunt ad suos. Oppidum hoc tam facilè recuperatum duplex posteritati documentum dedit: & subsidium eò salubrius esse, quò celerius: & à prædandi cupiditate corrumpi sæpè victoriam.

Catherinus lib. 15.

DVM hæc in Belgio gererentur: Dux Niuernensis in Gallia suum ad exercitum accessit magna parte diminutum, ac perterritum. Et quamquam errata in eius administratione commissa dissimulare conaretur: ubi tamen Sanpaulium, ac Bullonium conuènit; continere se non potuit, quin eis exprobaret: *In aggrediendo bello nimis audaces fuisse, in destituendo nimis cautos.* Quibus verbis, & veteri æmulatione commotus Bullonius ab Exercitu discessit: eumque paulò pòst secutus est Sanpaulius, relicto penes unum Caput copiarum imperio. Eo suscepto Niuernensis Ambianum illas deduxit: quam Vrbem ob vicinam cladem Dorlanensem ingens metus incesserat. Quoniam verò Ciues magno concursu eum adeuntes docuerant; valde timendum esse, ne Corbeia, Vrbs haud longè ab Hostibus dissita, in eorum veniret potestatem: ipsum se postridie ad eam tutandam iturum pollicitus est. Quare sibi Ambiani subrogato Filio suo Carolo Retelensi Duce, Corbeiam migrauit; ut eam quamuis parum validam, aduersùs Hispanorum Exercitum propugnaret. Verùm hic castris Dorlano motis à Fontano deductus prope Peronam fuit. Igitur Corbeia digressus Niuernensis, ad eam Vrbem accessit. At Hispani prætergressi, Sanquintinum versùs Castra mouerunt. Eò quoque Dux properauit, ab Eustochio Confluentio Auxij Vicecomite, qui loco præerat, euocatus. Verùm Fontanus haud procul inde dies quatuor commoratus, ut undique magnam alimentorum copiam congregaret; tertio tandem Idus Augusti quatuor passuum millibus prope Cameracum Exercitum collocans; eam Vrbem obsidere se velle palam fecit, alijs omnibus timore liberatis.

Bullonius, & Sanpaulius irati discedunt ab Exercitu.

Rodolp. Botereius Cōment. lib. 1. Thuan. lib. 113.

Di Retelois, ò Retel.

Fontanus Comes Cameracum obsidet.

Libro 4. Cambray. Cambresy.

IOANNES Monlucius Balagnij Dominus (cuius alibi meminimus) qui Cameraci, & Cameracesij, hoc est eius ditionis cum summa potestate Præfectus erat; malè se munitum à milite, & odiosum Ciuibus animaduertens, quòd superbè nimis impe-

Balagnius Gubernator subsidiū petit à Niuernensi.

 rarct;

raret; neque pecunia satis ad belli sumptus instructum; repetitis quater Nuncijs Niuernensem rogauit, uti sibi quà copijs, quà pecuniâ subsidio esset, simulque aperuit, quàm parum & Populo fidere posset abalienato, & Præsidiarijs ob Dorlanensem calamitatem timore correptis. Dux euocatis in consilium Principibus Exercitûs; *Diu multùmque se dubitasse* professus est: *an ipse se deberet in Vrbem includere. Quippe timor amittendi tam præclaram Vrbem, ac ditionem: eiusdemque defendendæ gloria stimulos adigebant, ut illam ingrederetur. Contrà verò ne se intra muros cohiberet, hortabatur necessitas dissipatum Exercitum recolligendi, augendique: atque ipsius Vrbis bono subsidia militum, aliarumque rerum comparandi maior extra eam facultas.* In posteriorem sententiam Senatus omnis bellicus conuenit, cùm iudicaret solum Balagnium (Scriptores aliqui Balignium vocant) ad arma intra Vrbem regenda futurum satis: Niuernensem verò reliqua omnia tanto opportuniùs, quanto liberiùs accuraturum.

1595. Ianson. l. 14. Cāpana l. 3. Gaspar Ens lib. 3. Grotius l. 4. Mirteus Boternius l. 2. Lanarius. Beyerlinch. Hareus anno 1595. Miræus. Alex. Campiglia l. 10. Turtura lib. 21. Bulenger. l. 9. Thuan. lib. 113. Carnerus l. 11. c. 10. & seq. Coloma l. 8. Catherin. l. 15. Reidanus l. 12. Bentiu. l. 2. Bussieres l. 23. Bentiuolus. Coloma.

Hic filium suum Retelensē Ducem cum copiis mittit.

Hoc itaque constituto, Niuernensis Carolum Filium cum Equitibus quadringentis, & quatuor Sclopetariorum centurijs Cameracum immittere decreuit. Alios quoque bellicæ virtutis egregios, atque experientiâ insignes Viros eidem laborum, & discriminum socios, adiutoresque destinauit. Quippe Iuuenis ætas adeò tenera, ut quintum decimum annum non superaret, magnis opus habebat adminiculis ad tantum oneris sustinendum. Eum verò tam præmaturè conijcere inter pericula non dubitauit æquè prudens, ac generosus Parens: ut eo tanquam pignore Cameracensibus dato & suam obligaret fidem; & spem eorum foueret, venturum se postmodum maiore cum apparatu in auxilium: eosdemque interim in studio Gallicarum Partium contineret.

Catherinus. Turtura. Thuanus. Botereius. Campiglia.

Igitur magnanimi Patris Filius non degener nil paterna iussa moratus est, neque à circumsidentibus Cameracensem Agrum hostibus deterritus, quo minùs omni conatu ingressum in Vrbem tentaret. Et eum quidem, ad fallendum hostem, nocturnum designauerat. Verùm etsi solidam noctem cum eis, quas adducebat, copijs habuit iter: non tamen ante lucem potuit circumiectam Cameraco planitiem attingere. Causam eius moræ duplicem tradunt. Alteram, ingentem pluuiam, quæ noctem eam tenuit totam: alteram, quòd prope Pagum Annæ appellatum, dum fluuium quemdam per pontem transmittunt milites, eius repentè pars corruit. Quare tamdiu intermittendum iter fuit, donec ex asseribus, trabibusque pars abrupta reficeretur.

Obstacula illi obiecta.

Fa'alto.

Ho-

1595. HOSTIVM infortunio fortunatiores Hispani, & de illorum accessu præmoniti tempestiuè fuere, & commodum nacti sunt spatium ad ascendendos equos, & sese instruendos. Quare ubi ad planitiem deuenit Dux Retelensis, eos in via militari directis ordinibus iam dispositos, atque expectantes offendit. Ad primum, nec opinatum ipsorum aspectum, sustinuit habenas Iuuenis, quid consilij caperet, incertus. Verùm is, quo utebatur duce, locorum peritus, docuit: viam esse inter hostilem Equitatum, & portam Vrbis inferiorem, cauam, ac præcipitem, quâ iter facere arduum admodum foret. Si ergo eam insisterent, antè se muros Vrbis subituros, quàm premi ab hostibus possent; quibus longiore circuitu obequitandum erat, nè in ignotæ viæ anfractus induerent sese. Quamobrem Retelensis ante suas copias omnes generosè progrediens, de regia via declinauit ad læuam manum, & celeri gradu perrexit, quâ dux ille trahebat; spe fretus, sine ullo hostili obice ad Vrbem se peruenturum. At spes eum fefellit. Namque cùm proxime Cameracum accessisset; quinquaginta Equitum agmen inuenit, quod ad arma undique conclamantium strepitu concitum, ad iter obstruendum paratum erat. Coactus itaque Retelensis arma conserere, animatis ad prælium suis, tanto impetu in hostem irruit, ut eum primo congressu fuderit, ac dissiparit. Dehinc nullo suorum amisso, actis de more in orbem Equis ocyssimè, milites in pristinum ordinem redegit, cursuque citato prosequutus est iter. Verùm vix alios ducentos passus processerat: cùm in aliam incidit centum ac viginti Equitum aciem: quam eâdem inuadens ferociâ facili negotio propulsauit. Interea frequentior Hispanorum Equitatus, qui hostem iam antè prospexerat, celeritate nihilo minore ad eum aggrediendum procurrerat. Sed cauæ illius viæ obstacula, & ager à præteritæ noctis pluuia usquequaque lutosus, ac lubricus equorum cursum adeò retardauit; ut quando primi ordines adorti sunt Retelensem, iam eum, eiusque copias tormenta ex Vrbe displosa tuerentur; quæ impetu maximo fulminantia hostes toto circum Agro distinebant, nè subsidiarium militem insectarentur. Quamobrem is antea suâ tectus virtute, iam ab ijs defensus, quos defensum veniebat; ingressus feliciter Vrbem est, maximoque Ciuium plausu exceptus, quorum securitatem suis periculis quæsitum ierat.

Plures hostium occursus.

Far' il caracollo.

Inuestire. Il grosso della Caualleria.

Retelensis omnibus superatis Vrbem ingreditur.

AT Carolus Coloma rem non sinè se gestam ita narrat. De Retelensis Principis subsidio factus certior ab Aloysio Villario Castelleti Gubernatore Fontanus Comes, Ambrosio Landriano

Coloma l. 8.

no Equitatus Præfecto mandauit, ut quandò incertum erat, an Retelensis Cameraco subsidium ferens per Sancti Quintini Oppidum, an Peronâ iter faceret; ubi una via se findebat in duas, Carolum Colomam cum copijs collocaret, quò postremum Hostis agmen carperet. Intempesta nox erat, ac tenebrosa, cùm Carolus eò milites perduxit & suos, & Salazarij, & aliorum quorumdam Ductorum. Locum recognouit: varijs partibus Tubicines dispersit ad fallendum Hostem: Excubitores disposuit: in utramque viam præmisit Exploratores. Ecce autem qui missi Peronam versùs, redeunt ad arma conclamantes, à Gallis excursoribus pressi. Horum aliquot Salazarij copiæ strauerunt. Clangebant undique tubæ, & magna confusione alter alterum non agnoscebat, nisi ad lucem sclopetorum. Inuasit tamen Hostes Goloma, ac primo agmine turmas eorum perrumpens; illas est insecutus, quæ Cameracum properabant, Equitum fermè trecentorum, quorum aliqui saucij, cæsi, capti eò faciliùs, quòd ibi rebantur totum instare hostilem Equitatum. Equites reliqui ducenti Peronam versùs contenderunt. Retelensis Princeps à principio pugnæ segregatus cum viginti quinque lectis Equitibus per noctis obscurum certamen euitauit. Mox equis relictis, occultâ viâ per fossam Vrbem intrarunt. Vbi diluxit, numerati sunt è Gallis captiui septem & octoginta: cæsi supra sexaginta: equi capti fermè trecenti: & Principis, & Nobilium supellex. Retelensis Ducis in Vrbem cum copijs ingressus Fontanum incitauit, ut arctiore quamprimùm obsidione cingeret Cameracum. Eam antequàm ex pluribus literarum monumentis describo; præstat quæ paulò priùs, quæ tùm esset Vrbis eius conditio, & quid in eam iuris vel Hispani haberent, vel Galli; paucis altiùs aliquantò repetere.

Iansonius. Campana. Carnerus. Lanarius. Thuanus. Coloma l.7. Bulengerus.

Cameracum olim Vrbs libera, & sub suo Episcopo Imperij Principe.

In eis Ciuitatibus, quæ liberæ passim appellantur, & suo tantùm imperio subiectæ dicuntur, Cameracum quoque iam olim numerabatur: eumdemque colebat Pastorem animarum Episcopi titulo, & supremum rerum omnium moderatorem, Principem seu Marchionem Imperij nominatum. Cùm verò inter Carolum Quintum Cæsarem, & Franciscum Gallorum Regem eo nomine primum Belgicis præsertim in finibus, Gallicisque arderet bellum: licèt Cameracenses neutri Partium addictos sese palàm profiterentur; clam tamen in Gallos magis, quibuscum erant ipsis frequentiora commercia, propendebant. Quod cùm Carolus Cæsar comperisset, simulque animaduerteret; quanti rerum suarum interesset, si Vrbs in finibus Artesiæ, Hannoniæque sita in suâ esset vel potestate, vel fide: exercitu eò

per-

1595. perducto tantum effecit, ut ipsomet Antistite assentiente, in loco Vrbis editiore validissimam Arcem extruxerit, eiusque dominatum ijs reliquerit, qui sibi deinceps in Belgica succederent ditione. Eo quasi freno quadraginta ferè annos in officio continuit Cameracenses. At postquam Belgium cœpit Hispanorum imperium detrectare; cum Arcis præfectura deuenisset ad Balduinum Gaurium Inchij Dominum: is rerum nouarum cupidus, & Gallis dedere Cameracum studens, Ludouicum Barlæmontium Archiepiscopum Vrbe exegit. Tùm in finitima Hispani Regis ditione multa perpetrare hostiliter est aggressus. Quare Parmensis Dux Alexander, qui Belgium id temporis gubernabat, Exercitum eò transmisit, qui Vrbem obsideret. Obsessam Franciscus Valesius Alenconij Dux, & Gallicorum Regum Caroli Noni, & Henrici Tertij Frater, maioribus adductis copijs liberauit. Ita Ciuitas antea sui iuris, & soli Cæsari subiecta, in Gallorum potestatem venit. Nec multò pòst cum Inchius ab Rustico ictu sclopeti peremptus, & Archiepiscopi eiecti, & libertatis Cameracensis proditæ iustas pœnas dedisset, in eius locum Arci præfectus ab Alenconio fuit Ioannes Monlucius Balagnij Dominus: idemque Vrbis, ac ditionis totius Gubernator ab eodem renunciatus. Cumque decedens Alenconius Reginæ Parenti Catherinæ Mediceæ testamento legasset, quicquid iuris in Cameracensem regionem habebat; ab ipsa quoque confirmatus in eodem munere fuit. Is verò solo Præfecti nomine minimè contentus (ut expleri facilè nequit tam habendi, quàm dominandi cupiditas) iam supremum, atque absolutum ditionis eius imperium affectabat. Hunc ad finem in Gallicis Belgicisque motibus, utrinque emolumentum comparans rebus suis, eam ita cohibuerat Ciuitatem, ut neutri Partium apertè studeret. Quamquam ipsum, quæ se cumque dabat occasio, procliuiorem ad Gallos indicabat: à quibus minore cum periculo maiora sibi poterat polliceri. Cum verò Regis Henrici Quarti maiores quotidie progressus in ijs præcipuè finibus videret; eidem tanquam supremo Domino Cameracum, & Cameracesium subijcere non dubitauit; præfecturam, eumque sibi titulum reseruans, ut Cameracensis Princeps appellaretur. Quæ ferè omnia de Alenconio, & Balagnio superiùs indicauimus.

Famianus Strada de bello Belg. Dec. 2. lib. 4.

Ianfonius. Coloma.

Libro 4.

A Carolo Quinto Arce addita coercetur.

Gallis deinde subicitur.

Balagnius Gubernator absolutum eius imperium affectat.

Hic igitur ad Vrbem omni diligentia muniendam, & propugnaculis, armis, commeatibus, reliquo apparatu bellico instruendam, solerter incubuit. Prospiciebat quippe sagaci animo tempestatem ab regijs Belgij viribus inuehendam, si qua eas

in

in illos fines occaſionis aura propelleret. Ne ipſe quidem hanc excitare auram timuit, finitimas Hannoniæ, Arteſiæque prouincias frequentatis excurſionibus infeſtando: copiarum alimentis exhauriendo: impoſitis vectigalibus alijsque oneribus grauando: quæ cuncta ſi minùs hoſtilem animum, intolerandam certè vicinitatem oſtendebant. Hinc illarum Gentium ardens voluntas, ut Hiſpanorum in fidem quam citiſſimè Cameracum reuerteretur: & eâ gratiâ quodlibet oblatum Fontano auxilium, ut ad illam expeditionem propenſum eius animum vehementiùs inflammarent. Archiepiſcopus quoque Cameracenſis, ut quaſi poſtliminio reſtitueretur in integrum, ingentem pecuniæ vim ad Vrbis oppugnationem pollicitus erat. Eam tamen tum ipſe, tum prouinciæ non antè numerare ſtatuerant, quàm arctiore cinctum obſidione Cameracum foret. Igitur, quandò maiore copia Fontanus ad alendum exercitum opus habebat; ut ab illis proſpiceretur, propiùs Vrbis mœnibus admouere circumſidentem militem maturauit.

Idem Hiſpanicam ditionem infeſtat.

Hinc obſidionis occaſio.

1595.

DE

DE BELLO BELGICO LIBRI SEPTIMI

SVMMA.

CAmeraci, eiusque Arcis descriptio. Sapienter à Fontano circumuallatur: aggeres ducuntur, Obsessis frustra disturbantibus. Balagnij Principis Vxor bellicosa. Ab Henrico Rege subsidio mittitur Vicus & per geminum dolum ingreditur. Eius peritia, & sedulitas in Vrbe munienda. Dubitatur in Castris, an ob multas difficultates soluenda obsidio. Fontani concio ad eam continuandam. Præcepta militaria pro oppugnatione ab eo data. Itali qui tumultuati fuerant, eius accitu ad Castra veniunt, & subsidium Gallorum auertunt. Inita oppugnatio interturbatur urbano tumultu. Ciues exosi Balagnij tyrannidem, & Vxoris auaritiam, cum Henrico Rege incassum queruntur. Hinc ad deditionem conspirant, nequicquam obnitentibus Vico, & Balagnio. Huius Vxor ad milites concionatur; & argentum, atque aurum infructuosè spargit. Deditur Vrbs, & Arx cum conditionibus. Vxor Balagnij fame se necat. Fontani Comitis existimatio ex ea victoria. Albertus Archidux ad gubernandum Belgium ab Rege mittitur, comitante Philippo Auraico. Eorum iter ex Hispania Bruxellas, & magnifica exceptio. Quid de

hoc aduentu Fœderati ſenſerint; ac Mauritius præſertim. Horum literæ ad Auraicum; & reſponſio. Albertus agit de pace cum eis, nullo fructu. Eorumdem Edictum aduersùs Hiſpanos, & Societatem Ieſu.

DE BELLO BELGICO LIBER SEPTIMVS.

1595.

Cameraci situs, & descriptio.

La Schelda.

INTER Picardiam ex latere Gallico, Artesiam, Hannoniamque ex Belgico, situm est cum angusta sua ditione Cameracum. Vrbem Scaldis interfluit, aquis non admodum copiosus: quippe qui haud procul inde nanciscitur caput, atque ortum suum. Ambitus eius paulùm ultra leucam protenditur, antiquis septus mœnibus, multis tamen recentioris usus propugnaculis communitus. Fossà circumcluditur amplâ, profundâque, in quam Scaldis aquæ deriuantur, quâ partes Vrbis decliuiores sunt: quâ verò editiores, inanis ea est, sed ob soli opportunitatem altior. Ex hac parte Solem Orientem spectante consurgit Arx à Carolo Cæsare imposita, quatuor ingentibus propugnaculis in quatuor angulis, quibus definitur, instructa: atque ab eo latere, quod Agri planitiem respicit, lunatum habet in medio munimentum. Hinc ad Meridiem magis declinat solum; ubi porta patet, quæ Noua dicitur: maximè autem ad Solis Occasum, ubi alia porta à vicino Sancti Sepulcri templo nominatur. Vlteriùs procedenti occurrit, quæ Cantipratana appellatur: tum ad Septemtriones versa Sellana: postremò in editissima Vrbis parte, quæ ad Arcem vergit, Malliana. Has portas recensuisse, earumque positionem designasse non fuerit superuacaneum: quandò in obsidionis narratione non semel earumdem facienda mentio est.

Baloardi.

La Cittadella.

Mezaluna.

Di Cantimprè. Di Selle. Di Malle.

AD Vrbem defendendam prompti erant Pedites bis mille quingenti, Equites sexcenti: ad Arcis verò Præsidium quingenti Pedites Germani, Vallones, Galli, bellandi veteres omnes. Neque aut Vrbi, aut Arci deerant commeatus, tormenta, instrumentum bellicum, & quicquid postulat ad tuendum diuturna, & acris obsidio. Quæ omnia explorata Fontano; simul etiam Vrbis ambitus amplior, quàm qui suorum posset militum exiguo numero circumuallari (quippe triginta millia requiri ad tantum operis videbantur: cum ipsi dimidio pauciores essent) valde arduam, ac penè desperatam expugnationem ostentabant. Idcirco non defuere qui crederent, Comitis consilium fuisse,

Card. Bentiuol. lib. 2. Veterani. Vettouaglie. Munitione.

Campana. Thuanus.

non tam Cameracum tunc oppugnare, & capere, quod fieri vix posse prouidebat, quàm extructis in circuitu munimentis & subsidijs intercludere ingressum, & oppugnationem ad opportuniora tempora præparare. Attamen Prouinciarum, atque Antistitis Cameracensis assiduis impulsibus stimulatus, ardore militum incitatus, cæteris eiusdem anni victorijs eam quasi coronam imponere gestientium, sua quoque felicitate adductus; facinus aggressus est, quod audax videri principio poterat, ac supra vires; sed postremò futurum erat in omnem posteritatis memoriam gloriosum.

1595.

Fontanus Vrbem arctè obsidet.

Igitur Idibus Augusti propius Vrbem accedens, munimenta circum eam in hunc ferè modum erexit. Ex eo latere, quod magis vergit in Galliam, & quà faciliùs introduci subsidia poterant, hoc est inter Occasum, & Meridiem, ad Sancti Sepulcri portam, ingens extructum fuit quadratum munimentum, & quatuor propugnaculis terminatum, in Niernio Vico, siue Suburbio: eique præfectus Carolus Croyus, Chimacensis Princeps, cum octingentis Vallonibus, quos Hannonij conduxerant, suisque cataphractis Equitibus, & Sclopetarijs nonnullis. Minus aliud munimentum erectum est ad Occidentem Solem, quà se in Vrbem Scaldis insinuat, atque in fossam circumiacentem deriuatur. Illi à Premio vicino Cœnobio nomen fecerunt: & Bilium Comitem præposuere cum legione Germanorum, & ducentis Equitibus Hispanis. Alij trecentos fuisse tradunt Voluntarios milites Atrebatenses. Inter utramque munitionem arcuato circuitu ducti erant aggeres duo: interior alter ad urbanas eruptiones arcendas, alter exterior ad ventura subsidia distinenda. In eodem interiecto spatio septemdecim (alij septem numerant) assurgebant propugnacula eorum instar, in quibus solent circa mœnia Vigiles excubare: & singulis eorum viginti quinque milites fuerant ad custodiam attributi. Quo id etiam opportunè fiebat, ut quicquid eueniret, facilè posset, quasi per manus traditum, uniuersis Castris, & Duci renunciari. Exinde Septemtriones versùs procedendo, tertium spectabatur munimentum ab Sancta Olla denominatum, cuius Templum semirutum erat in proximo. Quamuis enim aliquot Historici Sancti Olai nomen adscribant: eorum tamen antiquissimus Iansonius Ollianam munitionem appellat: & Ollæ Templi eo situ meminere Scriptores rerum Belgicarum peritissimi. Similitudo nominis fortasse decepit. Eius defensio Ioannis Bonierij Auxiensis Domini curæ, cum ipsius Equitibus, & Vallonibus Peditibus demandata. Ad Ortum denique Solis, quà situs Vrbis editissi-

Circumuallationis descriptio.

Bentivolus. Coloma. Catherinus. Campana. Haræus. Thuanus. Carnerus. Forte. Baloardi. Guergni. Huomini d'arme. Archibugieri.

Reggimēto. Iansonius. Haræus. Venturieri. D'Arras. Trinciere. Sortite. Soccorsi. Fortacelli.

Iansonius l. 14. Io. Molanus in Indic. SS. Belgij. Aubertus Miræus in Fast. Belg.

1595. tiſſimus eſt, & arens foſſa; quàque propterea contrà eam aggeres ducere, atque impreſſionem facere commodiſſimum videbatur; maxima omnium elaborata munitio fuit prope Pagum Euendunram, alijs Eſcodeuam. Hîc præeſſe ſtatuit ipſe Fontanus: nec procul in alio pago Hero dicto ſtationem habere voluit Equitatum. Ambroſium verò Landrianum Velitibus, ſeu leuioris armaturæ Equitibus præpoſitum, cum eorum quadringentis, & ſexcentis Peditibus eam inſiſtere viam iuſſit, quæ Peronam ducit: & varios militum globos per diuerſa loca ſyluis obſita in inſidijs locare; ut aditum intercluderet ijs, qui molirentur in Vrbem ingreſſum.

Aggquartieraſi. Catherinus. Tartura. Caualli leggieri. Porre in aguato.

A Septemtrionibus, portâque Sellanâ ad Arcem uſque Solem Orientem verſùs longo tractu mœnia ducuntur: atque hinc ab eiuſdem portæ propugnaculo defenſantur: illinc ab altero in ſpeciem auris extante, cui Robertus Croyus Epiſcopus indidit ſuum nomen. Quoniam verò ductus ille murorum longiſſimus haud commodè poterat à propugnaculis tam procul diſſitis regi; lunatum in medio munimentum Cameracenſes extruxerant, Nuæ dictum, Mallianæ proximum portæ; quam huius belli occaſione clauſerant, terrâque aggeſtâ munierant. Ab hac ergo parte initium oppugnationi facere, & muros quatere Hiſpani decreuerunt: ac propterea validi erecti ſunt aggeres, atque Auguſtini Mexiæ cum maxima exercitus parte cuſtodiæ commendati, cui etiam poſt Fontanum tota obſidionis moles incumbebat. Tentata fuerant hæc opera varijs in ambitu murorum locis, ei labori præfectis Vidone Vbaldo Comite Paciotto, ingenij magni Iuuene in bellica præſertim Architectura; & Claudio Barlota, in Belgicis expeditionibus diu, multùmque verſato: verùm ubique laborioſiſſima experientibus accidebant. Namque in humiliore ſolo, quod interfluit, occultiſque meatibus ſubter alluit Scaldis; non infra palmum effodi terra poterat, quin aqua ſcateret: in altiore verò adeò glareoſa erat humus, & ſaxoſa, ut non ſine magnis ſudoribus, & ſpatio temporis diuturno aliquantùm progredi in ea molitione liceret.

Beutinolus. Riuellino. Orecchione. Cortina. Terrapieno. Aſſalto. Dar la batteria. Coloma. Catherinus.

Aggeres ad oppugnationem excitantur.

Non his tamen abſterreri difficultatibus potuit vel militum alacritas, natura, & uſu patientium laboris; quoſque tum recentium victoriarum memoria, tum ob oculos poſita ſpes ingentis ex Vrbe tam opulenta prædæ, animoſiores reddebat: vel magnanimitas Ducis, qui ſecurus vitæ, ſollicitus ſuæ, ſuique Regis gloriæ, aderat laboribus frequens, deſides increpabat, laudabat impigros, verbis, pollicitationibus, muneribus omnes ad opus perficiendum ſuccendebat. Hac ergo Ducis, & ſubinde

1595.

inde Rosnæi urgente præsentia, tam vehementer insudatum laboribus est: ut Calendis Septembribus aggeres duo statura hominis excelsiores perducti fuerint ad fossæ labrum: alter è regione propugnaculi Robertini, cui præsertim insistebat Mexia: alter contra Mallianam portam, cui cum suis Vallonibus præerat sub illius imperio Barlota.

Cameracensium strenuitas.

Catherinus. Campana. Gaspar Ens. Thuanus.

INTEREA non cessauerant Cameracenses (quicquid alij scribant) eminus tormentis continenter displosis, frequenter factis eruptionibus cominus opera disturbare. Neque desinebant identidem manus conserere modò Equites cum Equitibus, modò cum Peditibus Pedites, modò permixtè utrique. In Vrbe verò bellicæ virtutis in sexu imbelli miraculo erat Vxor Balagnij, quam alij Franciscam, alij Renatam nominant. Hæc in obsidionis oneribus sustinendis nihil Viro cedebat. Ipsa obequitabat mœnia, ipsa excubias diu, noctuque perlustrabat: animos addebat militibus, eorum necessitatibus prospiciebat: ipsamet dirigebat tormenta, ac displodebat: in omni denique militari exercitatione virum se potiùs, quàm fœminam ostentabat. Gallicam Semiramidem appellasses.

Vxoris Balagnij virtus militaris.

Botereius. Turtura. Thuanus. Grotius. Coloma. Carner. c. 16. Beyerlinch. Grotius.

AT nihilo segniùs Obsessores ad Vrbem oppugnandam sese accingebant. Iam ad fossam, aggeribus protecti, peruenerant: in eaque arida, veluti noua quadam in arena perpetui miscebantur conflictus. Iamque in propugnaculum Robertinum nouem directa erant maiora tormenta: in murum verò ei contiguum quatuordecim: in Mallianam portam decem: atque huc illuc, uti res posceret, conuertenda alia triginta. De his ritè collocandis controuersia fuerat inter Paciottum, & Barlotam. Ille optimum factu existimabat, si tormentorum vis in Robertinum munimentum, eique coniuncta mœnia dirigeretur. Huic verò longè fructuosius videbatur in Mallianam portam bombardarum impetum vertere, ut eius ruinâ contiguas domos secum trahente, facilis illac ad oppugnationem aditus aperiretur. Augustinus Mexia, quamuis in Paciotti sententiam procliuior; utramque tamen amplecti visus est, dum in utrumque locum dirigi tormenta iussit: magis ut hostem pluribus distractum partibus, in earum singulis debilitaret; quàm quòd ullum ad Mallianam portam exitum secundum speraret. In hoc apparatu rerum erat obsidio: cum quarto Idus Septembris nocturno tempore magnum in Vrbem subsidium introductum, omnibus Hispanorum obicibus, quâ solerter, quâ feliciter superatis.

Campana. Thuanus. Carnerus c. 11.

IAMDIU apud Henricum Regem iteratis literis, Nuncijsque Balagnius contendebat, ut ingens aliquod subsidium Camera-

co

1595. Bentiuolus. Campana. Thuanus. Coloma. Turtura. Aly.

co graui obsidione laboranti submitteretur. Annuebat petitionibus Rex; & qui probè norat, quanti esset momenti Vrbem illam, ac ditionem in Hispanorum vel imperium, vel patrocinium ab suo migrare, ipsemet eam suscipere decreuerat expeditionem. At quoniam ut ad eam se accingeret, alijs regni negotijs expeditus, aliquod requirebatur temporis interuallum; nè periculum esset in mora, unum quempiam è primis, & maximè expertis Galliæ Ducibus, quasi Antecursorem suum præmittere voluit, qui usquedum ipse adesset, obsidionem nauiter sustineret. Igitur Dominicum Vicum, Vrbis Sancti Dionysij Gubernatorem, ad hoc munus præ cæteris elegit: Virum cùm in alijs bellicis rebus, tùm maximè in obsidionibus exploratæ virtutis. Hic ex itinere Niuernensem in Oppido Sancti Quintini conuènit. Inde cum quingentis lectis militibus, quibus à draconibus fecere nomen, sub noctem ad hostilia castra perrexit. Tùm è recta via deflectens ad læuam, properauit ad portas Cancipratanam, & Sellanam; per earum alterutram meditans in Vrbem ingressum. Huius aduentantis subsidij certiores iam facti fuerant Fontanus, & Landrianus: ideirco iussi militum alij latere in insidijs, alij in via excubare, quibus ipse præerat Landrianus. Verùm paucitas militum cogebat minùs frequentes excubias esse, quàm oportuisset. Vbi ergo nocte intempesta Landrianus audiuit ab Exploratoribus, adesse subsidiarium hostem; misit extemplo ad Fontanum, qui maiorem ab eo militum numerum postularet. Fontanus id negotij reiecit ad illum, qui sibi erat à Secretis: hic ad Rosnæum. Rosnæus pro militibus schedam dedit ad Landrianum deferendam, in qua quid agendum esset id temporis, præscribebatur. Sed opportunius multò cùm fuisset auxilium illico dare, quod petebatur; quàm consilium, cuius abundè sibi esse unusquisque censet. Inter has exequutionis ambages, & moras parum tempestiuas, solers Vicus commodum nactus est spatium progrediendi. Occurrit illi quidem cum aliquot Equitum turmis, & Peditum centurijs Landrianus: sed cùm ignoraret, quanam ex duabus portis illaturum se in Vrbem hostis esset; ambarum, quæ ad eas ducebant, viarum medius constitit, ita sperans, se utramque interclusurum. At ipso callidior Vicus per Sellanam portam ingressum sibi moliri simulauit; atque in eam partem Landrianum, eiusque copias omnes pertraxit. Tùm celeritate maxima reflexit iter in portam Cancipratanam: eoque solemni astu militari Landriani diligentiam elusit.

Hērici Regis sollicitudo de mittēdo Vrbi subsidio.

Dominicus Vicus mittitur.

Campana. Caruerus.

Sentinelle. Spie.

Hispanorum tarditas ad obsistendum.

Vici solertia in hoste fallendo.

Stratagema.

In hunc modum Vicus prætergressus, atque ob raras paucorum

corum militum excubias, inter hostilia munimenta tutus à continentibus bombardarum ictibus, prouectus ad Vrbem, prope iam aberat ab ripa fossæ. Verùm dum sese, ac suos extra omnem discriminis aleam esse iam credit; repentè, atque improuisò animaduertit, extremis ordinibus suis Equitatum Italicum imminere. Ductus hic à Carolo Vicecomite ad hostem Vrbis ingressu prohibendum, irruerat effusis habenis. Nouum itaque Vicus ex mente fœcunda, atque ex arte bellica, quâ excellebat, comminiscitur dolum. Iubet extemplo suos ex equis se deijcere in pedes; & fugam capessendo, equos hosti relinquere, non tam ad prædam, quàm ad moram. Solers consilium secundauit euentus. Dum Itali toti sunt in arripiendis equis, certatimque inter se prædando: hostes effuso cursu ad Vrbem prouolant, in fossam se demittunt, à Cameracensibus intra mœnia cum summa utrorumque lætitia, plausuque excipiuntur. Ita Galli, qui præpollere dicuntur Equitatu, tunc ex equis desilientes, celeriùs quò tendebant, peruenerunt: Itali contrà equis aucti, redditi sunt ad hostem insequendum tardiores: & equis intenti, Equites amiserunt. Adeò plerumque solet cupiditas militarem virtutem non acuere, sed hebetare.

1595.

Italorum Equitũ incursus.

Ad eum eludendum Vici stratagema.

INGRESSVS Vrbem Vicus, nouos in eam inuexisse spiritus, animosque visus est: & diditam de se famam comprobauit: in toto Galliæ Regno neminem esse, qui pari arte, ac virtute obsessas Vrbes, aut Arces propugnaret. Suoque docuit exemplo, quanti sit ponderis ad obsidionem fortiter sustinendam vel unius viri solertia, atque experientia. Vniuersæ statim Vrbis ambitum circumspexit, & qua parte plus ab hoste discriminis imminebat, tum ob aggeres excitatos, tum ob tormenta disposita; eâ pluribus obniti remedijs, inuentisque militaribus conatus est. Inter propugnaculum Robertinum, ac Mallianam portam lunatum extrui iussit munimentum: quòd ex eo latere non satis defensa mœnia existimaret. Inter Mallianam, & Sellanam portas, modico distantes interuallo, supra terram interiùs muris aggestam, quadratam ædificauit planæ formæ molem; eique plures bombardas imposuit, quibus displosis hostium opera disturbaret. Alia multa tormenta collocauit ex aduerso illorum, quæ contra mœnia, & Robertinum direxerant Hispani. Varijs denique munitionibus fossam aduersùs inuasionem hostium instruxit. Cumque tormenta disposita exonerata fuissent in Obsessores; tantum ijs intulere damni, bombardis ipsorum obstructis, perfractis earum rotis, ac tiguis, cistis vimineis dissipatis, tormentarijs libratoribus, alijsque militibus peremptis;

Vici præstantia in obsidionibus sustinendis.

Diligentia in Camecaco munĕdo.

Colonna. Catherinus. Turtura. Mirteni. Thuanus. Campana. Carnerus.

Mezaluna.

Piattaforma.

Pistar pezzi.

Imboccare. Scanalcare. Gabbioni. Bōbardieri.

1593. ptis; ut nihil hi contra Vrbem, quod esset alicuius momenti, agere toto triduo potuerint. Neque minus habuere negotij ab urbanis eruptionibus, quæ post ingressum Vici longè quàm antea frequentiores fuere.

Far mine. *Cõtramina.* *Far volare.* *Sotterrare.*

Cuniculi à Cameracensibus acti.

EODEM tempore Cameracenses ob opportunitatem aridæ fossæ duos effodère cuniculos, subterraneis meatibus ad hostium tormenta pertingentes. Horum unus ab Hispanorum obuio cuniculo deprehensus, inanis, atque irritus fuit. Alter cum detegi nequiuisset, ad eum locum deductus, cui nouem impositæ bombardæ fuerant aduersùs Robertinum munimentum; igne concepto, pyrioque puluere, quo instructus erat, succenso; molem omnem superiectam disiecit, atque in altum vibrauit; tormenta quatuor discussa humo immersit, atque obruit; cætera inutilia reddidit in multos dies.

Catherinus. *Cõtrascarpa.* *Baloardo.* *Casamatta.* *Colubrine.* *Guardie.* *Fuochi artificiali.* *Fianco del baloardo.* *Interrare.* *Batteria.* *Cannoni.*

Barlotæ magnanimitas in oppugnando.

NON his tamen damnis, terroribus, periculis potuit Claudij Barlotæ animus generosus in primis, ab oppugnationis, cui præpositus erat, ardore languescere. Quamuis enim plurimos in progressu commilitones amisisset; nihilominus acriter suum opus prosequutus, tandem ad perrumpendam fossæ ripam mœnibus oppositam peruenerat. Quæ pars adeò alta erat, ut ad imum alueum descendi sine scalarum adminiculo non posset. Eas verò adhibere, ingentis res plena periculi videbatur: quandò hinc ex Roberti propugnaculo, illinc ex cœcâ cryptâ recèns intra fossam extructâ frequentia tormenta fulminabant. Quare necesse fuit longioribus quinque bombardis propugnaculum petere, nè suas illud exoneraret. Et ad cryptam occupandam, quatuor solidos dies pugnatum est, non solùm contra custodientes milites, sed etiam aduersùs ignes artificiosè inclusos, ac vibratos, quos pyrobolos appellant. Verùm & munimentum capere, tam validè propugnatum, plusquam arduum erat: & in propugnaculi latere tam scitè Vicus obtegi terrâ iusserat quinque tormenta, ut eorum ictus nulla ratione prohiberi ab hostibus possent. Quamobrem in bellico Hispanorum Concilio decretum: ut in locum humiliorem prope Sellanam portam tormenta transueherentur. Ibi magno totius Exercitus ardore laboratum est biduo in operibus extruendis: & duo supra viginti collocata tormenta, quæ aduersa mœnia quaterent: & sena longiora in Robertini latus directa, ut hostem ab infestandis inde Obsessoribus arcerent. Interea Barlota deliberato animo cryptam fossæ occupandi, alios duos duxit aggeres, eosque clam hoste ad illam usque perduxit: tùm eamdem cum suis adoriens, Defensores animosè fugauit, ac locum tenuit. Obice illo submoto,

Idem fossæ munimentum capit.

moto, cum iam libera relinqueretur Obsessoribus fossa; bombardas hi vehementer in Vrbem displodere cœperunt, & sese alacriter ad oppugnationem accingere.

1595.

Obsidionis huius difficultates.

VERÙM, ut maximum quodque opus haud leues habere solet obuias difficultates: non solùm in Vrbe, à militari præsertim ingenio, peritiaque Vici; sed in Hispanicis quoque Castris magna obstacula nacta est Cameracensis obsidio. Iam tùm enim ab exorsu prudentibus militiæ viris, atque utriusque partis conditionem expendentibus, res videbatur aggressu temeraria, progressu periculosa, exitu improspera. *Adeòque mirum non esse, si prudentissimus Dux, Parmensis Alexander, cæteroqui tam generosus in bellis suscipiendis, quàm in conficiendis fortunatus, à Cameracensi tamen obsidione Exercitum reuocasset. Iam verò hâc ultra mensem continuatâ, satis exploratum esse, iactabant, quotidianis experimentis, quàm validè ab omni parte munita Vrbs esset: quantis aucta viribus ad resistendum post ingressum subsidij, ac præcipuè roborata consilio Vici, Ducis rerum talium experientissimi. Atque ut illud subsidium nuper, & antea Retelensis intercludere non potuerint: ita ventura in dies alia, atque alia potentiora minimè prohibitum iri. In promptu iam esse Peronæ Niuernensem; & Pedites circiter quater mille, Equites ferè octingentos coëgisse: quibuscum haud dubiè venturum esse Vrbis subsidio, cui rem omnium charissimam, imò dimidium sui, Filium oppigneraßet. Henricum ipsum Regem cum maximis Regni viribus minimè defuturum tanti ponderis necessitati: iamque certis nuncijs compertum, eum ex Burgundia victorem in Picardiam properare. Tempus verò iam vergens in hyemem, & pluuijs, frigori, alijsque Cæli iniurijs obnoxium, infestum esse bellantibus, ac præsertim in alieno solo, & sub aperto Cælo. Milites diuturnis, grauibusque laboribus fessos, ab ardore, quem superiores victoriæ suscitauerant; ob vires hostibus additas, sibi imminutas, relanguisse: & iam quietem sibi magis deposcere, quàm per maiora pericula nouos honores, aut emolumenta. Denique quod non modò militum animos à prosequenda obsidione deducere; sed ipsius Ducis pectus magnanimum angere, atque ancipiti versare sententia poterat: penuriam esse maximam pecuniæ; quandò vicinæ Prouinciæ pollicendo, quàm soluendo largiores, dimidium tantum eius summæ, quam promiserant, contrahere, at numerare potuerant; eiusdemque pars magna in placandis seditiosis impensa fuerat, ut ad militandum cum Exercitu reliquo se conferrent. Quæ verò vel ex Hispania, vel ex Belgio expectabatur; tam parcè, tam serò (non præter solitum) transmitti: ut in summas se redactum angustias ad alendum Exercitum Dux videret.* His adeò non contemnendis rationibus plerique suadebant

Campana. Thuanus. Carnerus c. 13. Miræus. Coloma.

Ad eam soluendam incitamenta.

bant

1595. bant in bellico Senatu, ut prorsus obsidio solueretur: præstabilius multò ducentes, ultro sese inde cum prudentiæ laude recipere; quàm cum dedecore, ac damno, vel à Gallicis Exercitibus superuenientibus, vel ab extrema rerum omnium necessitate, ac desperatione propulsari. Adeòque apud omnes hæc inualuerat opinio, quam insinuare prudentia videbatur; ut scriptum nonnemo reliquerit: Stephanum Ibarram, è Regijs in Belgio Senatoribus unum, Sapientiæ gloria præclarum, Bruxellis profectum ad Castra (& simile veri est, non suo, sed Bruxellensis Senatus nomine, aut consulto id factum) quò solutionem obsidij Duci, cæterisque Principibus Exercitûs persuaderet. Et sanè sua vel doctrina, vel eloquentia, quæ in eo summæ erant, persuasisset: si ad virum orasset Fontano aut magis timidum, aut propositi minùs tenacem.

Mirteus.

Laxãdam obsidionem alij censent.

ALII, vel quòd parum decorum nomini Hispano, recentibusque victorijs aliquam inusturum notam eum receptum putarent; vel quòd adhuc spem expugnationis mente fouerent: non soluendam penitùs obsidionem dicebant, sed latiùs aliquantò retrahendam; & quatuor ingentibus circa Vrbem erectis munimentis externa subsidia coercenda. His ut sententias minùs animo suo consentaneas, & fortasse nec tempori congruentes, non refelleret modò, sed prorsus ex aliorum mentibus extirparet; ac nouo timore discusso, pristinum belli ardorem exsuscitaret; huiusmodi habuisse fertur Fontanus in bellico Senatu orationem.

Ad eamdem prosequendam Fõtani Comitis Adhortatio.

Mirteus. Campana. Thuanus. Carnerus. Bentiuolus. Lenarius.

Ad Cameracum obsidendum, non prædæ cupiditas, non ambitio gloriæ animum induxit meum, Principes generosi. Verùm, ut æquè Vobis, ac mihi compertum est, ditionis nobis creditæ tuendæ necessitas; atque iterata, enixaque prouinciarum Artesiæ, Hannoniæque obsecrationes, ad opus aggrediendum nos compulere, quod non modò supra spem, sed etiam supra vires esse videbatur. Quæcumque nunc obiectantur difficultates, iam tùm animo præcepi, cum primùm de hac suscipienda expeditione cogitaui. Neque enim nescius eram, & Vrbis ambitum ampliorem esse, quàm qui posset à nostro Exercitu, subsidijs aduentantibus circumcludi: & Niuernensem Ducem in proximo quantumcunque posset militum contrahentem, vel adducturum subsidia, vel missurum: & Henrico Regi hanc obsidionem curæ, ut nullam aliam, fore. Alexandri quoque Farnesij (qualis Ducis, & quanti!) deterrebat exemplum. Quis enim id operis aggredi minoribus instructus viribus auderet: quod ille tantâ belli peritiâ, tot captis Vrbibus inclytus, tot victorijs animatus deseruisset? Prospiciebam, si quid innecteretur obsidioni moræ (multum verò innectendum docebat Vrbs

natura, & manu munita, rebusque omnibus ad sustinendum diu bellum instructa) superuenturam hyemem infestam Obsessoribus in campo cum pluuijs, niuibus, frigore, luto, inundationibus pugnaturis: Obsessis verò secundam, intra sua tecta omnes aëris, ac tempestatum iniurias defendentibus. Neque ignorabam, pecuniam faciliùs multò sponderi, quàm numerari: & largas petentium aliquid conditiones, ubi voto potiti fuerint, dimidiato decrescere: adeòque à Prouincijs longè sperandum minus, quàm pollicerentur. Hispanica verò, Belgicaque pecunia quam lento procedat gradu, satis exploratum habemus experientiâ.

Ad obiecta respondeo.

Quid ergo? tot ac tantis difficultatibus exterrefacti, nostrarum Prouinciarum tam iustis petitionibus, nostræ fidei commendatæ regionis grauibus damnis, frequentibusque periculis opportunum remedium denegaremus? Licenter, ac liberè pateremur, paulò antè nobis addictum Cameracensem in Belgicos fines excursiones iterare, agros populari, prædas auertere, in Pagos impetum facere, spoliare, mactare, furentis instar procellæ, omnia desolare? Sineremus Balagnium Cameraci non Præfectum, sed Tyrannum, qui nunc has, nunc illas sequitur partes, prout opportunius esse videt ambitioni suæ; non solùm intra Urbem, intra ditionem Cameracensem, auaritiam, crudelitatem, tyrannidis formam omnem exercere: sed in nostras quoque regiones irrumpere, ac Prouincias florentissimas peruastare? Non id à nobis expectabat militaris disciplina, quam profitemur; non quam à maioribus hausimus, generositas sanguinis, animi magnitudo; non Rex ipse Philippus communis nostrum omnium Dominus, qui nostræ virtuti commisit Belgium suum, à quouis vexante hoste tutandum. Igitur non temerè, nec nisi plurimis, & iustissimis impellentibus causis Cameracensem suscepimus obsidionem. Eamdemque, ut facilè meministis, satis feliciter auspicati sumus.

At enim post inducta subsidia, præcipuèque secundum; res nostræ retro sublapsæ, ab illo cursu prospero deflexerunt. Utinam ad ea distinenda diligentiam, cautionem, solertiam adhibuissemus omnem. Neminem tamen singillatim incuso. Caligat humana sæpè prouidentia: eaque difficulter introspicit, quæ præsertim dolosa mente clauduntur. Ad arcenda subsidia insidias ex arte bellica struxeramus: sed hostis insidiosior, & æquè veterator, ac veteranus, his artes nostras elusit artibus suis. Quare militares dolos, atque astus tam perito Magistro facilè concedentes; nos, quæ nostræ sunt artes, robore, ac virtute pugnemus.

Id verò nè toto pectore, ac pristina, consuetaque in alijs conflictibus alacritate peragamus, quid tandem vetat? Num Cameraci expugnatio desperata, Parmensis Ducis exemplo? At non hic Alenconium

cum

1595. *cum ingenti Exercitu habemus, ab altero latere opprimentem, dum urbanis eruptionibus ab altero premimur. Qua gemina vi coactus sapiens Alexander ab obsidione suas copias reuocauit. Niuernensem fortasse quis obijciat pro Alenconio. At quàm illius ex omni parte dissimilem? Et eum quidem post tot exactos obsidionis dies nondum videmus. An quòd satis ad Vrbem tuendam censeat iam immissa subsidia? An ut maiora contrahat, ac submittat? Nisi potiùs ingentem, ac planè regium ab Henrico expectet Exercitum; cuius aspectu solo nos obruat, ac profliget? Quacumque illum causa tamdiu moretur: eius cunctatio nostra fortuna est; cui si bellando fortiter obsecundemus, Vrbem, Deo volente, priùs expugnabimus, quàm ipse ad eam propugnandam accedat.*

Verùm Henricum Regem longè superiorem Alenconio, nec unius, aut alterius Vrbis, sed totius propè Galliæ debellatorem, accurrentem auxilio, Xerxis, si Deo placet, copias adducentem, & iamiam Castra Castris opponentem, aliquibus terrore attonitis obiectat vel vulgi rumor inanis, vel indignus militari animo timor. Nihil equidem in votis habui magis, ex quo ad Belgicam Regis nostri ditionem, quà consilio, quà manu tutandam profectus sum; quàm Henrici Regis virtutem, artemque bellandi toto inclytam orbe terrarum, experimento meo, atque periculo exploratam habere. Quid enim in hac breui, fluxaque vita contingere mihi gloriosius possit, quam cum eo Rege, summoque bellatore pugnare, cuius vel manu cecidisse decorum est? Sed non hæc mihi fortuna; non hoc discrimen timidis impendet. Alibi suum habet Cameracum, quod propugnet Henricus; imò prouincias, & regna magis, ut censet, sua, quàm Cameracum. Alibi armatam contra se Hispaniam experitur: & quidem longè præstantiore sub Duce, Castellano Comite Stabuli; qui non eum sinit à suo conspectu discedere, nisi pœnam subire velit ignominiæ sempiternæ. Relinquat ergo Henricus imminenti hosti prædam Burgundiam, quam retur suam, ut alienæ ditioni Cameracensi succurrat? eius nota prudentia securos nos ab eius aduentu facit.

Haraus. Miræus.

Quid ergo præterea sit, cur obsidionem soluere compellamur? Vrbis ambitùs amplitudo? At eam quòd circumuallare numero militum exiguo non poteramus; erectis passim munimentis obsepire curauimus, eâ præsertim parte, quà traducenda erant subsidia Gallica. Eiusdem Vrbis maior ab ingressu Vici munitio? Verùm hæc obstare non potuit, quo minùs hostili munimento in fossa nuper extructo potiremur, & fossam ipsam nobis peruiam magis, quàm tutam hostibus haberemus. Quacumque Vicus ingenio comminisci, vel arte moliri potuit aduersùm nos, commentus, & molitus iam est: & adhuc tamen circa Vrbem stamus; adhuc aggeres nostri fossam attingunt, extremumque

Vrbi

Urbi minantur excidium, ubi sub eorum umbra impressionem in eam alacriter faciamus: adhuc nostra tormenta contra inimica mœnia tonant, ac fulminant, euque grandine ferrea vastitatem intentant. Quid ergo dubitamus operi tam bene cœpto, tam prope ad exitum adducto, supremam, eamque viribus cumulatam omnibus manum imponere? Quid reliquum iam est, nisi perruptis acri, & continenti tormentorum concussione muris, Urbem inuadere, oppugnare, expugnare?

1595.

Hyems verò paulò post superuentura, belloque importunissima, tantum abest, ut nos ab obsidione reuocet; ut ad eam potiùs urgendam, Urbemque celeriùs oppugnandam incitet, & (si Superis ita visum fuerit) capiendam antè, quàm appetat adeò rebus nostris infensa tempestas. Idem de lassitudine, & languore militum intelligite: qui si breui tempore summos adhibuerint conatus, neruosque omnes contenderint ad fortiter pugnandum, feliciterque vincendum; non diuturnam modò sibi quietem parient, sed æternos etiam honores, & maxima emolumenta. Contrà si turpiter infectum opus destituant; & laboris omnis hactenus exacti pænitebit, & quicquid antea consecuti sunt gloriæ decolorabunt. Ipsa demum pecuniæ summa egestas, quam patimur, quid persuadere nobis videtur aliud, nisi ut animis, viribusque omnibus conuocatis, expugnare quamprimùm Urbem enitamur, cuius opulentia, congestique per fas, & nefas à Balagnio thesauri, tam opportunè, quàm copiosè indigentiam nostram subleuabunt? Illa tot laborum pretiosa merces, illa huius expeditionis destinata meta, illa nostrorum summa votorum metum omnem propulset, languorem, ac torporem excutiat, pristinos restituat spiritus, exacuat animos, exaggeret vires: ut cæteris mensium quinque victorijs, Huyo recepto, Castelleto expugnato, Dorlano cum Arce capto, Exercitui Gallico profligato Cameracum ipsum cum sua ditione, geminisque subsidijs debellatum, gloriosissimam coronidem imponat. Præter hanc huius anni felicitatem, haberem alia, quibus animos vestros inflammarem, certò speranda argumenta victoriæ. Sed non omnia palàm prodi possunt. Exitus ipse rerum, ac parens veritatis tempus, in medium ea proferent: apertumque facient omnibus, an ego sapienter, an temerè obsidionem continuandam, urgendamque censuerim.

Quòd verò visum nonnullis est, eius formam situmque commutandum, atque ex arctiore laxiorem eam instituendam: nihil equidem nouandum existimo; tùm quòd nouum obsidionis laboribus, periculisque faciendum esset initium, cum extrema militum molestia, ac propè desperatione; tùm quia venientibus subsidijs multò difficiliùs obstrueretur aditus; & his in dies augescendi, atque Obsessis magis, magisque se muniendi commodum tempus daretur. Denique in celeritate sita victoriæ nostræ spes omnis est.

Quid

1595.

Quid ergo vos ultra moror? Ite Principes generosi: imperio, exemploque vestro milites ad bene inchoatum opus perficiendum accendite. Ipse ego nunquam desinam consilijs, auxilijs, præsentiâ, mente, manu, ubicumque oportuerit, tanti momenti rem promouere: certus in hac obsidione vel referre victoriam, vel vitam profundere. Ite alacres ad summam, finemque tot laborum. Pronior est, mihi credite, propiorque Cameraci expugnatio, quàm quisque sibi persuadere possit.

His verbis magnanimi Ducis, & quasi certâ victoriæ spe sub eius verbis latente, exploratâque vel Ducis, vel Exercitus eo anno felicitate; nimium quantum animorum hauserunt in Concilium coacti Militiæ Principes. Eosdem animos inde digressi suis militibus communicarunt. Moris est Imperatoribus, non minùs consilij, quàm virtutis egregijs, arcana quædam rerum gerendarum alta mente reposita clam alijs habere. Id tùm optimè præstabat, ut alia perfecti Ducis munera, Fontanus.

Bentiuolus.

Coloma.

Cameracensium aliqui ad deditionem proni.

Acceperat ipse non semel à Cameracensi Archiepiscopo Ludouico Barlæmontio, esse in Vrbe plerosque tam infensos Balagnio, ceu Tyranno, quàm Archiepiscopo beneuolos: atque ut eius exilio mœrentes, ita reditum summo studio affectantes. Horum operam pollicitus identidem fuerat Comiti Barlæmontius, ut alios unà secum ad Hispanorum Partes adiungeret: quod facillimum erat in Ciuitate iamdudum Balagnij, Vxorisque tyrannidis pertæsa. Ab his factum iri deditionem Vrbis, Archiepiscopus idem asseuerabat. Adeòque frequentibus ab eo rogatum precibus Fontanum ferunt, ut oppugnationi Vrbis ultro dedendæ parceret; neu militaris sæuitiæ vestigijs sineret suæ Sponsæ faciem deformari. His præsertim adductus pollicitationibus Comes tam arduam obsidionem & principio suscepit alacriter, & prosequutus postea constanter est. Cùm tamen voluntariam deditionem diutius trahi, quàm sperauerat, animaduerteret; nè longior mora vel nouis subsidijs, vel incommodæ tempestati locum daret, ad oppugnationis apparatum animum omnem adiecit.

Iansonius. Haræus.

Fontanus claudit aditum subsidijs.

Sed antea, quò venientibus subsidijs præcluderet aditum; ex ea parte, quæ Peronam spectat, ubi Niuernensis morabatur, vias omnes interrumpi iussit, atque aggeribus obstrui. Ad earum caput munimentum erexit, quod custodiri voluit à Gastone Spinula, patriâ Siculo, sed origine Ligure, cum Peditibus mille. Ita deinde dispositus reliquus Exercitus erat: ut ad minimum quemque motum conclamatis armis, planitiem uniuersam, quâ munimenta deerant, militum directæ acies occuparent. Harum latera Equitum turmæ, frontem minora tormenta

Campana. Catherinus. Thuanus.

Aubertus Miræus in Chron. an. 1605.

Squadroni. Fianchegiare.

ta muniebant. Quibus in hunc modum distributis, nullus Gallis ad Vrbem dabatur accessus, nisi vel per manifesta pericula, vel per iustum cum Obsessoribus prælium.

1595.
Artiglierie minute.
Giornata.

Omnia parat ad oppugnandum opportuna.

Bentiuolus.
Riparo.
Batteria.

AD oppugnationem verò præparandam, iussit Fontanus erigi excelsum terræ aggerem, qui tegeret maiorem seriem tormentorum, Mexiæ curæ commissam, ab ictibus bombardarum, quas Vicus è quadrato munimento ab se recèns extructo displodi mandauerat. Tùm in editiore tumulo extra Portam Sellensem, qui eidem munimento imminebat, aliquot collocata tormenta, ut non solùm hostilem eam vim debilitarent: sed muri quoque longitudinem, inter eam portam, & Nuæ propugnaculum interiectam, quateret, ac perrumperet: imò simul Vrbis domos infestaret. Varij quoque diuersis locis in fossam descensus aperti: tùm quò plures paterent aditus ad impressionem celeriùs faciendam: tùm etiam quò multas in partes Defensorum distraheretur cura, multitudo segregaretur, & rarescerct, atque ab ea potissimùm parte diuerteretur, quam oppugnare decreuerant.

Piattaforma.
Pezzi.
Cortina.
Scortinare.

Eiusdē in suo munere diligentia.

AD accelerandam oppugnationem, qua in re maximè positam victoriæ spem Fontani sagax animus prouidebat; ipsemet uniuersa lustrare Castra, munimenta circumspicere, tormentorum loca animaduertere, situs, tumulos, aggeres, opera omnia diligenter examinare. Vbi debilius cognoscebat Præsidium, supplere militibus: ubi parum tutum videbat à displosionibus hostium excelsiorem bombardarum situm; eas propius terram declinari, ac penè inhumari iubere: & quâ mœnium parte frequentior apparebat numerus Defensorum, eò plura dirigere tormenta. Quoniam verò prudentissimus Dux optimè norat, maximum ad victoriam afferre momentum, pugnam, quo par est ordine, atque ex præscripto militarium legum committere; ad hanc præcipuam oppugnationem certas promulgari leges voluit summo iure seruandas. Quas in alijs oppugnationibus exemplo posteritati futuras hîc subtexere non piget.

Interrare.

Leges ab eo latæ oppugnationibus perutiles.

DVO Militum millia sub imperio Rosnæi accincta esse iussit ad oppugnandum, aggeribus protecta. Tùm edixit, ut facto, perspectoque idoneo in mœnibus hiatu, ad impetum faciendum quinque Centuriones procurrerent: Hispani duo, tres alij Burgundio, Vallo, Germanus: singuli cum Hastatis viginti, totidemque Mosquetarijs, & Sclopetarijs. Adessent quoque vigintiquinque utrâque manu pyrobolos, instrumenta ignem iaculantia, præferentes, quibus Defensores arcerent. Quòd si arduus admodum esset ingressus, firmare conarentur supra mœnia

Campana.
Carner. c. 13.
Colonna.
Thuanus.
Riconoscer la breccia.
Capitani.
Picche.
Moschettieri
Archibugieri.
Fuochi artificiali.

1595. *Alfieri.* nia vestigium: duoque pone illos in promptu Signiferi starent cum quinquagenis quisque militibus, qui ligonibus, & palis instructi forent; ac totidem subsequentibus cum crassis asseribus, refertis terra sacculis, ramalium fascibus, similibusque adminiculis, quibus aggerem extempore ad se tegendos omnes excitarent. Si quinque illi Centuriones feliciter in Vrbem irrumperent; tùm eos totidem sequerentur Centuriones singuli cum octogenis ex quauis natione bellatoribus, & quinquagenis dispergentibus pyrobolos inter hostes. Vbi verò Vrbem primi, ac secundi tenerent; alij quinque Centuriones progrederentur cum sexcentis militibus, quorum ducenti essent Hispani, cæteri ex quacunque natione centeni. Qui verò ex duobus millibus supererant, ad aggeres subsisterent, continentibus Defensores ictibus infestantes. Ijs omnibus introgressis, Centuriones duas instruerent acies, qua Vrbis parte maximè opportunum iudicarent: pœnâ capitis propositâ prohibentes, nè quis militum desereret locum, donec hostem haberent obsistentem. Ita verò dispositæ acies essent, ut auxiliari sibi mutuò, & succedere possent: quemadmodum etiam tertiæ immittendæ, ut erumpentem ab Arce hostem coërceret. Captâ Vrbe, Decuriones quaterni vias occuparent, vetantes, nè domus darentur flammis, neu diriperentur, antequam potestatem eius rei faceret Imperator: illisque non secus atque huic parêrent Milites. Capite quoque sancitum, nè quis quicquam è templis raperet: quæ verò in eis deposita quò tutiùs seruarentur, custodienti mercedem fore. Ad pyrium puluerem, fomitem, & plumbeos globulos, quocumque foret opus, perferendos, certi essent homines constituti, qui sibi diligenter ab infortunijs cauerent. Locis unde tormenta displodebantur, frequentes adessent ei muneri cum summo imperio præfecti, Augustinus Mexia, & Alphonsus Mendozza cum Bombardarijs, alijsque Administris, vetito cæteris omnibus ingressu. In Castris reliquus exercitus cum Vexillario parato consisteret, Sancijque de Luna, & Francisci Almansæ centurijs. Ad Ollianum munimentum acies directa staret sub Aumalij Ducis imperio: eique se cum suis adiungeret Aluarus Osorius. Inter munimentum Premij, & quod est ad Sancti Sepulcri portam, instructi milites essent, quos Auellini Princeps regebat, unàque quibus præerat Ioannes Ciacconus. Per alia denique munimenta aliæ passim acies cum suis moderatoribus distributæ. Nec minùs Equites ad discurrendum expediti, quàm Pedites ad obsistendum armati, suis quique locis opportunè dispositi. Peruigil quippe prouidentia Ducis non minorem im-

Fascine. *Trinciera.* *Capitani.* *Squadroni.* *Sbandarsi.* *Darsi mano.* *Sortire.* *La Cittadella.* *Caporali.* *Metter' à sacco.* *Generale.* *Miccio.* *Palle.* *Batterie.* *Guidone.* *Compagnie.* *Caualli leggieri.*

pendendam censuit curam in oppugnatione, ad prohibenda Vrbis accessu ventura subsidia, quàm ad eamdem Vrbem accommodatis irruptionibus inuadendam.

ILLVD etiam sapienter cauit: ut si de hostis aduentu fierent certiores; omnes unà milites aduersùs eum procederent: quod si is bipartitò accederet, binis agminibus obuiam irent, quæ sibi inuicem opem, ac supplementum darent. Ad eum namque finem opportunis locis parati pontes erant: pœnâque capitis vetabatur é suo quisque loco discedere, nisi facultate ab eo, qui præerat, impetratâ. Quod si quid accideret tumultûs, aut in Vrbe ob rerum perturbationem, aut in Castris ex hostium aduentu; graui multâ interdicebatur Equitibus, nè in Vrbem ingrederentur. Eodem ingressu prohibebatur quicumque Miles non esset, vel Bombardarius. Edictum quoque fuit, ut haberentur in promptu bombardæ cum suis plaustris, instrumento, Ministris; quòcumque vocaret necessitas, promouendæ. Fontano Duci adessent Varambonius Marchio, Ioannes Pernestainus, Maximilianus Dietrichstanus, alijque principes Viri, in consilium subitò pro quauis opportunitate venturi. Ad iussa verò imperatoria per varias partes sine confusione perferenda, certi quidam Centuriones, ac Præfecti militum nominati, quibus fides ab omnibus haberetur. Denique seuerissimè interdictum ijs, qui sub aggeribus essent, nè ad oppugnandum irruerent, nisi iussi. His tam multis, ac tam diligenter, distinctèque latis legibus meritus videtur Fontanus, ut Cameracum sapienter oppugnando feliciter expugnaret: aut potiùs ut Deus geminâ felicitate præuerteret hinc oppugnationis in Vrbem, hinc pugnæ contra immissa subsidia periculum, & laborem.

Marciare.
Darsi mano.
Lasciar' il posto.
Carri.
Munitione.

QVOD ad subsidia pertinet; non unus fuerat rumor, ingentes copias ab Niuernensi contractas ad opem Cameracensibus ferendam. Eas Bullonio commiserat deducendas: qui nocte quadam per insidias in Vrbem illas introducere meditabatur. Sed in medio conatu, in hunc modum perturbata res est. Ad conuocandum militem, cuius in tanta obsidione summam experiebatur Fontanus necessitatem, in varias partes Nuncios, literasque transmiserat. Ad Italos præsertim, qui Tillæmontem secesserant, humanissimam Epistolam dedit, promissionum, atque argumentorum plenam, quibus eos ad se reuocare contendebat. Idemque officium iterauit. Illi de re proposita in consilium venientes, post multa in utramque partem dicta, ad extremum, ut tam præclaro facinore pristinæ secessionis notam expungerent; assentiri Fontano decreuerunt, multis tamen condi-

Campana.
Carnerus.
Thuanus.

Itali seditiosi à Fontano inuitati ad obsidionē veniunt.

di-

1595. ditionibus utilitati; atque existimationi suæ commodis interie- ctis. Alias quoque inter se leges sanxerunt seuerissimè obser- uandas. In quinque verò cateruas distributi discesserunt Equi- tes ferè septingenti: qui tamen veterani cùm essent, optimèque armis instructi, & ordine apto dispositi, duplo maiorem nume- rum præ se ferebant. Hastatorum erant Cohortes duæ, totidem Mosquetariorum, una Loricatorum. Bruxellis prætereuntes fue- re Vrbi spectaculo, à Principibus, qui aderant, Viris eximiè commendati. Accesserunt ad Castra tam opportuno tempore, ut nullo magis. Iam enim Bullonius cum subsidio ad Vrbem properabat. Verùm in itinere ab uno Exploratorum fit certior, ingentem hostium multitudinem aduentare: ab altero paulò post cognoscit, eos adesse. Cumque numerum rogaret, respon- dit is: videri sibi supra mille quingentos Equites lectissimos. Hoc audito Bullonius per eadem vestigia retrocessit.

Lancie. Corazze. Spie.

In itinere Galli- cum subsidiũ im- pediunt.

Qvod verò spectat ad oppugnationem; iam omnibus, uti supra memoraui, præparatis, vehementibus, ac frequentibus bombardarum ictibus illi aperiebatur via. In Portam Mallia- nam decem Barlotæ tormenta fulminabant: in murum ab ea pertingentem ad Robertinum propugnaculum, quatuordecim Mexiæ: eiusdemque nouem in latus recuruum, instar auris, ipsius propugnaculi: alia in recens quadratum munimentum, inque Vrbis domos ex editiore tumulo cum pari terrore, ac de- trimento exonerabantur. A prima luce per octonas, & amplius horas concussa mœnia, talibus, ac tantis fatiscebant ruinis: ut iam ad faciendam impressionem Hispani ardore incredibili anhelarent. Sed noua res, quæ nuper in Vrbe acciderat, quod moliebantur opus interturbauit.

Oppugnatio ur- getur.

Orecchione. Piattaforma. Breccia.

Eadem interrum- pitur ab re noua.

Cameracenses assueti placido parère Archiepiscopo- rum imperio, ægerrimè semper tulerant superbum Balagnij dominatum: ex quo præsertim Henricus, ab Gallico Regno dis- secans eam ditionem, feudi nomine eidem subiecerat. Asperis Tyranni potiùs, quàm Principis moribus, auaroque animo cu- mulum addebat Franciscæ Vxoris ingenium, quàm conueniens marito, tantumdem subiecto populo Ciuibusque intoleran- dum. Quippe propriâ fœminarum superbiâ, ad congerendas opes rapacitate, cuiusuis ordinis, aut conditionis hominum contemptu, se in omnium odium, omnes in summam despe- rationem adduxerat. Quamobrem ad primum huius obsidio- nis rumorem, legati à Ciuitate fuerunt ad Henricum Regem è præcipuis Ciuibus duo per speciem petendi subsidij: re autem verâ, ut ei publico nomine significarent: si vellet eius Vrbis

Catherius. Bentiuolus. Coloma. Carnerus. Turtura. Thuanus. Campana. Rodolp. Botereius.

Cameracensium odiũ in Principem Balagniũ, & Vxo- rem.

Eorum legatio ad Henricum Regem vana.

imperium adimere Balagnio, & Gallicæ Coronæ subiungere, Ciues suis sumptibus alere paratos Præsidium, Vrbemque contra Hispanos tueri sine ullo Regis impendio. Sed quem semel euexere Magni Principes, haud facilè deprimunt: vel nè damnare videantur iudicium suum; vel quòd ille contra pericula se prouidè munit. Igitur infectâ re cum reuertissent Legati, Ciues ad extremam desperationem adacti, iam ad Hispanos magis, quàm ad Gallos propendère. Accedebat in plerisque Archiepiscopi relegati, & aliquorum cum eo Canonicorum exulum Consanguineis, amicisque desiderium, & spes eosdem per Obsessores recuperandi. Denique procliuibus ad deditionem animis supremum impetum dedit, quod Balagnius exhibuit, eius facilè Vxor excogitauit, auaritiæ palmaris argumentum. Nummos cudi iusserunt æreos (siue, ut aliqui scribunt, plumbeos, siue coriaceos) cum aurum, atque argentum omne in ea obsidione defecisse dictitarent; edixeruntque ut ab omnibus passim in commercijs usurparentur argenti pretio; pollicendo, mox liberatâ Vrbe, eos in argenteos, & consuetos permutatum iri. Erant autem quadrati, impresso in parte altera Gallici Regis insigni: in altera Cameraci, & Balagnij. Sed plerique nummos illos accipere recusarunt, vel de obsidionis exitu dubij, plusque metuentes, quàm sperantes, vel nihilo magis certi de illorum Principum fide. Quare vt eorumdem Edicto pareretur, multa facienda vis fuit, multoque vehementiùs omne genus hominum exasperatum.

1595.

Balagnij auaritia.

Haræus. Campiglia.

Coloma. Campiglia.

Tumultus inde excitatus.

A Populo, qui ad omnem auram facilè commouetur, turbarum initium fuit. Is cùm animaduertisset Balagnium, & militum partem maximam in mœnibus occupatam, oppugnatione hostium sustinendâ; ad arma repentè concurrit. Tùm ad suas Partes, consilijque societatem ducentos Cameracesij Equites pertraxit, qui à Ciuibus conducti forum ex altera parte tuebantur. Atque Heluetios totidem, qui partem alteram custodiebant, iam inclinatis inuadebant hastis, ut loco pellerent: cùm illi inuadendi causâ cognitâ, pacem illico, imò fœdus inter se contra Balagnium sanxerunt. Quippe hi non minus, quàm illi tyrannidem eius, auaritiamque præsertim in recenti permutatione nummorum exectati, infestissimo in ipsum animo erant. Imò Scriptorum aliqui Heluetijs potissimùm tribuunt hanc rerum conuersionem. Igitur tot in unum Centuriæ conspirantes forum principio suis vallatum armis, & curribus, alijsque obicibus impeditum tenuerunt. Tùm ad arma per Vrbem conclamantes, ad Sancti Sepulcri portam procurrerunt, quæ ut ab Oppu-

M. Ianson. lib. 15. Haræus. Gaspar Ens.

Cameracéses deditionem parant.

1595. pugnatoribus maximè remota, indiligenti custodiâ seruabatur. Caracciolus Auellini Princeps, qui ad eam portam suam instructam aciem habebat, ubi clamorem illum audiuit, suspicatus aliquod subsidium in Vrbem induci, statim eò cum agmine suo densato conuolauit. Propior factus, accipit, velle Ciues eam Obsessoribus pandere portam, ac deditionem facere. Sed res tam noua, tam insperata prudenti Principis animo persuaderi non facilè potuit. Magna quippe felicitas, uti rara est, ita apud sapientes, qui rerum experti sunt, si præsertim inopinata contingat, rarò inuenit fidem. Quinimò, magis ex usu peritorum Ducum, timuit Caracciolus innecti sibi, suisque militarem aliquem dolum: qualis esset, si deductam aciem totam ad fossæ ripam subita è mœnibus tormentorum displosio labefactaret. Quare cæteris sub aggeribus relictis, ipse cum delectis militibus centum accessit propiùs: cautè tamen se gerens, cùm videret magnum concursum hominum ad murorum loricam. Sed mox ab iisdem monitus est, ut ad stationem se reciperet: quid enim vellent, se per certos homines ei significaturos.

Stratagema.

Cortina.

DVM hic cum hoste congressus pararetur; iam Balagnius, & Vicus, aliique Principes Viri, audito tumultu, ad eum sedandum accurrerant. Quærentibusque, *Quid rei noua id esset*; Multitudo respondit: *Velle se sua saluti consulere, seque impendenti exitio subducere, deditionem antè faciendo, quàm suismet oculis viderent, suas domos diripi, violari Vxores, Filios trucidari. Quarum calamitatum infandum nuper dedißent vicina Vrbes exemplum.* Horruerunt animi Principum ad tam desperatam deliberationem. Ac Balagnius quidem, (aperiente oculos infortunio, quos fortuna dulcis occluserat) tùm demum agnouit: violenta imperia diuturna esse non posse. Cùmque se tam inuisum omnibus intelligeret, ut si tumultuantes alloqueretur; oleum, non aquam, aspersurus esset incendio: Vico id muneris concessit. Hic solerter animaduertens eorum, qui conspirauerant, numerum ingentem, animos præferoces, corpora armis munita: & quod pluris erat, ab iis non modò forum, & vias ferè omnes, sed unam quoque è portis occupatam, quâ poterant, ubi libuisset, introducere Hispanos; non vi, aut imperio cum iisdem agendum censuit, sed mollibus verbis, blandisque consiliis. Imò neque illos ab sententia, in qua nimis obstinatis perstabant animis, deducendos, atque à deditione auocandos ratus est: sed eorum furori, ac desperationi obsecundando, solùm innectendas artibus moras, & dedendi terminum prorogandum.

Balagnius, & Vicus eam impedire conantur.

IGITVR composito ad omnem benignitatem vultu, in eos me-

Vici ad populum concio.

medios progressus: *Se quidem* (altâ voce pronunciauit) *non alia de causa in Vrbem eam obsessam semet inclusisse, nisi ut suis laboribus, & periculis Cameracensium salutem, ac decus tutaretur; ita iussum ab suo Rege, qui eos non secus ac filios adamaret. At quandò ipsi censerent, ac vellent conuentis potius, quàm armis quærere, atque in tuto locare salutem suam; eorum voluntati obluctari se nolle; vel utra præstaret sententia, disputare. Unum se eos pro sua beneuolentia monere: ne præcipites ruerent ad se dedendos Hispanis, sine publica fidei vadimonio. Expenderent antea diligenter, in quas conditiones cum hoste conueniendum esset: easque conquirerent, ac postularent, quàm maximè fieri posset sibi commodas, atque honorificas.* 1595.

His Vicum artibus usum ferunt ad deditionem morandam: si fortè tempus interea, uti fit, obicem aliquem interponeret: utque spatium componendi res perturbatas daretur: aut etiam ortum inter eos dissidium, pro more multitudinis facilè conspirantis, faciliùs deficientis, tumultum illum dissiparet. Per eam quoque moram licebat Vico militem suum in Arcem tutò recipere. Et quidem persuadere nonnihil visa principio est vel auctoritas viri, & beneuolentia, vel accommodata tempori dissimulatio, & suis prætexta consilijs monitorum salubrium propositio. Hæc namque fuisse traditur causa, cur accedentem Caracciolum non admiserint: polliciti, se per Internuncios cum eodem acturos. Nec multò post præcipuorum Ciuium par ad eum legarunt. At Princeps eam legationem accipere supra suam auctoritatem esse cognoscens, Ciues illos iussit à duobus militaribus Præfectis honorificè ad Fontanum deduci. Longius huius cum illis colloquium fuit, quandoquidem conditiones attulerant sibi valde amplas. Vnum tamen ab eo impetrarunt: ut interea dum de conditionibus ageretur, Vrbem quatere tormenta cessarent. Idque tùm facilè concessit Comes, cùm ex Auellini Principe certò comperit, Sancti Sepulcri portam in eorum esse potestate, qui deditionem faciebant.

Campana. Carnerus.

Legatio Cameracensium ad Obsessores.

Hæc inter Vxor Balagnij, suorum non minima causa malorum, ut nullam boni Imperatoris partem in se desiderari pateretur; militarem quoque concionem habere voluit ad Ciues, Populum, & Milites in deditionem coniuratos. In ea filios appellabat, quos antea pro mancipijs habuerat. Vanum timorem redarguebat. *Insanam esse desperationem*, aiebat, *salutem sperare ab hoste auri, & sanguinis sitiente magis; quàm ab Vrbe munitissima, ab Arce inexpugnabili, à fortissimis Ciuibus, à subsidiarijs Militibus, eorumque Ducibus egregijs. Nihil per tot obsidionis dies peruincere potuisse Hostes. Quid effecturos in posterum, hinc Exercitibus*

Campana. Thuanus. Carner. c. 15.

Vxoris Balagnii concio.

Gal-

1595. *Gallicis, illinc hyemali tempestate obrutos, atque oppressos? Quòd obsidionem haud soluerent, non Vrbis expugnandæ fiduciam esse; sed exploratam pertinaciam Ducis, existimationem, & gloriam suam saluti suorum anteferentis. Quid verò in manus Hostium ultro se dare cogitassent? Si quibus nummi ærei, pro necessitate temporum distributi, indignationem commouissent, nec paterentur ad eos permutandos finem obsidionis expectari: iam tùm scirent, sibi, Coniugique, ac Domino suo chariorem esse Ciuium salutem, amorem, quietem, quàm quod undecumque terrarum congeri posset, aurum argentumque. Cuius rei manifestum acciperent eo ipso tempore argumentum.* Simulque cum dicto ingentem vim aureorum, argenteorumque nummorum in multitudinem circumfusam sparsit. Verùm ubi nimiùm morbus inualuit, medicina iam intempestiua non sanat. Per rapinas, & vim congesta pecunia, licèt à liberalitatis medio ad profusionis abiret extremum; prioris auaritiæ delere notam, ortasque inde offensiones sedare non potuit. Magnum principibus viris documentum: pristinam rapacitatem, & prædam non de Hoste, sed de Ciue coaceruatam, seris largitionibus minimè compensari. Imò quia cæcus esse solet omnis impetus animi repentinus; hinc timore, hinc furore acta Mulier non vidit, dum eam vim auri, argentique in medium effunderet, facere se omnibus palàm, non defuisse, uti simulauerant, eius generis nummos, sed ab se, suoque Viro iniustè, auarèque subductos. Quo animaduerso, magis exulcerati multitudinis animi, & propositis ab inuisa fœmina rationum momentis, & auro, argentoque ab rapaci manu profuso incitati sunt, ut obstinatiùs in incœpto persisterent: & abiectâ albâ pectoris fasciâ, rubram assumerent.

Eiusdem liberalitas inutilis, quia sera.

Coloma. Mirteus.

Accessit incussus ab hoste nouus timor. Cùm enim per duas horas ex conuento tormentorum fragor siluisset; suspicantes Hispani, conditionum tractationem in longum dolosè protrahi; Fontano suggesserunt: ad eiusmodi fraudes opprimendas, consueuisse Parmensem Alexandrum tùm quoque mœnia quatere bombardis, cùm de pactis deditionis ageretur. Quare Duce iubente, instaurata concussio est: simulque in Vrbem missi Stephanus Ibarra, & Moriansartus, Commissarij delegati, qui confirmatas à Fontano conditiones Ciuitati proponerent. Earum præcipua capita hæc erant. *Vrbem à direptione liberam fore. Rerum anteactarum veniam omnibus dari. Licere Ciuibus antiquis priuilegijs uti. Eosdem, ut antea, in omnibus sub Archiepiscopi futuros imperio.*

Campana. Thuanus. Camerus.

Coloma. Camerus.

His publicè recitatis, atque à Populo cum plausu acceptis; Vrbem

Deditio facta. | 1595. Coloma.

Vrbem ingressus est Augustinus Mexia Tribunus cum suæ Legionis Hispanis ferè mille: hique sine ullo Ciuium detrimento, aut motu stationem in foro collocarunt. Eiusdem diei vespere Cameracum intrarunt Fontanus Comes, & Archiepiscopus Barlæmontius, cum summa lætitiæ significatione à Ciuibus excepti: qui post multos annos gaudebant, inuiso se dominatu liberatos, ac pristinæ imperij formæ restitutos.

Obsessorū ingressus in Vrbem.

INTEREA Galli subsidiarij se in Arcem receperant, eam diutius propugnaturos rati. Sed statim sese falsos opinione cognouerunt. Vbi enim primùm horrea perlustrarunt; alimenta in eis, quæ vix ad biduum satis essent, repererunt. Hæc etiam calamitas accepta referri debuit Vxori Balagnij: quæ tam improuida, quàm auara, clam viro, quicquid in Arce præparatum erat ad victum, vendiderat. Quare cùm Arcis defensoribus denunciari Fontanus iussisset, ut ante se dederent, quàm tormenta disponerentur; illi tueri se non posse videntes, obstupescentibus cunctis, qui summam alimentorum penuriam ignorabant, atque ipso admirante Fontano, deditionem cum amplis conditionibus promiserunt. Eas Comes benignè, ac liberaliter concessit: dare id se iactans teneræ Ducis Retelensis ætati, eximiæque Vici virtuti, atque existimationi: re autem verà nè Arcis adeptioni, perfectæque victoriæ moram ullam interponeret.

Arx quoque deditur præ victus penuria.

Catherinus. Buffieres.

Capitolationi.

CONDITIONES hæ fuere. *Ut in manus Fontani Arx cum omnibus tormentis, instrumentoque bellico traderetur: ipse contrà Cleriam Arcem paulò antè à se captam intra sex dies mœnibus exarmari iuberet. Ut integrum esset Retelensi, Balagnio, Vico, caterìsque principibus Viris, Ciuibus, militibus cuiuscunque Nationis demigrare quadrato agmine cum plumbeis in ore globulis, ignitis fomitibus, explicatis vexillis, nec sine tubarum, ac tympanorum sono. Ut militibus restituerentur arma; equi, impedimenta in Urbe relicta: quod si quid deperditum foret, eius pretium persolueretur. Ut Uxori Balagnij commodus pateret egressus, unàque eius Ancillis, & Aulicis tam ipsius, quàm aliorum Principum; saucijs item, agrotisque. Ut captiui sine redemptionis pretio liberarentur. Ut æs omne alienum, quod Balagnius contraxisset, eidem remitteretur, neque ullum ob eam rem pateretur incommodum. Ut denique quicquid aut ipse, aut Uxor anteacto tempore patrasset, obliuioni daretur; neque unquam de eo ratio vel à Cameracensibus, vel ab Rege Catholico reposceretur.*

Arcis deditæ conditiones.

M. Ianson. lib. 15. Campana. Coloma. Catherinus. Carnerus. Thuanus. Smâtellare.

HAE conditiones utrinque sancitæ sunt Nonis Octobris: & septimo Idus ad opus magnam partem redactæ. Quo die omnes Peronam versùs migrarunt. Spatio itineris aliquo comitatus est

eos

1595. eos honoris causâ cum primaria Nobilitate Fontanus. Qui Retelensi præsertim Iuueni magnas beneuolentiæ significationes exhibuit: tum ob indolem generosam, & multum in bellica laude promittentem: tum ob veterem cum Parente necessitudinem. Ad eos non magis tutò, quàm honorificè deducendos, designatus est omnis Equitatus cum Landriano Præfecto: duoque præterea Principes exercitus inclyti Rosnæus, & Caracciolus. Hic cum eodem die lautissimo excepisset conuiuio in aperto campo Principes illos Viros discedentes, magnificentiæ suæ, Italicæ humanitatis, ac Neapolitanæ comitatis pristinam famam longè amplificauit. Adeò decorum est, non minùs beneficijs, quàm armis hostem vincere.

Fontani humanitas in Principes victos.

Coloma. Campana. Thuanus.

At infelix Vxor Balagnij, quæ in militaribus obeundis muneribus supra Viros se erexerat; in ea calamitate perferenda infra fœminas se deiecit. Acta quippe summâ desperatione, ad quam toties adegerat alios; & duabus quasi facibus inflammata, hinc fabricatæ sibi ruinæ tristitiâ, hinc deserendi principatûs horrore, in grauissimum ex animi cruciatu delapsa est morbum. In quo cum ipsa sibi non opportuna modo remedia, sed etiam necessaria nutrimenta negaret; paulò antè quàm alij excederent ex Arce, excessit è vita. Fœmina inter nostræ ætatis Amazones numeranda, si tam sibi moderari nouisset, quàm voluit militibus: & pugnare didicisset fortiùs in superbiam, auaritiam, iniustitiam, domesticos hostes, quàm in externum Exercitum Hispanorum. Ab illis enim & priùs, & veriùs victa, quàm ab his fuit. Eam verbis hisce nouissimis, & gloriosis leniisse ferunt calamitatem suam: *Non se in seruitutem abduci: sed adhuc dominantem, & Cameracensem Principem mori.*

Balagnii Vxor se inedia necat.

Catherinus. Coloma.

Boterius. Beyerlinck.

Altero ab ingressu Hispanorum in Vrbem die publicæ supplicationes ad primaria templa, & ad Superos gratiarum actiones ab Archiepiscopo indictæ. Eis Fontanus interfuit cum frequenti Principum exercitûs comitatu. In vicinis quoque Vrbibus, ac præsertim Atrebati, Duaci, Valencenis festis ignibus, actisque publicè Deo gratijs communis lætitiæ significationes datæ. Finitimæ quippe Prouinciæ Artesia, Hannoniaque & multis, magnisque periculis, ac damnis liberatæ, & quod iamdiu in votis habuerant, quodque tot precibus, sumptibus, copijs postulauerant, fuere tandem feliciter consequutæ.

Tantæ victoriæ communis lætitia.

Ianfonius. Campana. Haræus. Thuanus. Camerus c. 46. Coloma.

Diebvs aliquot elapsis Archiepiscopus refodi iussit Inchij ossa, in æde maximâ Dei Parenti Virgini sacrâ honorificè tumulata: eademque ut hominis hæretici, in profano extra Vrbem loco humari mandauit. Et quæcumque in Vrbe spectabantur

Ianfonius. Thuanus. Camerus. Campana.

bantur Alenconij, vel Balagnij gentilitia insignia, aut monumenta deijci voluit, & confringi. Simul ipse, Ciuesque ad pristinam imperij formam restituendam frequenter conuenire. Cumque perspectum haberent, non posse se aduersus Gallici Regis vires receptam libertatem tueri; ad Fontanum confugere, obsecrantes, ut Cameracensem omnem ditionem Catholico Regi subiungeret, cæterisque Belgij prouincijs regijs adnumeraret. Commendauit prudentem deliberationem Comes: & pro obsequioso in suum Regem animo, grates egit. Verùm ea super re statuere se nihil posse subiecit, nisi priùs exploratâ per literas Regiâ mente. Id se facturum pollicitus, interea iussit eos esse pristino more sub Archiepiscopi imperio. Hic fuit Cameracensis obsidionis exitus, Obsessis non minùs, quàm Obsessoribus lætus. Illis quippe magis ab inuisis Principibus interiùs, quàm ab hostili exercitu exteriùs oppressis; ut ab ijs liberarentur, utilius erat vinci, quàm vincere. Ita sæpè vulnus abit in medelam: & quæ summa calamitas videbatur, est suprema felicitas.

1595.

Cameracēses Hispano Regi subesse student.

Iansonius. Hareus. Thuanus. Carnerus. Coloma. Campana.

Fontanus Comes, ut ciuilis iustitiæ, ita militaris prudentiæ famâ nobilis, anni finem appetere videns, quem victorijs magis, quàm tempestatibus distinxerat; exercitum iam lassum laborum, & glorijs cumulatum, distribuere in hyberna decreuit. Quamobrem Cameracensis Arcis Præsidio Augustino Mexia cum quingentis Hispanis Peditibus relicto; atque ad Vrbem tuendam bis mille Germanis Peditibus collocatis; reliquas copias ad hyemandum per Artesiam, Hannoniam, Flandriamque diuisit. Ipse cum alijs principibus Viris Atrebatum venit: ubi ab Senatu obuiàm prodeunte, & Nobilitatis frequentiâ, populoque uniuerso ad spectaculum effuso, tanquam spolijs Vrbium onustus, pluribusque dignus triumphis exceptus est. Inde postremò se reddidit Aulæ Bruxellensi, in expectationem, ac desiderium tam victoriosi sui Principis erectæ.

Fōtani prudentia, & gloria.

Vix ille peruenerat Bruxellas, cùm Belgæ tantâ felicitate rerum gestarum in spes nouas excitati, eum circumstetere rogantes, ut Ostendæ quoque expugnationem aggrederetur, ad quam omne suppetiarum genus uniuersi Belgij nomine pollicebantur. Adeò insatiabilis vincendi quoque cupiditas est: ut una victoria sitim accendat alterius: & laborum, discriminumque adhuc recentium obliuio capiat, ubi noua potiundi spes affulget. Sed Ostendana expeditio alijs temporibus, alterique Ductori egregio conficienda, ab æterna Prouidentia reseruabatur. Eâ verò se abstinere Fontanus debuit: quòd iam fama vulgauerat, ad Belgium administrandum Archiducem Albertum aduentare.

Hic

1595.

Archiducis Alberti ad Belgium gubernandum aduentus.

Hic Austriaci sanguinis spes non ultima, Rodulphi Cæsaris Frater, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Toletanus Archiepiscopus, & Lusitaniæ Prorex, tot insignis titulis dignitatis, & multò maioribus virtutum luminibus præclarus, lectus ex omnibus ab Rege Philippo fuit, ut Belgicas eius Prouincias gubernaret. Tanti fiebat ab illo summi iudicij Monarcha pars hæc ditionis, inter tot gemini regna Mundi non maxima: quæ fuit, estque ad hanc diem Europæ uniuersæ armorum amphitheatrum, & palæstra fortitudinis. Igitur quinto Calendas Septembris Mantuâ Carpetanorum, vulgò Madrito, discessit: secumque deduxit, suis postulatis annuente Rege, Philippum Auraicum Principem, Guillelmi Nassauij Filium ex prima Vxore Egmondana. Missus hic in Hispaniam fuerat ab Duce Albano; ibique per annos ferè triginta in libera custodia, quæque Principem iuuenem, atque innocentem deceret, habitus. Iam verò libertatem integram nactus, ad sua fruenda bona, atque Archiducis Aulam cohonestandam, remittebatur in Belgium. Felicem dicere potuit captiuitatem suam, ubi diffractis Hæreticorum compedibus, in libertatem Catholicam emancipatus, Cælum perdiderat, nisi terram natalem perdidisset. Cùm Regi venerabundus vale diceret, salutaribus ab eo admonitionibus instructus est: simulque aurei velleris torque insignitus.

Philippus Auraicus Guillelmi Filius cum Archiduce redit.

Iansen. l. 15. Aitsingeri Cōtinuator. Caspar Ens lib. 3. Grotius l. 5. Cāpana l. 4. Botereius l. 3. Io. Bochius in narr. profect. Lazarius. Baudart. Hæreus. Miræus an. no 1596. Thuan. lib. 115. Camerus l. 12. Coloma l. 9. Ianfonius. Ioannes Bochius.

Eorū iter per Hispaniam, Galliam, Italiam.

Hoc lætus comite Albertus per varias Hispaniæ Vrbes, atque Oppida ad mare deuenit, tantis ubique significationibus publicis lætitiæ, atque honoris exceptus, ut Rex ipse maioribus vix excipi potuisset. Barcinone Eluens Prætoriam triremem conscendit, sex & viginti alijs comitantibus. Hispanorum militum aderant tria millia: & (si vera est fama) sena millia millium aureorum suppetebant. In itinere dum Tarraconensem oram legeret, in duas incidit pyraticas Turcarum Triremes, & paulò post in onerariam Anglorum Nauem: quibus feliciter potitus, bene auspicatum profectioni suæ principium dedit. Dum iuxta Massiliam Classis in anchoris staret, Classiarijs ad aquandum, lignandumque in continentem egressis; Massilienses Proceres ornatissimâ triremi ad Archiducem honorificè salutandum prouecti sunt, recedentem verò aliquandiu prosequuti, liberaliter ante suppeditato commeatu.

Exinde velis in Italiam factis, ad Monoeci portum, ubi hodie Villa Franca, Archidux appulit. Ex quo Niciam adiens equo vectus, ternas honoris ergo obuias habuit Peditum cohortes. Propiùs facto Magistratus occurrens, Vrbis obtulit claues. Episcopus eumdem quàm potuit maximâ significatione gaudij, ac

1595.

venerationis excepit. Niciensi Arce, quæ munitissima fertur, perlustratâ, rursus se mari commisit Albertus: & Genuensem. ingressus ditionem, eis honoris, ac beneuolentiæ argumentis cumulatus est: quæ tanti Principis dignitatem, & Nobilissimæ Reipublicæ splendorem decerent. Magnâ quoque obseruantiâ, ac magnificentiâ à Sabaudiæ Duce in suis finibus cohonestatus. A quo digressus, per Burgundiam, ac Lotharingiam ad Lucemburgensem prouinciam, Belgicæque ditionis ex ea parte principium peruenit. Sed priùs ad Mosellæ ripam obuium habuit Petrum Ernestum Mansfeldium, adhuc eius Prouinciæ, atque ante biennium totius Belgij Gubernatorem, uti suprà memorauimus. Comitabantur eum Equitum Loricatorum quinque signa, & mille Hastati. Occurrit etiam Prouinciæ Senatus: Lucemburgi verò Magistratus ad portam Vrbis præstolabatur. Quatriduum hic transegit, quò cum ad eum honorificè salutandum, Bruxellis venissent Duces Feriæ, ac Pastranæ, Dux hic horâ antè quàm Archidux eò perueniret, excessit è viuis. Sic humanam lætitiam plerumque luctus intercipit: & Principibus quoque viris lætas funestat pompas inopinata calamitas. Bauarus item Ernestus, Coloniensis, ac Leodicensis Antistes, idemque Septem-vir, officij causâ eòdem accessit.

Ingressus in Belgium.

Anno 1596.

LVCEMBVRGO digrediens Albertus imperij Belgici vexillum præferri iussit. Namurcum ingressuro se tulit obuiàm Fontanus Comes, Belgij Principibus, atque Hispanâ septus Nobilitate, florentibusque stipatus Equitum cateruis. A Magistratu Claues oblatæ: ab uniuersa Ciuitate summis acclamationibus, honoribusque acceptus. Hinc Niuellam, inde Hallas profectus est: ubi non antè paratas sibi ædes ingredi voluit, quàm Hallensis Virginis Dei Genitricis Templum religione sanctissimum, frequentibusque miraculis nobilitatum, inuiseret. Tantò prior, ac potior erat religioso Principi pietas, quàm quies. Illud etiam de ipso memorabile narratur, quòd tam longo in itinere, importunissimo tempore hyemali brumâ aspero, pluuijs infesto, nunquam adduci potuerit, ut lecticâ, vel rhedâ uteretur: sed equo semper vectus inter medios Milites conspiciendum se dederit. Vt eos doceret tolerantiam laborum, tolerando: addictosque sibi redderet, ostendendo, se præ alijs esse, tanquam unum ex alijs.

Alberti pietas, & generositas.

BRVXELLAS demum Archidux deuenit tertio Idus Februarij, anni millesimi quingentesimi nonagesimi sexti. Sub ingressum, in planitie, quâ Louanium itur, tres sibi occurrentes vidit Militum acies, singulas mille Viris lectissimis, atque ele-

Honores ei Bruxellis exhibiti.

Bochius.

ganter

1596.

ganter obarmatis instructas: quæ festo sonitu tubarum, ac tympanorum, strepituque manualium tormentorum venientem Principem consalutarunt. Ad portam honorificè exceptus à Magistratu fuit, Vrbis claues offerente. Introgressus, quàcumque oculos conuertebat, erecta suæ, suorumque maiorum gloriæ monumenta spectabat: imagines, statuas, insignia, triumphales arcus, magnifica theatra. Duo præcipuè memorantur, quæ læto simul spectaculo, atque admirationi fuere. Alterum excitatus ante Regiam obeliscus, ad pedes propè centum excelsus, varijs in quadruplici basis facie sacris historijs insignitus; superiùs verò multis imaginibus picturatus, incommoda belli, pacisque emolumenta designantibus. Auratus in apice globus erat, eique Solis effigies imposita, radijs aureis redimita, quæ ventis alludentibus agitata, iucundissimum intuentibus spectaculum dabat. Alterum triremis erat in foro medio exposita, cum partibus suis omnibus affabre facta: quæ Belgij conditionem ponebat ob oculos. In mari quippe fluctuans cernebatur inter duo horrida monstra, quorum hoc Bellum, illud Hæresim referebat. Ad gubernaculum sedebat elaboratum pulcherrimè ipsius Archiducis simulacrum. Veritatis imago adstabat ad dexteram, Iustitiæ ad sinistram. Alijs demum signis Magnanimitas, Vigilantia, Virtutesque aliæ notabantur. Plures dies publicis ludis exhilarati, ex vniuerso ferè Belgio ingenti omnium Ordinum concursu facto, quà nouo Principi visendo, ac venerando, quà præcurrente famâ, vulgatis spectaculis, ac pompis perlustrandis.

Bochius. Haræus. Continuat. Mich. Aitsingeri. Gaspar Ens. Iansonius.

QVÀM verò festus, ac faustus fuit hic Archiducis aduentus Belgis in Catholici Regis fide perstantibus: tam plenus timoris, ac sollicitudinis accidit Prouincijs aduersùs eum fœderatis. Rumor namque increbuerat, illum accedere non modò cum ingenti existimatione tum sanguinis, tum meritorum: sed & militum numero, & pecuniæ vi copiosè instructum. Quæ res in vulgus ditiæ, magnam in eo commotionem exciuerant animorum. Nihilo minus curarum Fœderatis, eorumque potissimùm Præsidi Mauritio iniecit Auraici Principis Philippi in Belgium reuersio. Parentis quippe Guillelmi adhuc vigens memoria, & in omne Belgicum nomen promerita, in Filio natu maximo, eiusque laudibus insigni, velut in imagine, reddita conspectui Belgarum; iure vereri poterant, nè vetera in Patrem obsequia, & clientelas ex vtraque Partium excitarent, auerterentque à Mauritio è secundis nuptijs orto studia Populorum. Cumque Philippus Catholicæ Fidei, Catholicoque Regi se subiectum

Campana. Carner. c. 19.

Campana. Grotius.

Fœderatorum sôtus de eius, & Auraici Principis aduentu.

biectum profiteretur; facilè factu censebant, ut eòdem Belgium omne in se procliue traduceret. Priuatus quoque Mauritium urgebat metus, nè quibus iam tot annos fruebatur, abducto fratre, hæreditaria bona redux idem, & maior natu, pro sua saltem portione repeteret: quique vacua regnauerat in aula, vel consortem haberet principatus, qui duos ægrè capit, vel eo toto depelleretur. Vt igitur hæc pericula summouerent, cautè decreuere Fœderati, Auraicum Principem ab omni procul arcere ditione, quam occupauerant. Eiusmodi referre gratias docent Politicæ regendi artes pro beneficijs antè collatis: ut totis finibus suis exterminatum velint Principem innocentem, cuius olim Parens, & nouissimè Frater eosdem fines qualibuscunque artibus amplificare studuerint. Fraterna verò coniunctio, quâ vix arctior ulla est, facilè scinditur, ubi media interuenit habendi, vel regnandi cupiditas. Quò tamen honestiùs in speciem id interdictum Principi promulgaretur: eaque cum hospite durior agendi ratio molliretur; ut hæreditatem suam adire vetarent, quem inuitare potiùs ad reuisendam patriam debuissent: literas ad eum date Fœderati constituerunt, honoris, ac beneuolentiæ verbo tenus plenissimas, sed quæ in fine morsum, ac venenum, more scorpionis, affigerent. Legationem quoque nonnemo scribit ad eum adornatam: ut honoris eius obtentu, quem Rex Hispanus restituebat in patriam, ipsi quasi de nouo relegarent.

1596.

Mauritii Comitis sollicitudo.

Campana. Carnerus l. 12. c. 1.

Gratulabantur eis literis redditam Principi libertatem: postquam in Hispania captiuus tam diuturnè, quàm iniquè (ut ipsi aiebant) *fuisset. Guillelmi Patris in se merita commemorabant: quæ nec Parentis, nec Filij immemores unquam esse permitterent. Dolorem ex ipsius captiuitate perceptum testabantur: in qua non teneram tantùm ætatem, sed maturioris quoque partem optimam inglorius detriuisset: quamque pro causa tam æqua perpessus esset. Libertatem ipsam redditam in suspicionem vocabant; cùm eam dicerent non beneuolentiæ in Principem, quàm acerba in Patrem odia excluderent; sed usitatis Hispanorum artibus tribuendam. Ad Parentis iterum laudes reuoluebantur: eamque præcipuè ferebant in cælum; quòd libertatem Patriæ tot laboribus, ac periculis peperisset, suâque morte firmasset. Orabant ad extremum, ne Fœderati Belgij fines attingeret, nisi priùs mutaret animum, & quos induisset in Hispania sensus exueret: imò in eo statu rerum ad suas prouincias nullo pacto reuerteretur, sed melioris opportunitatem temporis expectaret. Ita quippe seuerissimis Fœderatorum legibus constitutum, ne quis nisi factâ priùs ab se potestate, suas prouincias ingrederetur.* His literis, quæ sub officij specie interdictum patrij soli, paternæque ditionis adeundæ continebant; veriori hu-

Fœderatorum literæ ad Principē.

Iansonius in supplem. Mercurij. Grotius. Thuanus. Carnerus.

1596. humanitate, ac certè synceritate maiori, Philippus Princeps responsum dedit.

Eius responsio.

Agere principio gratias Ordinibus Fœderatis, quòd libertatem suam, & antea tam assiduis votis optauerint, & nuper tantâ exceperint significatione lætitiæ: quòdque in omni calamitate memoriam sui nunquam deposuerint. Sibi tantùm licuisse ipsorum humanitati perpetuo studio, ac beneuolentiâ respondere: quam tamen facere palàm prohibitus fuisset, aliquorum ex ipsis curâ de se, hostili potiùs, quàm populari ab se compertâ. Restitutâ libertate usurum se, quantùm fas esset, ad ipsorum salutem, & commoda, ut nulla querelarum daretur occasio. Nihil sibi prius futurum, aut antiquius, quàm ut communis Patriæ pristinæ libertati, ac splendori restituatur. Neque se quidquam tentare velle, quod ipsis minimè probetur, aut salutare non sit. Sperare se, Deum nequaquam permissurum, ut cuiuspiam conatus aliò tendat, quàm ad finem tot Belgij calamitatum, tranquilleque, ac felicis vitæ principium. Eumdem se Deum Optimum Maximum precari, ut ipsis rectam viuendi viam, ac terminum beatæ perennitatis concedat.

Pacis tractatio ab Archiduce frustra tentata.

Iansonius. Thuanus. Carnerus.

ALBERTVS etiam Archidux antè quàm arma resumeret, experiri voluit, an humanitate literarum, & pacatis tractationibus posset Belgicas res componere, atque in concordiam venire cum Fœderatis. Ad eos itaque, eorumque Moderatorem Mauritium benignissimè scripsit; ad pacem illos inuitans, ac tam diuturni belli, sequaciumque calamitatum finem. Sed ut antea Ernestus, ita tunc Albertus in arenam se iacere concordiæ semina animaduertit: vel quòd Catholicos inter, Hæreticosque homines conuenire vix potest: vel quia degustata semel dulcedo libertatis nullâ mercede dimittitur: atque usurpata ditio ægerrimè restituitur. Vt eâdem de pace efficaciùs ageret, Auraicus ipse Princeps petijsse dicitur à Fœderatis Ordinibus facultatem Hollandiam adeundi, Mauritiumque Fratrem conueniendi. Verùm id ab ijs negatum, facilè refugiente Mauritio eius conspectum, & colloquium, cuius tamdiu hæreditatem, cæterasque prærogatiuas possedisset. Cum sorore quoque, Comitis Hoënloij Coniuge, congressum in Hollandia postulasse. Sed neque hic eo loci permissus. Denique tantam virtutem, tot suis, ac suorum meritis cumulatam, & haud dubiè popularium plausibus, & concursibus celebrandam, prope se habere Fœderati, ac præsertim Mauritius timuerunt. Atque hoc fortasse spectauit, vel Philippi Regis in eo remittendo, vel Archiducis Alberti in eo reducendo prudentia: quam hostes Hispanas artes appellabant. Quamobrem ut eum omnino ab se procul arcerent, suisque cum eo agendi viam præcluderent, atque omnem pacis tracta-

Principi negatur accessus ad Hollandiam.

Hollac.

Carnerus.

cta-

ctationem prohiberent; atrox Edictum paulò post Fœderati promulgarunt. 1596.

Foederatorũ Edictu contra Hispanos & Societatem Iesu.

Iansonius. Campana. Thuanus.

GRAVIBVS in eo multis, ac pœnis interdicebant: *Nè quis è fœderatis Prouincijs in Vrbes, aut loca Hispano, socijsque subiecta se conferret, nisi ab Ordinibus, vel Mauritio, vel Guillelmo Nassauio facultatem priùs impetrasset in scriptis, eorumdem sigillo munitis. Ne contrà quis ex Hispanica ditione, vel per eam, Fœderatorum fines intraret, nisi factâ ab ijsdem eodem ritu potestate. Nè ullus eorum, qui Fœderatæ Reipublicæ subessent, ultra sex proximos menses in regione ulla hosti subiecta moraretur, sine simili facultate. Qui secus faceret, pro hoste habitum iri. Qui verò cum ipsis hostibus verbis, literis, Internuncijs de rebus ageret ad præsentem imperij formam, & Prouinciarum statum pertinentibus; capite, fortunisque luiturum.* In homines præterea Religiosos è Societate Iesu (quam illi perniciosam, & sanguinariam Sectam appellabant) eodem Edicto legem hanc tanquam horrendi carminis euulgarunt. *Vt omnes ijs fauentes, atque beneuoli, Fœderatis Prouincijs prorsus exturbarentur, eisque aditus omnis precluderetur. Nè quis eiusdem Ordinis, vel apud eumdem impendens operam literis, siue Belga, siue exterus, in Fœderatas Prouincias, seu mari, seu terrâ irreperet, sub pœna hostilitatis, & capitis, etiamsi publicæ fidei literis munitus aduenisset. Vt intra duos menses eisdem finibus egrederentur eius Familiæ homines, neque eòdem præsenti bello vigente redirent: nisi eo temporis interuallo Magistratus, aut locorum Præfectos adissent, ijsque in omnibus fecissent satis; ac Regis Hispaniarum imperium dicto sacramento eiurassent. Nè quis Fœderatis subiectus Societatis eiusdem gymnasia frequentaret; pœnâ ipsis, multâ Parentibus, vel Tutoribus indictâ. Nè-ve ullus eorum in Academijs Hispano parentibus exerceretur. Si qui demum ad literarios dignitatis gradus promouerentur, concepto priùs Catholicæ Fidei defendendæ iure iurando; ut omnium in Prouincijs Fœderatis officiorum, ac munerum expertes essent. Qui verò iam promoti fuissent, admotique muneribus, ut absolui iuramento curarent, eiusque loco fidelitatis in Patriam se obstringerent sacramento. Legis violatores exilio perpetuo multarentur.*

IN hoc Edicto satis explicatam agnouit Archidux mentem Fœderatorum ad bellum pronam, ut nunquam aliàs, acerrimè prosequendum. Eâ re ipse quoque se totum ad arma conuertit. Et quia sibi pugnandum contra duos hostes videbat: hinc imminentem Belgicis finibus Galliarum Regem Henricum: hinc Fœderatos intra Belgium velut intestinum bellum mouentes: illi priùs, qui iam Hispanam ditionem infestabat, occurrendum existimauit. Cuius rei narrationem, ab anni superioris exitu arcessendam, sequens liber exponet. DE

DE
BELLO BELGICO
LIBRI OCTAVI
SVMMA.

FEræ obſidio ab Henrico Rege. Situs,& munitio deſcribitur. An ea propugnanda, conſultat Albertus. Solum ſubſidium immittendum decernitur. Id Baſta magnâ ſolertiâ,& cautione ducit; inducitque feliciter. Henricus obſtructo fluuio Feram inundat: ex quo ibi morbi peſtilentes. Roſnæus, ad arma Gallica diuertenda, perſuadet Archiduci Caleti obſidionem. Hæc diſſimulata, tandem ponitur. Caletum, & circumiacens regio deſcribuntur. Ab Roſnæo primùm Niuleti pons occupatur: deinde Riſbani turris. Variâ in Vrbem miſſa ſubſidia. Suburbium quoque Roſnæus expugnat. Offertur Vrbis deditio cum conditionibus: ac breues induciæ ſtatuuntur. Vtrinque tamen opera continuantur, mutuo ſpectaculo. Subſidium ab Henrico Arcem intrat. Hæc vehementiùs oppugnata expugnatur, cum ingenti prædâ. Henricus eâ de re anxius auxilia fruſtra petit ab Angliæ Regina. Albertus Guinâ etiam, & Hamâ captis, Ardeam aggreditur. Eius ſitus,& munitio. Diſſenſiones in eâdem Vrbe. Alberti caſtra uti diſpoſita. In eruptione Monlucius cadit. Suburbium ſtratagemate capitur. Vrbs denique de-

ditur. Henricus contrà Ferà potitur: & pugnare cum Alberto ſtatuit. Hic ambigit, Oſtendam-ne, an Hulſtum inuadat: Hulſtum præhabet. Eius, & circumiectæ Vaſiæ terræ deſcriptio. Hac difficulter tranſmiſsâ, Hulſtum obſidetur. Rapium minus munimentum occupatur. Eruptione factâ Germani fugantur, eorumque Tribunus Theſſelingus occiditur. Barlota Defenſores repellit. Roſnæus Caſtris propius Vrbem admotis Morualium munimentum capit. Idem ictu tormenti miſerè occiditur. Eius Elogium. Hiſpanorum, Italorumque præſtantia in oppugnando. Miſſilium ignium efficacitas. Deditur tandem Hulſtum: & ex eo ingens Alberti gloria. Bironius inſidijs poſitis Hiſpanas aliquot copias profligat.

DE BELLO BELGICO LIBER OCTAVVS.

1596.

POSTQVAM Cameracensi Vrbe tantâ cum gloriâ potitum Hispanum audiuit, & doluit Galliarum Rex Henricus; qua ratione iacturam illam sarciret, & secum ipse diutius, & cum bellicis suis Consiliarijs disquisiuit. Tandem post longam deliberationem, ac diuersa consilia; Feram (quam aliqui Faram vocant) obsidere statuit: quod suadebant præ cæteris magnæ in armis existimationis Viri Bironius, & Sanlucius. Igitur coactis Militibus, qui dispersi per Picardiam erant, ad quinque millia Peditum, Equitesque mille, ac ducentos; sexto Idus Nouembris Feram accessit.

Henricus Rex obsidet Feram.

INTERIVS Picardiæ hoc Oppidum est, ipsâ positione munitissimum. Quippe paludibus undique custoditum, duos tantùm, quibus penetrari possit, angustos aditus habet. Hos principio Rex occupauit, ac finitimis hominibus accersitis, duo paucis diebus ibidem excitari iussit munimenta; quæ mille Peditibus commissa, multisque tormentis bellicis instructa, ingressus illos geminos tuerentur. Reliquus Peditatus præ tempestatis rigore Pagum tenuit ad proximæ paludis ripas situm. Equitatus, ut venientibus subsidijs occurreret, obstaretque; villas occupauit ad Septemtriones in Belgium vergentes. Præerat Feræ Colasius Senescallus Montilij Ademari; Præsidio verò magni Vir nominis in re militari Aluarus Osorius Hispanus antea memoratus. Aderant illi Præsidiarij milites magno numero: siquidem ibi resederant reliquiæ omnes Exercituum Hispanorum, qui superioribus annis migrarant in Galliam. Quod licèt usui esset ad Oppidum defendendum; eò tamen noxium comperiebatur, quòd tanta multitudo alenda penuriam commeatuum faciebat. Improuisus verò Regis aduentus, & omnis ab eodem statim præclusus aditus vetuerat, eos aliunde comportari. Eius penuriæ conscius Henricus sapienter abstinuit oppugnatione, qua obiectasset discrimini non admodum ingentes copias suas: certus, fame compulsam venturam in manus Feram.

Eius situs.

M. Iãsonius in supplem. Aitsing. Cõtinuator. Cãpana p. 3. l. 4. Gaspar Ens lib. 3. Botereius l. 3. Hæraus an. 1596. Mõtelimar. Thuan. lib. 116. Carner. l. 12. Coloma l. 9. Catherin. l. 15. Bentiu. l. 3. Bussieres l. 23. Turtura lib. 21.

Eiusdem Præsidiũ.

AT Albertus in primis nouæ administrationis curis huius Op-

1596.

Alberti consultatio de Fera defendenda.

Rationes contrà.

Oppidi defensionem ponens; de illa retulit ad bellicum Senatum. In eo multæ, magnæque propositæ difficultates. *Exercitus veteranus recentium laborum lassus, atque in hyberna diuisus: noua copia ab Archiduce adducta in itinere valde diminuta, ac regionum ignara: frequentes Italorum, Hispanorumque tumultuantium secessiones; & Vallones, nisi soluerentur stipendia, militare abnuentes: tempestas ob imbres, & frigora deducendis militibus, bombardisque conuehendis importuna: hostium intranda regio, non solùm pro anni tempore, sed ab anteactis quoque bellis, hominum, equorumque alimentis vacua, ac penitùs desolata.* Illa præterea iaciebantur in medium, nè propugnandæ Feræ nimis ardua prouincia susciperetur. *Inter hostiles Urbes Sanquintinum, Hamum, Guisam, Peronam id Oppidum situm esse. Eas Præsidijs optimis communitas expugnari vix posse. Si Feram accedere tentaret Hispanus Exercitus, liberum eis fore incursionibus infestare, vias præcidere, interuertere commeatus, pabulationes prohibere. Ipsum Oppidi accessum quà paludibus à Natura, quà munimentis ab Rege Gallo præclusum. Quam ergo spem adeundi, nedum immittendi subsidij superesse? Gallicum verò Exercitum obsidentem, suis aggeribus, ac propugnaculis vallatum velle perrumpere, quid esse aliud, quàm in certum exitium Hispanas copias, Bello Belgico destinatas, proijcere: ac patentem Fæderatis viam ad totum occupandum Belgium relinquere?* His adeò multis, ac validis rationum momentis deductus Archidux fuit ab sententiâ exercitum ad liberandam obsidione Feram immittendi.

Ob eas omittitur defensio.

Subsidium commeatuum immittitur.

Campana. Catherinus. Thuanus. Bufferes.

Georgius Basta id perficit.

Ne tamen vel suo muneri, vel iteratis Osorij petitionibus omnino deesset: subsidium saltem alimentorum aliquod, quo maximè indigebant Obsessi, ad eosdem submittere decreuit. Igitur solertem quempiam, & peritum huic operi Præfectum militiæ quærens, Georgium Bastam, & suo iudicio, & Principum aliorum consensu præ cæteris elegit. Eum aliqui Nicolaum nominarunt; Fratris eius nomen usurpantes, magni etiam in Belgio Bellatoris. Georgius ibidem pugnando inueteratus, clarisque impositus muneribus ab Duce Parmensi, frequenti experimento docuerat, non magis militare se nosse strenuè, quàm sapienter militibus imperare. Neque ita pridem ad Belgas ex Hungariâ redierat, ubi aduersùs Turcas dimicando, egregiam Cæsari, & nomini Christiano præstiterat operam. Hunc iussit Archidux cum octingentis Equitibus (alij sexcentos numerant) quam posset maximam tritici copiam ex vicinioribus Belgij finibus Feram importare; neque ab eo desistere, licèt Equitatus ille omnis pessum iret. Aggreditur opus alacriter Basta: ac primò

1596. mò Duacum petit, cuius in Agrum conuenire iubet Equites designatos. Tùm ad Osorium Aluarum indidem scribit: *Ut cymbas aliquot habeat in promptu, quas, ubi condictum signum datum fuerit, in eam paludem immittat, cuius aqua sit altior. Per eas se tentaturum commeatus inferre.* Parat Osorius omnia. Basta cum Equitibus Duaco proficiscitur Castelletum. Eò postquam magno silentio peruenit; Oppidi portas claudi mandauit, ac diligentissimè custodiri, nè quis vel leuis eorum, quæ agitabantur, rumor ad hostes perlaberetur. Tùm euocatis in Concilium Equitum Præfectis Archiducis iussa, demandatumque negotium aperit. Ostendit, *Quàm difficile, ac periculosum iter sit ineundum: nempe ab hostibus circumsessum. Quare quàm generosè suscipiendum, tam cautè peragendum. Quod Feram inuehebatur subsidium, momenti maximi esse ad obsidionem diutius sustinendam. Eius verò rei gratiam apud Archiducem, & Catholicum Regem futuram non vulgarem: gloriamque illius Oppidi quamuis ad tempus seruati fore in posterorum memoriâ sempiternam.* His, alijsque pro eâ, quâ pollebat Georgius, eloquentiâ prolatis, animosiores redditi magnanimi, & lecti ex cæteris Bellatores, operam omnem suam, & si sit opus, vitam, & sanguinem pollicentur.

Eius in re disponenda, & occultanda prudentia.

EQVOS deinde conscendunt, atque ex præscripto Bastæ, singuli frumenti sacculum dorso equorum apponunt: sibi verò ad collum fomitem in funem contortum, monilis instar appendunt, hoc enim pariter indigebant Obsessi. Tùm Castelleto primis se intendentibus tenebris digressi, & Somonâ fluuio ad Feruaquiense Cœnobium traiecto, viam, quæ Sanquintinum ducit, instituerunt. Quo Oppido ad dexteram relicto, tantâ celeritate prouecti sunt, ut postridie matutino tempore ad Equitatus regij stationes deuenerint. Ibi suspicantibus hostile subsidium Excubijs, & bombardarum strepitu commonentibus, ad arma subitò conclamatum. Verùm densa caligo cum primâ luce diffusa Bastæ consilijs plurimùm fauit. Cùmque ab omni parte Castrorum tormenta reboarent, ignorabant Galli, quâ parte hostes accederent. Quod dum cognoscere, atque explorare contendunt; Basta æquè solerter, ac feliciter, nebulâ illâ tectus, ac nemine viam intercludente, inter Heluetiorum, & Bullonij stationes ad paludis ripas progressus est cum suis, quâ fluuius Æsia præterlabebatur. Datum interea fuerat à primis Equitibus Osorio signum: qui statim præparatis cymbis ad eumdem adfuit locum. Deponitur in eas quicquid frumenti, & fomitis allatum erat, atque intra Feram deportatur. Tùm versis equis, eâdem celeritate, solertiâque Basta cum copijs retrocedit: cognitoque,

Corda, ò Miccio.

In eundo celeritas.

In conficiendo negotio felicitas.

toque, Gallicum Equitatum de ipsius aduentu tandem factum certiorem, ad reditum eidem præcidendum, Sanquintini viam insedisse; aliâ sibi parte migrandum censuit: & suscepto Guisam versùs itinere, omni liber obstaculo, atque interiectu, Cameracum faustissimè peruenit. Magnam ex hoc inuecto subsidio accessionem gloriæ consequutum est Bastæ nomen: & quòd ipse cum suis per horas quadraginta equo continenter insederit: & quia summâ prudentiâ captare tempus nouerit ad peragendum opus opportunum: & quia consilium in arcanis habendo, suos, nedum hostes, voluerit serò cognoscere, quæ maturè moliretur. Addunt ad has laudes aliqui hostiles copias profligatas, tum in accessu paludis sese obiectantes, tum in reditu apud sylvam Bohanam; ubi Equites triginta cæsi dicuntur, alij capti: cum Georgius contrà nullum desiderauerit è suis.

Henricus Ferã arctius obsidet.

VERÙM admodum leue id Feræ fuit, & vix bimestre subsidium: cum Rex Henricus nouis in dies viribus augeretur. Is in arctum quotidie magis redigebat Obsessos: vias omnes occupabat, intercidebat, aggeribus, & munimentis, militumque custodijs ita obstruebat; ut nulla prorsus noui subsidij spes relinqueretur. At quoniam bellis tot iam annos prementibus fesso Regi; regnique tamdiu decertati, ac demum obtenti, administrandi dulcedine pellecto, nimis in longum trahi Oppidi unius obsidio videbatur; cùm faciliùs citiùsque plures Prouincias debellasset: eius in animum induxerunt, qui apud ipsum erant ingeniosi Machinatores; facilè posse Feræ Defensores ad deditionem illico faciendam cogi, loci demergendi periculo: si cursus vicini fluuij, qui paludem creat, ab inferiore parte obstrueretur: quod facile factu foret: adeòque tumentibus, ac redundantibus aquis mœnia, viæ, domus ita opplerentur, ut necesse haberent Obsessi aut cedere, aut perire. Placuit Regi promptum hoc, neque antiquis ignotum sæculis, Vrbium opprimendarum machinamentum: & statim accersitâ è circumiectis locis operarum ingenti multitudine, ad opponendos ruenti flumini validissimos aggeres, est vehementer insudatum. Assiduis tamen laboribus aduersabantur frequentes hyemalis temporis imbres, quibus intumescens identidem fluuius oppositos obices perrumpebat, secumque rapiebat procul, ac breui spatio multorum dierum opera labefactabat. Aderat ipse laborantibus Rex: quamobrem obstaculis omnibus superatis, ad exitum tandem perducta res est. Sed ut plerumque conceptæ animo species absolutionem operis parem non habent: animaduersum est, inundantes aquas paulùm supra duos palmos intra Feram attolli: quando-

Ingegnieri.

Adhibet stratagema Oppidum inundandi.

1596. doquidem Oppidum situ longè altius paludibus erat. De quo licèt à nonnullis præmonerentur Machinatores; ipsi tamen tutari pertinaciter voluere consilium suum: quasi puderet, quam profitebantur, artem ab alijs edoceri.

Sed parum profecit.

OPPIDANI, cum excrescere paulatim viderent aquas; in superiores ædium partes res domesticas deportandi spatium habuere. Quare nihil hinc accepere detrimenti: sed ex eo multum, quòd aquis intra biduum desidentibus, siquidem pluribus extrà perruptis locis fecerant sibi viam; Oppidum luto, ac lacunis refertum fuit: è quibus corrupti halitus spirantes aërem infecerunt, & pestiferos Incolis morbos crearunt. His illi vexati, ac multò vehementiùs fame quotidie magis inualescente, ad extrema se redactos intelligebant: nec aliud eos, nisi noui spes aliqua subsidij sustinebat. De eo submittendo rursus in Bellico Senatu Bruxellis ab Archiduce deliberatum est. Sed anteà propositæ contra defensionem difficultates ab huiusmodi tentamento animos auocarunt.

Archidux armorũ diuersionem molitur.

OPPORTVNIVS itaque visum; locum quempiam Gallicæ ditionis oppugnare: eoque consilio vel Regem ab obsidione Feræ ad illum propugnandum auertere, vel huius iacturam alterius occupatione compensare. Quem verò præ cæteris locum aggrederentur, inter Proceres minimè conueniebat. Peronam alij proponebant in medium, alij Sanquintinum; Hanum, Guisam, Boloniam alij. Harum tamen expugnatio Vrbium vel longum, arduumque negotium erat, quòd earum aliquæ fuerant validissimè munitæ: vel parum utile, aut honorificum; siquidem cum Ferâ quædam non poterant ullâ ratione comparari. Ancipitem propterea, & quam in partem maximè vergeret, incertum Archiducis animum; ad certam, & quantùm ostendit exitus, optimam deliberationem capiendam, impulit vi rationum, & quâ præstabat auctoritate Rosnæus. Multorum hic annorum in bellis experientiâ, Gallici regni Arces omnes cognitas penitùs, ac perspectas habebat. Caletensem inter eas norat quantò munitiorem naturâ, ac manu, ideòque habitam inexpugnabilem: tantò minùs ab Defensoribus eâ diligentiâ custoditam, quam sibi maximi momenti loca deposcunt. Eamque ob incuriam ante aliquot annos Anglis ereptam ab Duce Guisiò, Gallisque vindicatam facilè meminerat. Illud etiam curiosâ inuestigatione cognorat: eâ tempestate à Bidossano Arcis Præfecto cum sexcentorum modò peditum Præsidio, longè minore, quàm erat opus, teneri: siue ut ille parceret sumptibus, siue communi hominum errore, salutem Vrbium mœnibus magis,

M. Iãsonius in supplem. Merc.

Varia loca inuadenda proponuntur.

Rosnæus Caletum suggerit, & persuadet.

Rationes pro hac expeditione.

Iansonius. Campana. Gaspar Ens. Botereius. Haræus. Thuanus. Camerus. Coloma. Bentiuolus. Bussieres.

magis,& munimentis,quàm fortium Virorum pectoribus commendantium. Ad hæc fama est, haud ita pridem ab Rege Galliæ missos Nuæ, ac Valeriæ Dominos ad Arces in Picardiæ finibus sitas recognoscendas. Qui cum eo minimè uterentur arcano, quod esse anima grauis cuiusque negotij solet; Gallicâ facilitate nimis disertè loca illa inualida esse pronunciarunt. Cumque Caletum tantâ famæ celebritate inclytum obiectaretur, candidiùs illi, quàm cautiùs responderunt: si quâ parte, quâque ratione magis esset idoneum, Arx illa oppugnaretur; eiusdem expugnationem duodecim dierum negotium fore. Ea vox, auctoribus, uti plerumque accidit, nocitura; per exploratores (quorum, apud hostes latentium in rebus præcipuè bellicis magnus est usus) perlata statim ad Rosnæum fuit. Ipse, quâ erat animi sagacitate, significatam ab illis rationem, ac viam aggrediendi Arcem secum indagare conatus est. Cùmque eam videretur sibi tandem deprehendisse; hanc præ omnibus expeditionem Archiduci suadere pluribus hisce argumentis contendit.

1596. *Catherinus.*

Caleti

Portum eum esse maximè commodum Angliæ, Galliaque commercijs: in Hollandiam quoque Zelandiamque inde soluere Gallos: eodem appellere Belgas Fœderatos; Exercitusque sibi mutuò auxiliantes per eum ultro citroque deportari: ut illo uno capto, de tribus simul hostibus reportari victoria videretur. Nec minori futurum usui Belgicæ Regis ditioni ad excipienda, quæ mitterentur ex Hispania, subsidia per mare, cuius ipse adeò tutum ostium esset. Nihil verò minùs ab hostibus, quàm eam oppugnationem, timeri. Arcis Præfectum iuxta inexpertum, atque incuriosum alia omnia cogitare. Præsidiarios milites, & pro loci necessitate paucos: & quod in superioribus bellis neutri Partium studuissent, parum exercitatos. Ad rem feliciter absoluendam duo maximè requiri: in deliberando silentium, in exequendo celeritatem. Antè occupandos circum Caletum aditus omnes, terrà, marique, quàm ad hostes eius consilij vel tenuis rumusculus dimanaret. Eâ ratione prauerti posse subsidia, quæ statim undique submitterentur, & conatus omnes irritos facerent. Opus demum, si rectè administraretur, facile: si feliciter conficeretur, perutile, & gloriosum; paucis diebus ad exitum perductum iri, tanti præsertim Principis tot in rebus spectatâ, celebratâque prudentiâ dirigente. His adductus rationibus Albertus eam tandem deliberationem suscepit, eumdemque Rosnæum operi exequendo præfecit, qui fuerat auctor mouendi. Quò tamen res magis esset in arcano, vulgari iussit, velle se omnino ad liberandam obsidione Feram viribus cunctis contendere. Quare Valencenas Hannoniæ Vrbem elegit, ubi cogeretur Exercitus, & lustraretur. Magnum præterea

Bentiuolus. Coloma.

Caleti expeditio suscipitur, sed dissimulatur.

Valenzina, ò Valentiana.

1596. *Arras.*

rea mandauit in promptu esse commeatuum, instrumentique bellici apparatum, ut Duacum, Atrebatum, atque in finitima loca, quocumque opus esset, deportarentur.

ALBERTVS ipse Valencenis adfuit ineunte Aprili cum maxima Copiarum parte. Cumque recenseri iussisset Exercitum uniuersum, ex ijs unum, quos dudum vidisset Belgium florentissimos; numerati sunt in eo Hispani quinquies mille: Itali mille quingenti: Burgundiones mille: totidem Hiberni: bis mille quingenti Germani: sexies mille Vallones: Pedites omnes lectissimi: Equites postremò ter mille quingenti. Eos voluit Archidux in agmina diuersa distribui, atque aliud aliò proficisci: ut magis incertos redderet Hostium animos, quem præcipuè locum essent aggressura: adeòque, vel ad cunctos prupugnandos diuiderent Copias, ac proinde debilitarent: vel eorum aliquem minus munitum relinquerent, quem singula facilè occuparent. Igitur Ambrosium Landrianum cum parte Velitum, seu leuioris Equitatûs, & Marchionis Treuici legione Monstrolium versùs immisit. Quod Oppidum in viâ Feram ducente situm, obsessum iri potissimùm fama vulgarat. Georgium Bastam cum alterâ Velitum parte proficisci iussit in Agrum Cameracensem. In Oppidum Sancti Pauli suscepit iter Augustinus Mexia cum Hispanorum unâ legione, duabus Vallonum. Atrebatum, ac Betuniam versùs Belgicas turmas duxit Bossuti Comes. In hoc diuersorum itinerum quasi labyrintho dum suspensos, dubiosque tenet Albertus animos non magis hostium, quàm suorum: imperat repentè Rosnæo, ut cum Aloysio Velasco, & Alphonso Mendozza, eorumque Copijs, & præterea quadringentis Equitibus, Valencenis ad Oppidum Sancti Audomari summa celeritate, ac silentio se conferat. Quamobrem ille digressus vespere, totam noctem in itinere consumpsit. Eò prouectus, opperientes inuenit Claudium Barlotam, & Carolum Longouallium Buquoij Comitem cum duabus Vallonum legionibus. His sibi adiunctis, septemque bombardis comportatis, tam occultè, ac properè Caletum aduolauit; ut priùs Agrum Caletensem teneret, quàm ipsius Milites, nedum Hostes, eam profectionem suspicarentur.

Monterollo.

Exercitus recensio & in varia loca distributio.

Sait' Omer.

Rosnæus cum alijs Caletū adoritur.

AD Oceanum Britannicum in Gallici littoris extremo margine situm Caletum est: quà Galliam inter, Angliamque leucis triginta patens fretum interiacet. Cumque in quadam terræ lacinia longè porrecta in mare, extra omnem militarem viam sit; nulla loci eius aut oppugnandi cura sollicitarat Hispanos, aut Gallos defendendi. Hanc sedem omnium postre-

Eius situs, & descriptio.

Bentiuol.

mam Angli deseruere, ex uniuersa Gallia pulsi, postquam diu tenuere Normanniam. Portum habet nauium capacissimum, eminentibus utrinque sabuli magnis tumulis munitum. Circumiectum Vrbi solum ferè totum redundantibus è mari stagnis ad multa passuum millia superfunditur. Mœnia verò propiùs circumducta fossa custodit, aquâ ex interfluente Caletum Harnia amne deriuatâ. Forma Vrbis quadrata in angulis tribus, præter antiquas turres, propugnacula exhibet ritu recentiore structa, ac munita. Quartus verò angulus, qui ab Occidente Sole protenditur ad Septemtriones; propugnaculi loco Arcem habet, ipsam quoque quadratam, atque ex veteri structura turribus in quatuor angulis definitam. Ambitus Vrbis leucâ ferè unâ circumscribitur, muris undique cinctus, aggestâque intus terrâ munitus; quamuis vitio temporis, incuriâque Defensorum, pluribus locis labefactatus, & factus infirmior. Ex parte, quæ mare spectat, Suburbium est habitatoribus frequens, præ celebritate commercij, ac nautarum opportunitate: sed quòd Vrbis munitione defenditur, suis nudatum munimentis. Hoc iuxta Suburbium in extremo cumulo arenæ, qui prominens in mare, atque ad terram inde se sinuans, portum efficit; antiqua turris exsurgit, quam Risbani nomine appellant. Hæc portûs ostium seruans, pluribus instructa bombardis, ingressum eius prohibere facilè potest. Ex opposito verò latere continentem versùs una tantùm via, eaque angusta ad Vrbem ducit, circumiectis lacunis cætera occupantibus. Eam viam, mille ferè passibus Caleto procul, pons aquæ subterfluenti impositus custodit, cui à Niuleto, seu Nouabriga vicino Suburbio nomen est. Suis hic turribus munitus, excubijsque defensus, iter, cùm oportuerit, intercludit. Turrim eam, atque hunc Pontem, duas velut ansas teneat, necesse est, quicumque Caletum capere in votis habet. Atque hæc fortassis fuerit arcana ratio Vrbem eam breui occupandi, paulò antè memorata, quam duo illi Galliæ Principes per loquendi facilitatem adumbrarunt; tertius Rosnæus per ingenij solertiam, locorumque peritiam expressit. Is namque sagaci animo prospiciebat: nisi pontem illum occuparet, ad stagna transmittenda, Vrbique admouendas Copias, multum temporis, ac laboris impensum iri: & nisi turri potiretur, ac proinde portum haberet in potestate; tot mari Caletum adlapsura subsidia, ut vanum postea futurum esset à paucitate Defensorum sperare victoriam.

IGITVR ex Oppido Sancti Audomari Copijs deductis, celeritate præ bombardis simul aduectis incredibili, quinto Idus Apri-

1596. *Dune.* *Torrioni.* *Riuellini.* *Rocca.* *Terrapieno.* *Dune.* *Thuanus. Catherinus. Campana.* *Catherinus. Bentiuolus.* *Marchiare.*

1596. Aprilis sub auroram ad Niuleti pontem Rosnæus adstitit improuisus. Nullâque interpositâ morâ, nec spatio Defensoribus dato animum colligendi, nedum postulandi subsidia (erant autem tantùm Milites quadraginta) iussit, hinc ab Hispanis Peditibus, illinc à Vallonibus locum oppugnari. Tùm quatuor displodi minora tormenta non tam ut murorum concussione multùm proficerent, quàm ut animos Propugnatorum terrore penitùs consternarent. Et hi quidem pauci numero, parum instructi, ex inopinato circumuenti, & quòd caput est, Capite destituti, cuius auctoritate in fide continerentur; despondentes illico animos, omnique defensione posthabitâ, fugâ se proripuerunt in Vrbem.

Rosnæus pontem Niuleti capit.

POTITVS ponte Rosnæus, eiusque tutamento relictis Vallonum cohortibus quatuor, ne momento quidem temporis moratus (quandò vincendi spem omnem in celeritate posuerat) ad Risbani turrim ex improuiso pariter aggrediendam properauit. Locatis itaque, directisque subitò bombardis eam furibundè quatere cœperunt Obsessores: earumque tribus ad portus ostium dispositis, & frequenter displosis, adiunctisque ictibus mosquetorum, quæ Vallones passim exonerabant, ne Defensorum multitudo Turrim ingrederetur, prohibebant. Ita Suburbani Milites adiungere se loci Custodibus tentarunt sæpius, numquam potuerunt. Intra turrim soli sexaginta numerabantur: hi quoque periti Moderatoris indigentes. Quamobrem etsi locus erat naturâ, & arte ita munitus, ut multos dies posset hostium impetum sustinere: Defensores tamen, ubi displosis bombardis suorum aliquot extinctos viderunt, magno terrore perculsi, eum deseruere, atque in ipsa fugâ intercepti sunt, ac perempti: & vix eorum triginta cymbularum quarumdam beneficio ad Suburbium incolumes appulere. Viriusque tam facilè capti loci felicitas ipsius Rosnæi opinionem, ac spem superauit. Tantum ad res bellicas est in celeritate momenti.

Compagnie.

Et mox turrim Risbani.

TAM fortunati principij haud negligens Rosnæus, hostiumque periculo factus doctior; turrem dispositis aptiùs tormentis, pluribusque Militibus ad custodiam collocatis, ita muniuit: ut multò validiùs posset illata mari subsidia distinere. Neque fieri quidquam poterat opportunius: siquidem Boloniâ, quæ Vrbs sex circiter leucis Caleto distat, quòque iam huius periclitantis fama peruenerat, profecta ex Hollandicâ Classe ibidem morante, aliquot instructa Militibus nauigia, postridie manè ad Caletense litus apparuere: & quamuis omni conatu intrare portum contenderent; turris tamen tormentis propulsa, & labe-

Subsidia Caletum immittuntur, vario successu.

factata, procul inde in altum recedere coacta sunt. Cùmque nauis onusta vino eorumdem ictibus demersa in ipsis portus faucibus fuisset; nouum se opposuit obicem tentantibus ingredi. Duæ tantum Hollandorum cymbæ feliciter appulsæ Milites octoginta cum duobus Præfectis in Suburbium, ei tutando, exposuerunt. Anglicanis verò nauibus eòdem postmodum allapsis per Risbani bombardas numquam patuit ad portum accessus.

Archidux cum reliquo exercitu Caletum venit.

Archidvx interea de felicibus expeditionis initijs factus certior, extemplo Valencenis digressus Caletum versùs celerrimè contendit: eòdemque conuenire Copias omnes iussit, quæ per dissimulationem suscepti consilij, fuerant in diuersa distributæ. Tertio Idus Aprilis peruenit ad Caletensem Agrum: & Castra subitò metatus est inter Niuleti pontem, & viam, quæ Grauelingam ducit. Stationem verò suam collocauit prope Diui Petri Templum, dimidiâ ferè leucâ ab Vrbe dissitum.

Acta pars.

Rosnæus Suburbium oppugnat.

Posita obsidione, & Castris faciliùs, quàm frequentes lacunæ paterentur, communitis; oppugnationem adornauit Rosnæus contra Suburbium, ex eâ potissimùm parte, quæ in Vrbem vergit, & quâ Vrbis mœnia esse nouerat infirmiora. Quare in extremo portu locari tormenta septemdecim iussit. Et quamquam eius aqua vadari non posse videretur; animaduerterat perspicax in omnem partem Rosnæus, quo tempore maris æstus recedit, portum penitus exhauriri, eiusque fundum solidum, & glareosum commodam præbere Peditibus opportunitatem oppugnatum eundi. Sed ut ex alia quoque parte negotium facesseret Obsessis, paucosque Defensores distrahendo minueret; alteram oppugnationem instituit, quà Grauelingam itur, etsi murus illic esset aggesta interiùs humo, ac duobus ad latera propugnaculis validissimè munitus. Quindecim ibi statuit bombardas longiores, aliasque minores octo, quæ loricam à propugnaculis excuterent.

Decimo octauo Calendas Maias, qui dies erat Christi à morte resurgentis anniuersarius, omnia fuerunt ad impetum faciendum expedita. Ergo postridie prima luce mœnia utrinque concutere vehementer aggressi, ad exitum usque diei institerunt. Qua horâ æstu maritimo reciprocante, ad oppugnandum Hispani Pedites accurrerunt. Verùm valido vento reflante, non ita dilabi potuerunt aquæ, quin eas genuum, & alicubi laterum tenus vadare necesse habuerint Oppugnatores, non parum propterea retardati. Quamquam generosis animis difficultatem omnem superantibus, ad oppugnationem perrexerunt: cùmque ad quartam noctis horam, plena affulgente Luna, dimicatum

acer-

1596. acerrimè fuisset, Gallos referre pedem coegerunt, Militibus supra centum ex eis, atque Hollandorum Præfecto desideratis. Quamobrem qui reliqui erant, Suburbij passim ædibus incensis, in Vrbem se recepere. Postero die Rosnæus cum suis in vacuum Suburbium successit: atque ibidem disponi tormenta iussit duo & viginti, ad validiorem in Vrbem impressionem faciendam.

Eo expugnato in Vrbem arma vertit.

HAEC inter Galliæ Rex, primò Hispanici Exercitus motu audito, incertus tamen quam esset ille partem inuasurus; noluerat Feræ obsidionem soluere, cuius breui se potiturum, ob extremam alimentorum penuriam, pro certo habebat: sed ad Copiarum imperium Comite Stabuli relicto, siue, ut alij scribunt, Mænio Duce, iam in Regis gratiam recepto; cum sexcentis Equitibus, & Cohortibus ad custodiam Regij corporis delectis, Abbatis-Villam properauerat. Indè Monlucium cum bis mille Peditibus ad Monstrolij subsidium miserat, diditum rumorem sequutus, eum locum obsessum iri. Vbi verò factus est certior, hostilem Exercitum præter omnium opinionem Caletum obsedisse: magnâ sollicitudine Monlucium eumdem, & Sanpaulium eius prouinciæ Præsidem, & Belinium impulit, ut è Sancti Valerici portu statim soluentes, tentarent in obsessam Vrbem ingressum. Fecerunt illi diligenter, atque audacter imperata: sed aduersantibus ventis, qui per eos dies violentissimi flabant, eòdem, unde discesserant, repulsi sunt. Igitur ob instans graue periculum, Rex omnis impatiens moræ, voluit ipsemet eumdem portum adire. Verùm perspectâ tempestatis aduersæ insuperabili vi, Boloniam postridie contendit; inde faciliùs posse deferri subsidium, spem facientibus Nauarchis. At eam quoque delusere venti, Caletum nauigantibus obnitentes. Neque ullus terrâ patebat ad irrumpendum aditus, uniuersâ regione ab Archiducis exercitu circumsessa. His angustijs rerum anxius Henricus illud ad extremum malo propè desperato remedium excogitauit: ut lectorum Peditum aliquot centuriæ conscensis nauibus mari se committerent, ac per illud vagarentur, omnem temporis atque auræ occasionem captantes, ut in portum utcumque intrudere se possent. Sed neque hoc inuentum quicquam profecit. Etenim diu, multùmque agitatæ naues, atque huc illuc impulsæ, nunquam litus attingere potuerunt: quod etiamsi attigissent, bombardarum è Risbani turre fulminantium impetum nequaquam euitassent.

Campana. Coloma.

Hēricus Rex Caletum subsidia per mare mittit.

Ea distinentur à ventis.

NE verò ullam Rex prætermitteret Caleti seruandi viam (tanti momenti is locus erat, quem vulgò frænum, & clauem Galliæ vocant) plures Nuncios in Angliam misit, qui Classem iam

Georg. Braunius in Theatro Vrbium lib. 5.

Henricus subsidia petit ab Angliæ Regina, sed non impetrat.

iam in portu Doueræ paratam, Regis nomine ſtimularent, ut rectiſſimo, breuiſſimoque curſu proueheretur, ad Caletenſem Vrbem communis hoſtis obſidione liberandam. At Regina, quæ animo longè alio quàm ut Gallos iuuaret, eam Claſſem coegerat: cuique cum Gallicis Legatis de conditionibus eius expeditionis minimè conueniebat; illam ex Anglia ſoluere non permiſit. Adeò Cardinalis Alberti felicitati, optimisque eius Belgicæ gubernationis auſpicijs non venti ſolùm hoſtibus obluctando militare videbantur: ſed Hoſtes ipſi non conſentientes inter ſe, ſubſeruire. — 1596.

OCCVPATO Caletenſi Suburbio, Roſnæus bombardarum impetum inde in Vrbis mœnia conuertit. Quæ cum ex eo latere non admodum eſſent iniectâ humo munita, paucis horis concuſſa, tantum duxere hiatum, ut commodum oppugnationi aditum præberent. Ac dum Pedites Hiſpani, Vallones, Itali certatim accingunt ſeſe ad impetum faciendum; Obſeſſi ad eos Hoſtium progreſſus attoniti, ac præ paucitate ſuorum ſpe depoſitâ, Tympaniſtem ad Obſeſſores tranſmittunt, qui deditionem Vrbis offerat. Eius conditiones huiuſmodi fuere. *Vt liceret Gubernatori cum hominibus, & rebus, quascumque vellet, ex Vrbe in Arcem ſe recipere, relicto tamen inſtrumento bellico, & commeatu, qui tùm in Vrbe foret. In Arce verò ſex tantùm dies moraretur, expectando ſubſidia. Quæ ſi minùs intra id ſpatium temporis inferrentur, Arce quòque Alberto deditâ Boloniam cum ſuis mari, terra-ve commigraret. Interea liberum eſſet utrique Partium, neutrâ interturbante, opera moliri, ac perficere tam pro ſe, quàm contra hoſtem, poſt eas breues inducias uſui futura.*

Terrapienate.

Caletēſes deditionem offerunt cum conditionibus.

Breues induciæ inſtituuntur.

HIS conuentionibus utrinque ſancitis, Obſeſſores ſine morâ extruere aggeres, tormenta diſponere, alia omnia, oppugnationem facturà validiorem, præparare. Obſeſſi contrà lunatum, opportuniſſimo omnium loco erexere munimentum: quadrata duo propugnacula adiuxerunt: muri partem à bombardis præcipuè quatiendam maiore terræ aggeſtæ copiâ roborarunt: quæcumque demum excogitare poterant ad defenſionem aptiſſima, conſtruxerunt. Et quia nullum intercedebat mutuis laboribus impedimentum, erant opera in ſuo quæque genere abſolutiſſima. Imò dignum viſu ſpectaculum utrinque dabatur ijs, qui erant ab operibus otioſi. Obſeſſi enim ex Arce ſpectabant non ſine curioſâ iucunditate, niſi quantum eam timor corrumpebat, quæ in hoſtium Caſtris contra ſe machinæ adornabantur. Hi verò è Campo, tanquam è theatro, quæcumque illi moliebantur in Arce, velut in ſcena, tantò lætiùs contemplabantur, quantò

Mezelune. Piatteforme.

Iucūdum ex utraque parte ſpectaculum.

Coloma. Bentiuolus.

1596. quantò certiores erant futuræ victoriæ: atque hostiles illos conatus iam tùm gaudebant in maiorem suam gloriam redundaturos.

At Galliæ Rex dies, noctesque eam versans animo curam, ut si quà posset Caleto iam ad extrema redacto subueniret; nè quid intentatum relinqueret, Boloniâ quàm potuit occultissimè trecentos lectissimos Milites cum his mandatis transmisit, ut cunctis se periculis obiectantes, ac viam rimantes omnem in Vrbem utcumque se penetrandi, vel tantum operis, vel ipsam vitam ad exitum perducerent. Inter eos nominari plerosque voluit è præcipuis militum Præfectis exploratæ virtutis: ijsque omnibus Moderatorem imposuit Bertrandum Patrassium Campaniolæ Dominum, existimationis magnæ bellatorem, & Boloniæ Præfectum. Is nocturno tempore digressus, ac duabus ante lucem horis factus Caleto propior ad leucæ dimidium, ut se suosque in Arcem insinuaret, animum, neruosque contendit. Obstabant interiecta æstuaria, in humiliorem situm infundente se mari: atque ad loci custodiam erectum munimentum, cui Treuici Marchio Neapolitanus præerat cùm Militibus eiusdem Nationis. Vtroque tamen impedimento submoto, fortunam experti sunt Galli suis conatibus obsecundantem. Namque & maris æstus eo tempore se sorbuit, ac refluxit: & militares Excubiæ vel sopitæ, vel socordes prætereuntem hostem non obseruarunt. Quamobrem is prorsus incolumis, atque intactus in Arcem plausu maximo acceptus est. Ibi mandata regia Campaniolus exposuit. *Tuendam constanter Arcem, aut fortiter occumbendum. Si sustinerent adhuc aliquandiu obsidionem; venturum quamprimùm auxilio cum ingentibus Copijs ipsum Regem.* Quibus verbis animatus cum cæteris Franciscus Sanpaulius Bidessani Dominus, Caleti Gubernator, pollicitus est omnium nomine, Arcem se constantissimè defensuros.

Thuanus.

Sentinelle.

Subsidiũ ab Henrico missum Arcem ingreditur.

Ex ijs, quæ gerebantur ab Obsessis, iniecta suspicio est Obsessoribus, subsidium eos aliquod excepisse. Quod ubi compertum habuit Archidux, vehementer indignatus in Treuici Marchionem, eiusque Copias, quarum incuria factum id fuerat; eum ex loci custodiâ submouit; Aloysiumque Velascum pro eo cum Hispanis militibus subrogauit. Cùmque iam sextus appeteret, ac postremus induciarum dies, misit in Arcem, qui deditionem peteret ex conuentis. Responsum fuit: *Eam factum iri inter ipsos conuenisse, quando nullum subsidium adesset intra condictum dierum internallum. Iam verò id ab se tale acceptum, ut Arcem possent in posterum strenuè tueri.* Ea re commotus vehementer

Al-

Albertus, longè validiorem adornari oppugnationem iubet. 1596.

Obſeſſores Arcem vehementiùs oppugnant.

IGITVR euolutis induciarum diebus, vix bene diluxerat, cum ardore ſummo quati bombardis Arx ab Obſeſſoribus cœpit ex eâ potiſſimùm parte, quâ maioris propugnaculi frons ſuperimminebat portui. Multa quoque tormenta eodem tempore defenſionem vetabant. Quare tam acris, ac diuturna concuſſio fuit, ut frontis eius pars maxima ad ſolum diruta ſpem oppugnationis faceret, atque aditum Obſeſſoribus aperiret. Haud ſegniùs in eos tormentis inuecti fuerant Defenſores: ut ſæuus propterea gliſceret ab utrâque parte conflictus. Ad oppugnandum ante alios immiſſi fuere, qui primas in eo genere bellandi ferè ſemper agebant, Hiſpani, & Vallones cum Tribunis ſuis Mendozzâ, Velaſco, Barlotâ: quibus pronum erat non unam Arcem, ſed prouincias integras expugnare. Italos alij ſcribunt ad oppugnationem reliquis præiuiſſe, ut inuſtam palmaris incuriæ notam, ob ingreſſum ſubſidij non præcluſum, noua virtutis, induſtriæque oſtentatione delerent.

Catherinus.

SED primus Oppugnatorum impetus tanto Defenſorum robore repreſſus fuit, ut per propugnaculi ruinâs aſcendere minimè licuerit. Acriores tamen è repulſâ exciti ſpiritus eos ad oppugnandum ferociùs animarunt: tantâque vi propulerunt in hoſtes; ut quamuis paulò ante impetu ſuccenſi cuniculi multos è ſuis extinctos vidiſſent, nullo diſcrimine territi, aut retardati; per ruinas irrepſerint, muris impoſuerint ſigna victricia, ad Arcem demum immixti Defenſoribus penetrarint. In hac iteratâ oppugnatione Bidoſſanus Gubernator cæſus cum promptiſſimis quiuſque Militum. Ignauiores alij, quam euadere fugâ ſtudebant, mortem non unâ viâ obuiam habuere. Vel enim ab alijs fugientibus aceruatim oppreſſi corruebant: vel in foſſam proſilientes, aquis mergebantur: vel ab eiſdem ad ripas enatantes, circumfuſi hoſtium Equitatûs ferrum non euitabant. Ita præſtitiſſet, fortiter faciendo vitam militari gloriæ deuouere, quàm eam per tot pericula tractam, tandem per ignominiam amittere.

Ea tandem potiuntur.

IN omnes ferè ſæuitum à Victoribus eſt, quà hoſti ſuccenſentibus ob deditionem poſt conceſſas inducias minimè factam, quà ſibi, quòd ingreſſum ſubſidio permiſiſſent. Adeòque ex Obſeſſis cæſi numerantur ab alijs quadringenti: octingenti ab alijs: à nonnullis etiam ducenti ſuprà mille. Paucis vita condonata; eoſque inter Campaniolæ Domino: Fœminis quoque, Pueris, Ciuiumque aliquot, qui abiectis armis in Templum confugerant: ita iubente cùm Archiducis imperio, tùm Chriſtianâ clementiâ.

Cæſorum utrinq; numerus.

1596. mentiâ. Pauci è primarijs capti, atque ipse præ cæteris Campaniolus. Hispanus exercitus centum, siue, ut alij tradunt, ducentos desiderauit. Præcipui fuisse dicuntur Fregnanus Sessus Comes, & Vido Vbaldus Comes Paciottus, Isidori illius insignis Architecti filius, qui Arcem condidit Antuerpianam; in muniendis locis, aut expugnandis Machinator magno Parente non minor.

Sacco. Ingens præda.

CAEDEM secuta direptio est, quæ licèt militari cupidini, atque expectationi non faceret satis: tam copiosa tamen fuisse dicitur, ut prædæ totius pretium alij quingentorum millium, alij millies millium aureorum tradiderint. Quicquid enim in Vrbe pretiosum fuerat, translatum in Arcem erat: eò vero, tanquam in portuosum, & commodum locum, ingentem nobilium mercium copiam comportauerant Mercatores. Nonnulli Militum aurum, argentumque quà factum, quà signatum, ac pretiosos lapides nacti, ad tria, quinque, decem aureorum millia adepti sunt. Tria & quadraginta inuenere tormenta bellica, quæ ex impressis insignibus gentilitijs, Henrici Octaui Angliæ Regis fuisse, intellexere. Tantumque ad ea instruenda deprehenderunt apparatûs: ut eius beneficio vel solidum annum Caletenses obsidionem sustinere potuissent. Incredibilem quòque vim commeatuum coaceruatam ceperunt. Tam copiosam prædam; & quod momenti longè maioris erat, portum, Vrbem, Arcem adeò commodam, atque ab Anglis certatim, & Gallis tam exoptatam, mutuisque prælijs tot annos quæsitam; octodecim spatio dierum Hispano nomini comparauit Rosnæi Galli præcipuè virtus, & peritia militaris cum Archiducis prudentiâ, & felicitate conspirans.

Thuanus.

ARCHIDVX verò in tantæ celebritate, lætitiâque victoriæ, Christianæ, innatæque clementiæ nequaquam oblitus, mulieres magno numero viris in cæde recenti viduatas, ac per compita passim, vicosque vagantes, si urbanæ forent, in proprias remisit domos: sin exteræ, non sine alimentis, ac nummis ad viaticum collatis, abire iussit. Ad referendas verò auspici victoriæ Deo debitas grates, Templum princeps adiuit, Clero in occursum exeunte. Ibi sacram Eucharistiam cum Sanctorum corporum reliquijs in arâ maximâ propositam piè veneratus, habitam Clericorum nomine orationem humaniter audiuit, eosque cum Populo, qui frequens confluxerat, benignissimo alloquio solatus est. Faustis demum acclamationibus omnium prosequentibus Templo egressus. Indè ad ipsius loci commoda, ac tutamentum conuersus, edixit, ut domus omnes, viæ, ac fora respersa

Iansenius. Coloma. Archiducis clementia, pietas, ac liberalitas.

1596.

tabo, funesta cadaueribus, corruptique aëris vitium facilè conceptura, odore tetro, sordibus, & squalore omni perpurgarentur. Aliquot præterea naues in portu Duncherchæ stationem habentes adduci iussit, ad Caletum aduersùs Anglos, Hollandosque tuendum, donec ad idem in posterum validiùs, quàm ipse offenderat, muniendum, noua propugnacula, & moles extruerentur. Denique ut lætiorem multò Militibus suis eam victoriam faceret, præter ingentem, quam memorauimus, prædam, abactique à Boloniensi Agro pecoris copiam; stipendium iisdem in menses aliquot numerauit. Quâ liberalitate communi lætitiæ superadditâ id in suorum animis consequutus Albertus est: ut nulla tam ardua foret, nulla tam plena discriminis expeditio, ad quam non alacri cursu Miles protinus aduolasset.

Catherinus.

Henrici Regis anxietas ob amissum Caletum.

At longè alia erat Galliarum Regis Henrici conditio: cui Caletum amissum non modò anxiam infixerat animo sollicitudinem: sed necessitatem quòque imposuerat penè supremam fœderis cum Angliæ Regina, Hollandicisque Ordinibus sanciendi. Quippe nondum redactâ in potestatem Ferâ, durum admodum videbatur soluere obsidionem cum tot impensorum sumptuum, mensiumque iacturâ, & quod multò pluris est apud magnanimos Duces, existimationis detrimento. Quòd si à neutrâ fœderatâ Natione noua Militis, & pecuniæ quamprimùm acciperet supplementa; alterum cogere non poterat exercitum, qui victricibus hostium Copijs opponeret sese, ne cæteras inuaderet prouinciæ Vrbes, atque Arces, nihilo se validiùs defensuras, quàm Caletum fecisset, naturâ, & manu communitum.

Iterum auxilia postulat ab Regina, quæ rursus negantur.

Hac animaduersione impulsus, ad agendum cum Angliæ Reginâ Bullonium Ducem præ cæteris elegit: cuius apud eam haud leuem esse norat auctoritatem. Reginæ verò assensum sequuturos Hollandos pro certo habebat. Igitur Bullonium ad eamdem legauit, ut mutuo fœdere firmato, Classem Anglicam ad Boloniæ Portum quamprimùm trasportari curaret.

Verùm alia omnia Regina cogitabat: tum quia necessitate adactum volebat Regem ad portum sibi aliquem in Galliæ orâ concedendum: adeòque Caleto subuenire recusauerat, nisi suas in manus tradendum esset: tum quòd reconciliato Catholicis Rege sagax Fœmina prospiciebat, in Hispani potestate futurum cum Gallo pacem pro arbitratu componere, ubi Galliam infestare desisteret. Quorsum ergo nouis se sumptibus onerare, quos infrugiferos reddere, foret in hostium manu? Ac licèt multum Bullonius auctoritate, facundiâ, rationum momentis persuadere conaretur, ut iam parata Classis in Galliam subsidio

mit-

1596. mitteretur; id tamen impetrare non potuit. Sed fœdere tantùm inito, ad idem cum Hollandis sanciendum perrexit in Belgium.

ALBERTVS inter hæc ex uno aptus sese, ancipiti pependit animo diu, num ardore Militum, Hostiumque terrore ex insigni partâ victoriâ uti deberet ad aliam quampiam adoriendam præcipuam Arcem: quo tentamento compulisset Henricum à Feræ obsidione recedere, nè locus alter alicuius momenti veniret in Hispanorum manus. Verùm ab eo consilio duplex eum causa deduxit. Altera necessitas fuit Caleti quàm citissimè, & quàm validissimè resarciendi. Iam enim non sola Gallia, sed & Anglia, & Hollandia Exercitus, & Classes immissuræ videbantur ad vendicandum ab Hispanis portum adeò suis nauigationibus commodum, eisdemque, nisi reciperetur, infestum. Altera, quòd reficiendus erat quiete Miles post tot pericula, incommodaque obsidionis. Quippe in eâ perpetuò sub aperto Cælo degendum fuit, cùm casas, aut tentoria locus ille non ferret. Dies igitur decem Exercitui recreando; Vrbique, atque Arci validiùs multò quàm antea, muniendis insumpsit Archidux. Eodemque tempore Guina, & Hama deditionem fecerunt, solo eam misso Tubicine postulante. Adeò consuetum pariter, ac tutum est, ex alieno periculo discere suum præcauere.

Albertus Guina, & Hama potitur.

REX verò Henricus ad diem usque alterum ab expugnatâ Caletensi Arce Boloniæ moratus; ubi nuncium tam acerbum accepit, nè ex eodem Feram perlato quidpiam ibi accideret noui, aut aliud subsidium inferretur; ad eius obsidionem regressus est, animo, ut nunquam, inflammato ad illam viribus omnibus oppugnandam: ut eâ demum captâ in hostilem Exercitum arma conuerteret, Caletumque antè recuperare studeret, quàm ab Archiduce munimentis maioribus roboraretur. Eòque spes processerat eius quamprimùm recipiendi: ut (siquidem, quod quisque cupit, facile sperat) Angli, Hollandique Mercatores quouis deposito pignore contenderent, nè trimestri quidem spatio futurum in Hispanorum potestate Caletum. Priùs tamen, quàm Feram versùs rediret Henricus, Boloniam ipsam, Ambianum, Monstrolium, Ardeamque Caleto vicinas Vrbes rebus ad defensionem opportunis instructas, egregiè muniuit. Neque inanis fuit magni Regis, ac Ducis prouidentia. Namque post varias deliberationes Albertus, sapiens Rosnæi consilium, ut adhuc sæpe, sequutus, Ardeam potissimùm oppugnare decreuit: quòd ab eius propinquitate molestiæ plurimum poterat Caleto timeri: spemque idem Rosnæus fecerat, antè illam captum iri, quàm Rex Ferâ potitus ei subuenire posset.

Camerus.

Henricus vicinas Vrbes munit.

Amiens. Monterollo. Ardres.

Ardeæ situs descriptio, & munitio.

1596. Coloma.

Ad Vallem quamdam oblongam, neque admodum latam, speciem habentem theatri, Ardea sita est, tribus ferè leucis Caleto procul. Collis cliuo insidet, atque in omnem dominatur circumiectam planitiem: quæ quantum bombarda iacit, protenditur. Exinde montes obiectantur, ac syluæ, tam inepta Castris ponendis loca, quàm hostilibus insidijs opportuna. Quodam ex latere ita desidit humus, ut udi multum obtineat. Munitissima Vrbs est, non ambitu, qui parum latè explicatur; sed excelsâ positione, atque artis industriâ. Et quia nunquam antea bello capta, Virgo appellabatur à Gallis. In editiore parte Suburbium assurgit, quod paulò ante obsidionem Præsidiarij milites cum Incolis accuratè munierant. Vrbi præerat Anneburgi Dominus, magnæ virtutis, atque experientiæ Bellator: aderatque Franciscus Auertonus Belini Comes in Picardiâ Regis Locumtenens, unàque Monlucij Dominus, ætate iuuenis, virtute par celeberrimis Galliæ veteranis. Hos ambos Ardeam præmiserat, quasi futuri præscius, Henricus, magnum Vrbi præsidium, ac tutamentum. Præsidiarij verò Milites ibidem recensebantur bis mille Pedites, Equites mille quingenti. Neque tormenta deerant, & quantum ad defensionem satis erat bellici apparatus.

Campana. Thuanus. Carnerus. Iansonius. Boterius. Haræus. Coloma. Catherinus. Bentiuolus. Bussieres.

Præfectorum dissensiones.

Vnum obstare videbatur, nè diligentiâ, conatuque omni Vrbs propugnari posset: multorum imperium. Vt enim quot capita, tot sententiæ: hæ minimè inter se conuenientes, coniunctis omnium viribus ad exitum perduci, pessimo publico, nequibant. Gubernatoris namque consilium erat, Suburbium omni ope tueri, ut quàm remotissimè, ac diutissimè possent, hostem ab Vrbis mœnibus distinerent: donec Ferâ expugnatâ, subsidio Rex adueniret. At Belini Comes contrà sentiebat: perniciosum esse dicens, in locis defendendis, qui diu defendi non possent, absumere Militem ad magis utilia opera, & successura impendendum. Quia tamen cæteri Militum Præfecti in sententiam Gubernatoris ibant, ea vicit: ac magno instructum Præsidio suburbium fuit. Altera inter eosdem erat orta dissensio: quòd censebat Belinius assiduis bombardarum displosionibus hostium Castra infestanda, opera disturbanda. Anneburgius verò tot ictibus tormentorum parcendum: ut pyrius puluis, quo se non nimium abundare nouerat, ad extrema necessitatum, atque ad obsidionem prorogandam reseruaretur. Et quòd hic auctoritatem Belinij suâ maiorem videbat: eiusdem pulueris partem occuluit, tùm promendam, cùm quæ palàm erat, defecisset.

Dvm hi suis dissidijs viam hosti præstruunt ad victoriam; Ar-

1596. chidux ad Caleti gubernationem relicto Ioanne de Riuas; pridie Nonas Maij cum omnibus Copijs inde discessit. Ac prima ad Guinam Castra fecit: postridie sub ipsis Ardeæ mœnibus exercitum collocauit. Tantâque usus est in profectione, ac circumsessione diligentiâ, ut eodem, quo peruenit, & subsequenti die Castra posuerit, ac munierit. Ea quàm longè potuerat, hinc ab ictu bombardarum Vrbis, illinc à montibus, nemoribusque seiunxerat. Inter montes verò, ac sua munimenta tantum interualli reliquerat: ut commodè possent cum ordinibus tam Peditum, quàm Equitum acies explicari. Ad singula præterea capita viarum, quæ septæ arboribus, ac syluis, è montibus ad planitiem declinabant; ingens Militum numerus ad excubias locatus erat: & geminus Castris prætentus agger, atque erectum utrinque munimentum, quà præsertim Boloniam, Monstrolium, aliaque Galliæ loca spectabant. In hunc modum obsidione diligenter, atque ex arte dispositâ, septimo Idus eiusdem mensis Mexiæ Pedites Hispani, & Barlotæ Vallones ad Suburbium sese cum aggeribus promouere aggressi sunt.

Albertus Ardeam obsidet.

Castrorum dispositio.

AT Monlucius, cuius animus ferox nullam hostis infestandi occasionem præterlabi patiebatur, tam vehementi erupit impetu ad dimicandum, ut opera diu, multùmque interturbauerit. Vbi verò Ioannis Texedæ Hispani Pedites, & Coquelij Tribuni Vallones in suorum accurrère subsidium; in Vrbem se recipere coactus fuit. Tùm Belinius tanto furore exonerari in eos tormenta iussit, ut laborem intermittere, atque in proximam differre noctem necesse fuerit. Quæ cum ab omni parte clarissima patuisset, à displodendis bombardis nunquam cessatum; non sine grauibus hostium damnis. Hi tamen natiuâ, ut cùm maximè, usi constantiâ, obstaculis omnibus superatis, ad exterius Suburbij munimentum sese intulere. Ac postridie manè tormenta quatuor eò dirigi cœpta, ad faciendam irruptioni viam. Monlucius verò in horas ferè singulas audacter erumpens, progressum operum retardare, ac sollicitas tenere operas non desijt: donec ictu bombardæ percussus, ac miserè diffractus, à vexatione simul, ac vitâ desistere coactus est. Ex eius obitu quantò deteriores fuere Galli, tantò animosiores Hispani, munimenta suburbij quatere sunt aggressi: quæ non admodum valida, facili negotio perrupta, ac diruta aditum oppugnationi dederunt. Hæc autem tanto impetu facta, ut Defensores loco cedere compulsi fuerint cum iacturâ Militum supra quadraginta. Verùm Hispanis, & Vallonibus confusè (ut in tumultu victoriæ, ac rei bene gestæ securitate) irrumpentibus obuiam factus

Sortite. *Lauori.*

Obsessi erumpût.

Assalto.

Guastatori.

Monlucius occiditur.

Suburbiũ capitur, & statim recuperatur.

ctus

ctus Montis Acuti Dominus Gallici Peditatus Tribunus, tam atrocem in eos impressionem fecit, ut post cruentum duarum horarum certamen Suburbium recuperarit, hostibus acerrimè propulsatis, eorumque trecentis omnium strenuissimis cæsis. Tanti est non modò in pugnâ, sed etiam in victoriâ ordinem, ac moderationem seruare.

Tandem Obsessoribus relinquitur.

Postridie à primâ luce ad meridiem munimenta concussa: deinde quatuor ex partibus Pedites ad oppugnandum prouolarunt, Vtrinque vehementissimè dimicatum: Barlota grauiter saucius; lapide ictus in capite Mexia: Suburbium ad noctem usque defensum. Vbi primùm illuxit, instaurata ex omni parte oppugnatio. Quare Belinius imbecillitate loci ad prolixiorem defensionem probè perspectâ, nè tam multorum Militum iacturam faceret, sed eos ad Vrbem tuendam reseruaret; intra Ardeam se recipere eosdem iussit. Verùm recedentium tergo hostibus vehementer instantibus, atque ad Vrbem perrumpere connitentibus, nè hi unà cum illis intruderent sese, qui ad portæ custodiam excubabant, cataractam è loco superiore suspensam repentè deiecere: quo facto plerosque suorum ab ingressu excluserunt, ac trucidandos hosti reliquere supra ducentos. Ita Suburbio potitus Archidux est.

Saracinesca.

Colom. Bentiuolus.

Virgilius 2. Æneid.

Ad id capiendum stratagema.

Non tamen defuere, qui scripserint, felicem hunc exitum ei obtigisse non tam oppugnationis impetu, quàm militari artificio, ac dolo. Quem renarrare non erit ab re; tum quia bellicæ laudi tribuitur, siue arte, seu virtute vincatur: tum ut exemplo sit posteris vel ad usurpandum, vel ad præcauendum. Vrbem inter atque Suburbium clandestina quædam semita erat, & solis eius Vici Inquilinis nota, quæ foras in campestria ferebatur. Peruènit eius rei noticia per Vallonem, eius loci peritum, ad Hispanum, quem modò memorauimus, Texedam. Is commonefecit Archiducem, posse per eam viam noctu clam in Suburbium Milites insinuare se, eiusque ex improuiso potiri. Rogauitque, ut rei conficiendæ cura sibi demandaretur. Et fidem ei habuit, & rem commisit Albertus. Ille proximâ nocte mille secum adductis Militibus partim Hispanis, partim Vallonibus, ad eius viæ aditum se contulit. Atque ut inde magis auerterentur animi Defensorum, ex parte alterâ, quâ parata tormenta fuerant, ad arma conclamatum. Cùmque hostes magno numero, atque impetu eò concurrissent; Texeda cum suis progressus est in Suburbium. Quod ubi Galli, quamuis seriùs, animaduerterunt, in eos conuersi sunt omnes. Atrox adeò, ac pertinax utrinque prælium fuit; donec Texeda nouis viribus auctus po-

nitùs

1596. nitùs in Suburbium irrupit, atque hostes demum inde recedere, & confugere in Vrbem coëgit. Vel in hunc modum intercepto, vel aliter expugnato Suburbio, iussit Rosnæus Peditatum ibidem se constituere, ac munire.

Vrbs acriter oppugnatur.

TVM aduersùs Vrbem tormenta disposita: quorum ut horribilior esset impressio, maiores quædam bombardæ Caleto pertractæ, atque in loco præcipuo collocatæ. Aliæ multæ directæ ad hostium ictus prohibendos. Duplici verò ex parte, Rosnæi præscripto, præparata concussio. Alteri aderant Hispani cum tormentis undeuiginti: alteri cum septemdecim Vallones. Indè Vrbs tota quà munimentis, quà Militibus adeò circumclusa, nullus ut aditus subsidijs pateret. Aggeribus prætereа ductis ad fossam peruenere: cuius aquam exhaurire, atque in humiliorem locum deriuare necesse fuit, ut facultas maior oppugnationis daretur.

Præfectorum noua dissensio super deditione.

HAEC dum ab Obsessoribus in Castris vehementissima præparatur; nouum in Vrbe certamen Gubernatori cum Belinio fuit. Vocatis enim Præfectis militaribus in Concilium; quæsitum est, num præstaret imminentem hostis impressionem virium omnium conatu alacriter, ac fortiter sustinere: an quandò desperata res, ac deplorata propemodum erat, præmaturè cum hoste paciscendo meliores facere conditiones suas. Belinius vel animi deiectione, ut plerique senserunt: vel quòd omnino defendi non posse Vrbem existimaret: seque ipsum, aliosque præstantes Viros secundiori tempori reseruandos censeret; ad celerem deditionem & propendebat, & cæteros inclinare conabatur. At Anneburgius in sententiâ erat prorsus oppositâ. *Quantò diutius posset, obsidionem sustinendam. Vrbem omni ad defensionem ope satis instructam. Præsidiarios ad eamdem alacres, & paratos. Regem interim expugnatâ Ferâ sine dubio, sine morâ subsidio adfuturum.* Idem alij Præfecti militum, idem milites ipsi confidentiæ pleni sentiebant. *At enim* (excepit Belinius) *unde puluerem tormentarium petemus; cùm qui suppeditabat, iam sit omnis absumptus? Multum adhuc superesse*, respondit Anneburgius, *clam ab se ad magis necessarios usus, & difficiliora tempora reseruatum: qui parcè, ac tempestiuè adhibitus iam sufficere possit in multos dies.* Hic verò Belinius irâ excandescens: *Audaciæ pœnas eum mereri*, exclamauit, *qui suo, totiusque prouinciæ Moderatori tam periculoso tempore veritatem rerum clam habuisset. Vanam quòque illam in biduum, triduum-ve prouidentiam fuisse. Regem non ita facilè aut breuì Feram subacturum.*

Catherinus.

INTER hæc dicta indignabundus è militari Concilio proripuit

puit

Eam postulat Belinius.

puit sese: & statim, multis nequicquam reclamantibus, ad Archiducem misit, qui de conditionibus ageret deditionis. Ac primò postulauit, ut legare aliquem ad Regem liceret. Quo subitò pernegato, in reliquas conuenere conditiones; ut Milites omnes inde migrarent cum armis, impedimentis, explicatis vexillis, tympanisque pulsatis: Ciuibus vel manere, vel abire liberum esset; qui tamen manerent, supremum Principem suum profiterentur Hispaniarum Regem. Ita demirantibus cunctis, conquerentibus suis, egressus est Belinius cum Anneburgio, cumque omni milite decimo Calendas Iunias, & Feram versùs iter arripuit. At è præsidiarijs Præfectis unus Manfirmus appellatus, qui propugnaculum tuebatur Hispanis stationibus aduersum, cæteris confidentior, assentiri deditioni recusauit. Et quamquam essent hostes Vrbe reliqua potiti, ipse tamen cum propugnaculum aggeribus undique munijsset; impetum sustinere intrepidè tamdiu voluit, donec displosis eò bombardis, atque omni se tuendi ratione subductâ, sine ignauiæ notâ discedere se posse ratus est.

Eius conditiones.

Et Fera deditur Henrico Regi.

INTEREA Feræ Defensores ad extremas redacti angustias, atque intelligentes, Archiducem Vrbis obsidione liberandæ spe depositâ, totum incumbere ad resarciendam abunde locorum plurium, ac præstantiorum lucro unius iacturam; tandem pridie quàm Ardea caperetur, deditionem Regi fecerunt. Hic, quò sese inde maturiùs expediret, amplas eis conditiones concessit.

Conditiones.

Ut Colasius Seneschallus Feræ Gubernator, & Aluarus Osorius Præsidio præfectus egrederentur cum omnibus Equitibus, Peditibusque in eam speciem, quâ victi milites honorificè proficisci solent. Ut ijdem tutò Castelletum usque deducerentur, secumque unam è bombardis deueherent, quæ Gallici regni insigne non præferebat. Nequid negotij facesseretur Seneschallo, vel aliorum cuiquam ob ea, quæ commissa forent ad eam diem, vel ob æs alienum contractum. Ut Incolæ fidelitatis iureiurando dicto, tanquam subiectus Populus, benignè haberentur, ac præteritis absoluerentur criminibus, cuique integrum esset inde discedere. His conditionibus Fera Henrici Regis in potestatem venit.

REX nullius patiens moræ in tot, ac tantis rerum suarum periculis, cum uniuerso Equitatu profectus est Ardeam versùs, Comite Stabuli cum Exercitu reliquo subsequi iusso. Certus erat, nemorum viam insistendo, atque illac in Vrbem descendendo, eius liberandæ fortunam experiri. Sed vix ad duo millia passuum processerat: cùm deditionis factæ nuncium accepit, tantò acerbiorem, quantò spei propior erat felicem ad exitum rem perducendi. Amissum quippe bonum tunc magis angit, cùm

propè

1596. propè manu tenetur, atque elabitur. Maximo igitur Rex dolore perculsus, nec minore indignatione commotus fuit, cùm animo volutaret, unius Administri culpâ consilijs suis omnibus, magnæque mentis deliberationibus præcisam viam. Quare Belinium in suum venire conspectum vetuit, vel eo indignum iudicans, qui sibi commissam Vrbem tam indignè destituisset: vel veritus, ne tenere aduersùs eum conceptum iræ imperum posset, quin aliquid erumperet regiæ indecorum Maiestati. Claudio tamen Castreo mandauit, ut de re totâ diligenter in eum inquiri, ac referri in acta curaret: diuque anceps animi fuit, an eum ignominiosâ morte damnaret. Sed vicere ad extremum innata Regi clementia, & anteacta Viri merita, ut vitæ parceretur: quamquam muneribus cunctis exauctoratus, in suæ ditionis loca relegatus fuit. Nec verò mirum, eum tam facilè transtulisse Ardeam ab Henrico ad Albertum: qui Lutetiam, regni caput, à Fœderatis Galliæ transferre voluerat ad Henricum. Adeò verearis oportet, nè qui bono suo parum fidi sunt hostibus, hostium etiam bono parum fidi sint tibi.

Henricus Ardeam amissam vehementer dolet; & Belinio indignatur.

QVID operis post Feram expugnatam potissimùm Rex aggrederetur, diutius ancipiti mente fluctuans versauit. Satis se roboratum viribus cognoscebat; cùm in exercitu numeraret duodeuiginti millia Peditum, Equitum sex millia: Gallicæque Nobilitatis florem delibatum, exterosque non paucos principes Viros secum adducebat. Regalem sollicitabat animum cupiditas vehemens Caleti, aut alterius amissæ Vrbis recuperandæ. At magnum pecuniæ, magnum temporis in obsidione faciendum impendium retardabat. Exhaustum valde regium erat ærarium: Picardia prouincia tot ab exercitibus, qui eam percursauerant, propemodum desolata. Quare tantas alere diutius Copias, aut in expeditionem ullam longiorem impendere se non posse intelligebat. Igitur Præfectis militum consultis, de illorum communi sententiâ decreuit ad Archiducis Exercitum propiùs admouere suum, ut ad præliandum omnino eum lacesseret.

Rex pugnare cum Alberto statuit, sed frustra.

VERÙM alia mens erat Alberto: qui regijs consilijs probè perspectis, suasque Copias numero inferiores animaduertens, siquidem recèns occupatæ Vrbes frequentibus militum Præsidijs fuerant muniendæ: optimum factu ducebat parta tueri, neque se nouæ pugnæ discrimini committere. Multum quòque laborum in oppugnationibus nuperis exantlauerat Miles. Quamobrem ut eum quiete, ac locorum commoditate reficeret, in Artesiam traduxit: atque in Oppidum Diui Audomari profectus, inde ipsum in circumiecta loca distribuit. Id verò quod in Gal-

Sant' Omer.

liæ finibus Hispanæ ditioni subiecerat, egregiè munitum reliquit: Ardeæque Dominicum Villauerdium Hispanum præfecit. His cognitis, Henricus Gallicam Nobilitatem affectantem dimittere constituit: Bironium tamen Marescallum (ut appellant) cum tribus Peditum millibus, Equitibusque sexcentis iussit ad Somonæ ripas consistere, atque in omnem opportunitatem paratum esse. Vrbes quòque in eis finibus limitaneas reliquit ab omni parte munitas. Ipse ad excipiendum Pontificium Legatum Alexandrum Cardinalem Mediceum, Lutetiam Parisiorum se contulit.

Fœderatorum excursiones coërcentur ab Italis seditiosis.

DVM Archidux Gallicis expeditionibus distineretur, Belgæ Fœderati, occasione arreptâ, Equites octingentos in Brabantiam immiserant, qui varijs eam partibus infestarent. Verùm Itali, qui Tillæmontem ab reliquo exercitu secesserant; opportunitatem ipsi quòque nacti virtutem, ac fidem in Regem suum ostentandi, ijs obuiàm Equitatus maiorem partem impulerunt; cuius beneficio & breuis admodum hostilis excursio fuit, & damnum leue. Quo præ cæteris facto meriti sunt, ut hoc ipso anno, Iulio mense stipendijs persolutis, ab Archiduce in gratiam, aliorumque Militum consortium reciperentur. Neque his tantùm auctus Exercitus; sed etiam ter mille Vallonibus, totidemque Germanis, quos Albertus conduxit in eorum supplementum, qui vel in conflictibus occubuerant, vel distributi fuerant per Præsidia.

Archidux agit de Ostenda recuperanda: sed nō exequitur.

ALBERTVM è Galliâ regressum enixis precibus obsecrauit Flandria Prouincia, ut quâ erat usus nuperrimè felicitate armorum, Ostendam recuperare aggrederetur: ad quam expeditionem ingentia Militum, pecuniæque subsidia pollicebatur. Nec minore Albertus ipse Vrbis recipiendæ cupiditate flagrabat: quæ munito posita loco, in mare dominabatur; quà verò terram spectabat, circumiacentem omnem regionem obnoxiam habebat. Igitur ad eam circumspiciendam bis Barlotam transmisit. Is ad castra ponenda situm valde importunum animaduertit; quippe frequentibus aquis circumiectum Vrbi Agrum interse-cantibus. A finitimo quoque mari, vicinâque Zelandiâ tam promptum fore subsidium, ut vana omnis videretur obsidionis industria. Nouis prætereà munitionibus in dies Vrbem augeri: adeòque iam propè inexpugnabilem esse. Quibus auditis, Archidux minimè factum satis vel desiderio suo, vel postulatis Flandrorum existimans; voluit ipsemet regionem adire, propositásque difficultates suis oculis contemplari. Quamobrem Nepportum profectus est, Oppidum trium horarum itinere Ostendâ

diffi-

1596. diffitum. Inde cuncta speculatus, & certior factus, tum milite, tum rebus alijs ad defensionem opportunis Ostendam abunde instructam; ab eius obsidione animum reuocauit.

Ne verò frustra essent Copiæ, quas interea vel coëgerat, vel conduxerat; ne-ve timore manus cum Henrico Rege conferendi, ex Galliâ discessisse crederetur; in aliam quampiam expeditionem eas censuit impendendas. Quam verò cæteris anteferre præstaret, in bellico Senatu agitatum est. Hulstum alij obsidendum dicebant, in Flandriâ situm; & quòd magni momenti futura eius esset adeptio: & quia negata ei prouinciæ Ostendana obsidio aliquâ ratione compensaretur. Alij Bergam ad Zomam, alij Gertrudisbergam, alij Bredam; Vrbes Brabantiæ omnes, proponebant. Bredæ, quòd interior esset continenti, facilè aiebant intercludi posse subsidia. Cæterùm adeò munitam, inque omnem, vel diuturnam, obsidionem instructam: ut nonnisi maximis superatis difficultatibus expugnari posset. Tres reliquas Vrbes Hollandiæ, Zelandiæque finitimas, ob opportunitatem fluminum, alueorumque alluentium, submissis inde statim suppetijs prohiberi nequire. His adeò conditionibus rerum libratis, nulla pronior videbatur, quàm Hulstana obsidio.

Hulstum aggredi opportunius docetur.

Ante tamen, quàm eam tentaret Albertus, Georgium Bastam præmisit, qui situm Oppidi diligenter exploraret: noua munimenta dispiceret: quantum in obsidione spei foret, renunciaret. Omnibus ille perlustratis, retulit: *Hulstum undique cinctum aut aquis nauium patientibus, aut lutosis, inaccessisque paludibus, per quas tormenta pertrahi nequirent sine summis difficultatibus, manifestisque periculis. Sed neque vehi nauigijs posse, cùm hostium classis id prohibitura non procul abesset: & dispositæ passim excubiæ munimentorum, ne leuioris quidem armaturæ militibus patere aditum sinerent. A Præsidiarijs ter mille custodiri Urbem, bombardis, alijsque ad defensionem aptis instructam. Viam ferè nullam ad commeatus, atque apparatum bellicum transportandum aperiri. Prohibendi subsidia nullam superesse spem: quandò tot aquis Urbi circumfusa totidem habebat aditus ad ea excipienda. Quare negotium Urbis obsidendæ tam inceptu temerarium esse, quàm exitu pœnitendum.* His à Basta propositis cùm è Senatu bellico nemo refragaretur, visus est Archidux ab eo consilio mentem abducere.

Campana p. 3. lib. 4. Camerar. l. 11. c. 9. Thuan. lib. 117.

Georgius Basta, loco inspecto, dissuadet.

Pavcis tamen interiectis diebus, ijs, quorum ea res multùm intererat, iterantibus preces, atque urgentibus, & suâmet Albertus cupidine stimulatus ad magnum aliquod opus Exercitum admouendi, alios Hulstum delegauit, qui rursus de re totâ cognoscerent, & procliuius aliquid reportarent. Datum id ne-

gotij supremo Castrorum Præfecto Rosnæo, & Barlotæ, atque Alphonso Mendozzæ Tribunis. Quibus inde regressis, mutauit sententiam Archidux, atque ad Hulstum obsidendum sese accinxit. Vt tamen ab eâ Vrbe propugnandâ Mauritij animum auerteret, se Bredam inuasurum simulauit. Rosnæus ergo cum septem Peditum millibus ex quauis Natione, cumque omni Equitatu tertio Nonas Iulias profectus est: traiectoque ad Antuerpiam Scaldi, in Pago Langestratâ constitit. Inde suspicatus Mauritius aut aliquam intra Bredam conspirationem esse cum Hostibus, aut hos Vrbis eius obsidionem verè moliri; extemplo nauibus, quæ semper habebantur in promptu, eò deportari iussit Militum partem, qui Hulstum custodiebant: quo facto huius Præsidium valde imminutum. Id verò Alberti consilijs admodum fauit: qui propterea nihil morandum ratus, ingenti vi contractâ pecuniæ; nè Militum strenuorum numero ad tantum opus egeret, Italos, qui Tillæmontem secesserant, persolutis, uti diximus, stipendijs euocauit. Igitur cùm his, alijsque Copijs in ditionem Hulstanam profectus est: eòdemque iussit iter reflectere, quas Rosnæus paulò ante deduxerat.

Suadent alij, & persuadent.

Qua Flandria prouincia spectat ad Orientem Solem, atque interiecto Scaldi seiungitur à Brabantia, terræ spatium iacet haud amplo circuitu, quod Indigenæ Vaes appellant. Ab Ortu Solis eodem Scaldi definitur: à Septemtrionibus Honte fluuio, qui Scaldis ipsius pars, tam lato tamen patescit alueo, quà in mare deuoluitur, ut huius sinus veriùs, quàm illius diuortium videatur. Ab Occasu Solis, & Meridie vergit in continentem, nec longè distat ab Agro Gandauensi. Pagos multos, ac magnos, Oppidaque nonnulla complectitur. Et quamuis positione sit admodum humili, multa suppeditat vitæ commoda tum ex benignitate naturæ, tum ex cultorum industriâ. Mediam hanc regionem insidet Hulstum, ambitu quidem exiguum Oppidum, at ob utilitates mercaturæ, aliasque præclaras conditiones, locorum confinium princeps.

Terræ Vasiæ in Flandria descriptio.

Bentivol. p. 3. lib. 3. Campana. Camerus c. 10. Color ... c. ...

Hulsti situs, & munitio.

Ante annos quinque Mauritius id occuparat, dum Gallico bello Parmensis Alexander occuparetur. Præter veterem ab naturâ, manuque munitionem, postquam in potestatem venerat Fœderatorum, varijs ab iisdem fuerat operibus roboratum. Antiqua munimenta firmarant illi validiùs: noua, & quadrata locis opportunioribus extruxerant: fossis undique ingentibus obuallarant: easdem adiectis palis reddiderant tutiores. Cùmque Oppidum communire non visum esset satis: regionem ipsam inaccessam hostibus facere contenderunt. Quamobrem duobus

Piattaforme.

in-

1596. ingentibus alueis eam concludere conati sunt: quorum alter in Scaldim, in Hontem alter aquas exoneraret. Ille rectà ferebatur Lilloum versùs, munimentum ad ripam Scaldis alteram situm: hic propiùs ad Zelandiam accedebat. Vterque tamen ita dispositus, ut facilè utrinque opportuna subsidia exciperentur. Quem ad finem duo quoque munimenta exstructa fuerant, ubi aluei in fluuios influunt: alterum Nassauij cognomento ad Lilloum: alterum Mauritij Zelandiam versùs. Per eosdem alueos, æstu maris intumescente, circumiecta camporum planities inundabatur, ut prorsus esset imperuia. In hunc modum Hulsto undique communito, frequens etiam Præsidium imposuere Fœderati, non tam ad Oppidum custodiendum, quàm ad omnem Regis Hispani finitimam ditionem assiduis excursionibus infestandam: ut vel per conuentionem amplas inde contributiones, vel per vim ampliores prædas corraderent.

Fortis.

Scorreric.

HAEC accipi damna cœpere iam tùm Ernesto Archiduce, ac post eum Comite Fontano gubernantibus Belgium. Atque ad excursiones illas aliquâ ratione coërcendas, supra Scaldis ripas duo fabricata munimenta præcipua fuere, Vasiensi obiecta regioni: hoc Austriacum, illud Fontanum denominatum; aliaque minora, ubi locorum opportunitas exigebat. His aduersas ædificarunt Hostes quoque munitiones. Duas in aggere vicini aluei, qui erumpebat in Scaldim; atque ad eas tuendas, minorem in medio unam erexerunt. Moruulium primum dixere munimentum: Rapium alterum: tertium Rapium minus. Singula verò circumductâ fossâ vallarunt. Ad ea solùm fulcienda relicto aggere, reliquum terræ utrinque deiecerunt, ut in æstu pelagi aquis superfunderetur: & quamuis illo reciprocante, hæ recederent; tantum tamen humoris, ac tenacis limi resideret, ut quocumque tempore Peditibus, Equitibusque regio foret inaccessa. Illud etiam inde Hostibus accedebat incommodi, quòd minimè integrum erat, ex duobus Hispanorum munimentis Hulstanas excursiones impedire, aut aliud quidpiam aduersùs Oppidum machinari. Duo tamen velut isthmi breues inter aquas ab utrâque parte prominebant fastigiati: è quibus poterat Hostis, ubi eos occupasset, Oppidum oppugnare.

HARVM rerum haud inscius Albertus ineunte Iulio Vasiam terram versùs deduxit Exercitum. Ac primùm iussit Bissæ Dominum, qui præerat Regijs munimentis, unàque Barlotam, viam tentare omnem se in Insulam inferendi, eamque occupandi partem, ubi pedem sistere liceret. Ad hunc finem coacta fuere duo Peditum millia, quorum plerique Vallones, Germani

Regius Exercitus Vasiam terrâ inuadit.

Continuator Aitsing. anno 1596. Gaspar Ens Annal. tom. 3. lib. 4. Haræus an. 1596.

ni cæteri sub Tislingo Tribuno. His adiecti trecenti Hispani, Itali ducenti. Ad Fontanum munimentum miles hic omnis conuenit: ac Bissius interim incredibili sedulitate curauit, ut nocturno tempore, maris æstu subsidente, nauigia quædam remis adigerentur per planitiem adhuc obrutam aquis. Magno conatu tandem delatæ naues in alueum, cuius aggeri memorata hostium munimenta incumbebant. Per easdem noctis tenebras, ac silentia Copiæ profectæ sunt, Barlotâ cum suis Vallonibus, cumque Hispanis, atque Italis frontem agminis obtinente. Res fuit summæ difficultatis, ac laboris, cùm percalcandum fuerit altum lutum, ac tenax, & aquæ vadandæ umbilico tenus pertingentes: simul arma deferenda, & commeatus saltem in biduum ab extremis Ordinibus. Alueus nonnisi nauibus, aut natando transmitti poterat, idque non longè ab Rapio minore munimento. Qui locus leuioris quidem erat ad traijciendum incommodi, sed ob eam propinquitatem grauioris periculi.

1596. Campana. Carnerus c. 10. 11. 12. Thuan. lib. 117. Euerar. Rei. dan. lib. 13. Grotius l. 5. Coloma.

Difficultas traijciendi.

Viueri.

QVARE vix fuerant nauibus transuecti Milites centum & quinquaginta: cùm eius munimenti Vigiles eos, quamuis summo silentio prætereuntes, senserunt: ad arma conclamarunt: tympanis, alioque strepitu, adesse hostem significarunt cæteris munimentis. Eorum Præsidiarij statim exonerare bombardas in prælabentes naues: quamquam, ut inter tenebras, ac non ex destinato, cunctis ferè ictibus irritis. Pauci quoque Milites illic ad custodiam stabant: nec proderat clamore, ac strepitu se multos simulare. Quippe cum Barlotâ perito, callidoque Præfecto militiæ res eis erat. Is pari prudentiâ, animique ardore suos educens, hostem aggressus est: eumque tantâ celeritate, ac strenuitate oppressit; ut locum illico deserere, atque in maius Rapium se recipere coëgerit. Et quamuis inde non cessarent bombardæ in Vallones fulminare: bruta tamen ea erant fulmina, & quia per noctem iacta, cæco ictu plerumque in irritum recidebant. Hi contrà magis in horas animosi, munimentum minus denique tenuerunt. In eo statim sese, ac suos tegere, & communire Barlota: & quicquid eò transferre potuerat vel commeatûs, vel instrumenti bellici, in tuto loco reponere. Tislingus interea cum Germanis superuenit: quos ipse quòque tueri munitionibus cœpit, quantùm aggeris angustiæ, inimicaque tormenta permittebant.

Toccar' all'arme.

Rapium munimentum minus ab Regiis capitur.

NON omnes Barlota Copias, quas ad Fontanum munimentum adduxerat, ad Rapium minus pertrahere quiuerat: tum ob varia, quæ se obiecerant impedimenta: tum ut eum recessum sibi validè munitum reseruaret, si receptionem ad eumdem

Ridotto. Ritirata.

dem

1596. dem habere compelleretur. Quare per illam noctem in Hulstanâ Insulâ vix mille quingenti eius Pedites numerabantur; suâ tamen solertiâ, peritiâque militari eorum paucitatem suppleuit. Namque ex octingentis aciem conflatam misit propè Hostium munimenta, ut exploraret, an illi aliquid mouerent. Illi verò inopinato Regiorum aduentu perculsi, & nocturnis in tenebris confusi, nihil sunt ausi antequàm dilucesceret. Quam quietem sibi commodam nactus, Hostemque territum ratus Barlota cum acie suâ progressus est: eamque iussit consistere ad ictum mosqueti procul Morualio munimento; quod ad læuam habebat, uti Rapium maius ad dexteram. Et quia curuus militi circumductus agger erat, ab neutro latere hostilibus infestari poterat bombardis. A fronte solùm expositus apparebat plano cuidam Oppidi munimento. Quamobrem Tislingo mandauit, ut ex eâ parte ingentem erigi aggerem lunatâ formâ curaret: quò subsequenti die tuta esset acies ab hostium tormentis.

Squadrone.

Piattaforma.

Trinçierone.

His ita constitutis, trecentos Pedites partim Hispanos ex Gandauensi Præsidio, partim Italos ex centurijs Treuici Marchionis, ad Morualium munimentum tam propè deduxit, ut inde peti minoribus bombardis facilè possent: eosque iussit obstructis aggeribus sese communire. Id eo consilio molitus est, ut si ad Regium Exercitum totâ Insulâ propulsandum Hostis erumperet; eum diutius dimicando detinerent, donec maiores Copiæ, bellique apparatus uberior superuenirent. Alios trecentos inter Oppidum, & memoratum propugnaculum collocauit; iussitque se munire, viæque aggeri impositæ quantum liceret abrumpere: nè qui Hulsti erant Hostes, ijs, qui munimentum seruabant, se coniungerent.

Trincierare.

Cvm rebus in hunc modum sapienter dispositis, ad minus propugnaculum, quod occupauerat, Barlota recessisset; sub primam lucem Georgius Berardus, siue ut alij vocant, Euerardus Solmensis Comes Hulsti Gubernator, cum duobus agminibus quadringentorum unoquoque Militum, eruptionem ex Oppido fecit. Horum impetus non modò minores illas acies obiectas fregit, ac profligauit: sed ad maiores quoque Copias Germanorum peruenit: qui vel fessi laboribus, vel sibi nimiùm fidentes, ac Barlotæ mandata parum curantes, à fronte se munire neglexerant. Quare cùm à tormentis ex Oppido displosis, tùm à subitâ Hostium impressione perculsi, deserere Ordines, atque in fugam verti cœperunt. Quod Barlota conspicatus, eò statim accurrit: voce, manuque sistere fugientes conatur, atque animos addere perterrefactis. Ad eiusdem imperium Tislingus

Erumpentes Hulstani Germanos fugant.

Horum Tribunus Tislingus occiditur.

1596.

gus reuocare contendit suos, aciemque restituere. Verùm dum paucis militum Præfectis comitantibus generosè in hostem pergit, fortiter magis, quàm feliciter rem gerens, unà cum socijs cæditur, magno relicto cæteris exemplo magnanimitatis, ac desiderio sui. Delatum cadauer Antuerpiam, ibique honorificè sepultum. At eius Milites non tantæ virtutis documento, non usitato in prælijs ulciscendæ Ductoris sui necis ardore, ab iniectâ formidine, arreptâque fugâ reuocari potuerunt. Imò prementibus eos à tergo Hostibus, à fronte verò Barlota instante, nudatoque gladio, ut obsisterent, imperante; malebant se in vicinas aquas altissimas dare præcipites, inglorijque perire, quàm acriter inuadentium inimicorum faciem sustinere. Iam propè ad desperationem redacta Regiorum res erat: quique fugâ sibi salute quæsitâ, contenderant ad captum paulò ante munimentum; nè ibi quidem tuti erant à quatientibus continenter utrinque tormentis, atque ab Hoste vicino, qui iamiam eos aggressurus videbatur. Sed communis utrique parti metus alteri bene vertebat. Nam & Hulstani vel maiorem Hostium numerum in proximo latere suspicati, vel veriti, nè à suis ipsi bombardis in munimentum displosis læderentur, illud inuadere timuerunt.

Campana, Camerus.

Barlotę strenuitas in hostibus repellendis.

In hoc rerum discrimine virtutis suæ non oblitus Barlota, maiore fortiter moriendi desiderio, quàm spe quicquam profecturum agendi, paucissimis verbis aperiens mentem suam, quicumque maneret exitus, contra hostem eundi, suosque ad sequendum hortans, hastam arripit, inimicam aciem inuadit: tantumque animorum in fronte gerit, ut suorum vix triginta, sed ijs generosissimis consectantibus, hostem retardet magis attonitum admiratione virtutis, quàm roboris terrore perculsum. Et primi quidem Ordines perturbari: mox alij cum alijs confundi: omnes ad extremum in fugam ruere: cùm præsertim è regijs Mosquetarijs nonnulli aduenissent auxilio suis, & cuncta strepitu, ac terroris implessent. Hostium pars in vicinius munimentum suum confugit: alij nullo seruato ordine se receperunt in Oppidum. Nec defuere, qui præ metu vix compotes sui, instantibus ab tergo Regijs, non viam ad Oppidum ducentem inirent; sed in medias hostiles acies incauti sese conijcerent. Adeòque furore prælij desidente, eorum aliquot inter Germanos reperti, factique captiui. Memorabilis hæc dimicatio fuit, futuræque maioris pugnæ prolusio, victoriæque præsagium. In eâ cecidisse feruntur è Regijs, quà Hostium ferro confossi, quà sponte mersi ferè centum; ex Hulstanis ducenti. Tùm verò ab

Prime file. Voltar le spalle.

Incalzare.

Fattione.

utràque

1596. utrâque parte accelerata ſubſidia: cumque Biſſanus multos videret nauibus vectos in Oppidum duci; ſingulos nummos aureos promiſit ſingulis, qui natantes ad Inſulam appellerent. Appulere Germani centum: qui ſtatim extinctorum armis inſtructi magnum attulere leuamentum ſocijs recenti prælio feſſis, ac languentibus.

Ad huius primi conflictus nuncium decreuit Archidux ipſe propior fieri: ſuamque ſtationem in Pago fixit, cui à Diuo Nicolao nomen. Tùm Roſnæum iuſſit cum cæteris Præfectis, omnibusque Copijs in Inſulam traijcere: & ab omni, quâ liceret, parte ſummo ardore Oppidum obſidere. Roſnæo cum ſuis tranſgreſſo, reliquus exercitus circumfuſas aquas vadando traductus eſt, non ſine difficultate, ac morâ tum ob limi tenacitatem, tum etiam ob anguſtias regionis. Inde ad Caſtra diſponenda Roſnæus incubuit. Et quòd ipſi prima curarum erat prohibere ſubſidia, quæ præſertim è vicinâ Zelandiâ per alueum influentem in Hontem deferri poterant; ad eam rem induſtriam omnem impendit. At verò Mauritianum munimentum ex eâ parte conſtructum, & in ijs primordijs, & quandiu tenuit obſidio, effecit, nè aditus illac obſtrueretur ſuppetijs, quæ præſertim paruis cymbis noctu per alueum inuehebantur. Nullus traiectus in Inſulam Equitatus fuit: quia nullus ibidem eius uſus. Pedites ad octies mille recenſiti: veterani omnes, atque exploratæ non uno bello virtutis. Hi poſtquam Hulſtum circumſederunt, & Caſtra firmarunt, ſpem inde per vim propulſandi hoſtibus eripuere, quam priùs habuerant. Quare idipſum arte moliti, dulcem eis aquam ſubtrahere contenderunt Hulſtani, perruptis aggeribus, marinæ copiam Agro circumiecto ſuperfundentes. Sed arte non impari Regij eamdem aliò deriuarunt. Ingenti tamen penuriâ commeatuum laborabant. Eos quippe è munimentis Auſtriaco, Fontanoque, ubi impedimenta ſeruabantur, deuehere neceſſe erat, ac per Hoſtium propugnacula transferre: ex quibus, ut etiam ex Hollandorum Claſſe, quæ prope Fontanum ſtabat in anchoris, continenter tormenta diſplodebantur, & nauium identidem aliquam demergebant.

Roſnæus prope Hulſtum Caſtra diſponit.

Regivs exercitus in Inſulam tranſportatus duobus diſpoſitus erat locis. Altero, quem principio prope Morualium occuparat: altero ad ictum bombardæ inde diſſito, & aliquantò editiore, ubi horti quidam viſebantur. Vt verò liber commeatibus aditus pateret, ſtatuit ante omnia Roſnæus aggerem illum totum occupare, cui hoſtilia duo propugnacula inſiſtebant: tùm verò Morualium expugnare, utpote Oppido vicinius, & Regijs

Copijs infestius. Igitur nocte intempestâ, ubi primùm maris æstus resedit; eâdem horâ Velascus, & Barlota cum Hispanis, & Vallonibus suis aggerem inuaserunt. Pedites eum custodiebant mille quingenti:& tam Oppidi, quàm munimentorum tormenta eumdem tuebantur. Regiorum tamen impressio tam vehemens fuit, ut post atrocem conflictum Hostes inde recedere magnam partem coacti sint: illi verò locum victores tenuerint, non sine cæde, & vulneribus multorum è suis vel egregijs bellatoribus, vel militum Præfectis.

1596.

Regii aggere potiuntur.

Mischia.

Hac victoriâ gradum (uti sæpè contingit) sibi fecit ad aliam Rosnæus. Alacrem nempe militem ad oppugnandum Morualium stimulauit. Quod iam futurum erat longè procliuius: quando ipse inter Oppidum, & munimentum illud consistebat: ac proinde non poterat hoc ab eo subsidium accipere. Tormentis tamen ad tantum operis indigebat: quæ in Insulam transportari nullâ ratione posse videbantur. Siquidem neque leues Cymbæ id oneris sustinuissent: neque humiles aquæ terræ superfusæ erant maiorum nauium patientes. Verùm Machinatoris Regij solers ingenium depressas quasdam rates excogitauit; quibus impositæ bombardæ nocturno tempore fuere in Insulam sine detrimento transuectæ, ac Militum lacertis eo usque pertractæ, ubi erant aduersùs Hostem disponendæ. Quibus rite dispositis, duo adhuc propugnaculo quatiendo, & statim oppugnando, obstantia cernebantur. Alterum erat eius fronti oppositum munimentum centum quinquaginta Peditibus instructum. Alterum præsens subsidium à plerisque Hostium, qui etiam tùm in aggere persistebant.

Ingegniero.

Vt primum impedimentum Regij submouerent, cùm apertâ vi nequaquam satis fiderent, ad occulta consilia se conuerterunt. Quò munimentum illud redderent tutius, aggerem prope ipsum interruperant Defensores, atque obice prætento, Milites ei aliquot addixerant ad custodiam. Igitur sub vesperam ab Rosnæo missi quingenti Pedites, qui ex alterâ parte propugnaculum palàm aggrederentur. Dumque hi hostem prælio fatigabant, iussi sunt quinquaginta Germani hastati, æstu maritimo recedente, transuadare, & partem propugnaculi alteram, quâ eius porta, & munimentum erat modò memoratum, oppugnare. Audacter hi sese itineri, quamuis arduo, commiserunt: sed limosæ paludes, & noctis obscuritas ita sunt gradientibus obluctatæ; ut ex ijs soli decem ad munimentum peruenerint. Qui tamen Hostes nil minùs cogitantes tam animosè inuaserunt: ut eos partim occiderint, partim sauciarint, partim in fugam adegerint.

Munimentum alterum capitur.

1596. gerint. Neque verò qui ex altero latere pugnabant, subsidio adesse suis hic laborantibus potuere: siquidem qui eos adorti fuerant, continenter, ac fortiter dimicando inde discedere non sinebant.

MVNIMENTVM id occupatum, ad lucem usque obtentum est. Quo tempore impedimentum alterum ex destinato consilio propulsatum. Quippe Regij ex improuiso superstites in aggere Hostes tribus ex partibus, magnoque impetu aggressi, ex ijs plerosque obtruncarunt; cæteris vel in Oppidum, vel in proximum propugnaculum confugientibus. Tùm totius aggeris potiti, duobus eum locis interruperunt, & frequenti custodiæ Militum commendarunt: nè quod ab Oppido transmitti ad munimentum subsidium posset.

IAMQVE ad oppugnationem nihil superesse videbatur, nisi displosis bombardis viam præstruere. Quare nouem ex his eâdem die fit impressio: ac tribus munitio quatitur. Ex terrâ, fascibusque ramalium coagmentatum munimentum erat: cumque illa arenosa, & friabilis esset; ad ictum tormenti statim dissoluebatur, ac deorsum ruens commodum præbebat ascensum. Quo animaduerso, accincti ad oppugnandum Milites properabant: & iam pontes erant ad fossam satis amplam transmittendam parati: cùm præter opinionem Defensores agere de deditione cœperunt; non expectatâ oppugnatione, cui præ numero suorum obsistere aliquandiu potuissent: neque explorato pontium usu, qui spem eis utentium fallere plerumque solent. Permissum verò ijs egredi cum impedimentis, explicatisque vexillis. Ob tam subitam, ignauamque deditionem, adeò indignatum Solmensem Comitem ferunt, ut aduersùs eos Hulstum se recipientes, ac ferè nongentos, exonerari quædam tormenta iusserit, quamuis fuerint sine noxâ. Nec multum abfuisse dicitur, quin de Beurio eius munimenti Præfecto sumeret pœnas: licèt ille culpam in Milites tumultuantes, ac præsertim Frisios reijceret. Tradunt alij, Victores Victis eam præscripsisse legem: nè Hulstum se conferrent, sed ad Hollandorum Classem immigrarent, quæ prope Lilloum in Scaldi morabatur.

EIVS munimenti adeptio, quantum Hulstanis dempsit securitatis; tantumdem commodi, atque opportunitatis attulit Regijs. Tùm quippe liber patefactus est aditus commeatibus importandis, quorum antea egestate hi premebantur; & bellicis apparatibus, ad Oppidi expugnationem urgendam. Eam ut maturarent, stationes Militum in hunc modum disposuerunt. In aggere paulò ante occupato locati sunt cum Præfecto Barlotâ

Fascine.

Alterum deditur.

Campana. Camerus.

Coloma. Bentiuolus.

Vettonaglie.

Militum dispositio ad oppugnationem Hulsti.

tà Vallones: Itali sub Treuici Marchione: cumque Hispanis Alphonsus Ribera. Horum frontem erectus ingens agger communiebat; terga verò Germanorum legio Sulsio Comiti subiecta. Vltra terram aquis perfusam, ad custodiam impedimentorum Burgundiones constiterant, variusque ex omni natione miles, Grilcæ Domino moderante. Quà verò Septemtriones Oppidum spectat, ac Diui Pauli Templum proximum habet; Hispanorum duæ stabant legiones, quibus præerant Aloysius Velascus, & Antonius Zunica. Prope veterem alueum, Buquoij Comitis, & Antonij Coquelij Vallones erant: quibus adiecti fuere Hispani, qui priùs Augustino Mexiæ, tunc Hieronymo Monroyo parebant. Ad hanc dispositionem Castrorum circumspectandam, eorumque municiones, & belli apparatum omnem recognoscendum, Archidux ipse propiùs accessit. Mox ad suam sedem reuersus, de bellici Senatus consensu decreuit; ut in promouendis aggeribus diligentia maxima impenderetur. Quo in opere plurimum laborarunt Hispani Velasci, & Zunicæ, Italique Treuici. Ad tria lunata munimenta, quibus Oppidum ex eà parte defendebatur, deducendi aggeres erant. Illis verò supereminebat quadratum propugnaculum, ex quo assiduè tormenta displodebantur, non sine magno Regiorum discrimine, & præstantium inter eos Virorum frequenti cæde. Eò tamen opera dirigebantur: quòd nullà parte poterat opportuniùs.

1596.

Campana. Thuanus.

Riuellini.

Piattaforma.

VERÙM hos inter labores, & pericula euentus accidit Archiduci, uniuersoque Exercitui maximè luctuosus. Constitutum erat, ut quarto Nonas Augusti ex ijs lunatis munimentis alterum Velascus, Treuicus alterum Oppidi portæ impositum oppugnarent. Cumque Rosnæus, ut præcipua quædam mandata daret, in Velasci tentorium se contulisset, quod bombardis ex Oppido fulminantibus valde erat obnoxium: prorumpens inde globus, Rosnæi scribentis caput perculit, deiecitque miserandum in modum. Lacrymabilis Regijs omnibus fuit tanti Viri iactura: cuius consilijs, sagacitati, experientiæ pleræque ab ijs reportatæ recens victoriæ referebantur acceptæ.

Rosnei mors luctuosa.

Eius Elogium.

NATVS hic erat in eà Gallicæ Campaniæ parte, quæ vergit ad Lotharingiam. Et quòd in Galliæ motibus à Lotharingis Principibus stetit, vulgò habitus est Lotharingus. Ex illustri Sauiniorum familià ortus, Christianus nomine appellatus. In Gallià cunctis Virorum principum artibus eruditus, Vxorem duxit Iacobi Angluræ Vice-Comitis filiam, & hæredem. Alenconij Ducem & in Gallià morantem, & proficiscentem in Belgium sequutus est. Eo extincto, regressus ad suos, Fœderatis de-

Coloma. Bentiuolus.

1598. deinde bellantibus in Henricum ita studuit: ut in politicis, vel bellicis rebus neminem illo haberent aut ardentiorem Administrum, aut prudentiorem Ducem. In celeberrimis illis subsidijs, quæ Lutetiæ, ac Rothomago obsidione laborantibus, allata sunt; sub Mœnio Duce primas egit, sub Parmensi secundas. Fœdere dissoluto, ac potito rerum Henrico, ad Hispani Regis obsequium se totum impendit, certantibus in eius rebus gestis virtute, ac fide. Linguas Europæ nobilissimas callebat omnes: instrumentum aptissimum ad militares Copias, è varijs Nationibus plerumque conflatas, facilè temperandas. Tantaque Militum erat in eum beneuolentia: ut suæ quisque gentis, ac regionis eum ducere videretur. Imperando non inferior, quàm imperata faciendo. Certè nullus eâ tempestate Militum Præfectus mandata dedisse dicitur apertiora, promptiora, tutiora. In explicandis negotijs, animi celer, in Hostium consilijs indagandis sagax, in Castris metandis, atque in expugnandis Vrbibus, Arcibus-ve, nemini secundus. His tam præclaris, egregijsque virtutibus qui vitiorum caliginem aliquam offunderet, minimè defuit Scriptor, & quidem quod magis mirum est, ex eâdem Natione. Adeò plerumque studia Partium ipsi Naturæ præpollent. An quòd Auctor famam veracitatis affectaret in alienis, deterere famam non dubitauit in suis? Notatur itaque Rosnæus, ut in mescendis rebus vafer, & callidus; in fide seruandâ priuatis rationibus obnoxius: sui negligens, alieni profusus: pacem denique damno, publicas calamitates lucro apponens. At non hæc de illo Hispanorum opinio: qui eum & viuentem plurimi semper fecerunt, & extinctum publicâ significatione doloris cohonestarunt. Non Archiducis Alberti: qui ut eius memoriæ, gloriæque persolueret, quod eiusdem immortalibus promeritis debere se fatebatur; referri cadauer inclytum Bruxellas iussit, ibique exequijs prope regalibus funerari: æs alienum ab eo contractum pecuniâ mandauit publicâ dissolui: Vxori viduæ numerari voluit semel quidem aureorum millia triginta; in singulos verò menses trecentos, donec viueret.

Thuanus.

Coloma.

Contin. Aitsingeri. Campana. Carnerus. Coloma.

MAGNAS factura inclinationes res Regia videbatur ex obitu Rosnæi: cuius præcipuè in manu moles illa omnis oppugnationis erat; & ad quem Archidux ipse summas deliberationes reijciebat. Illud etiam eodem tempore accesserat incommodi: quòd Hibernorum quoque Tribunus cæsus fuerat: Barlota grauiter saucius, ab Exercitu curationis causâ secesserat: & Treuici Marchio vulneratus. Non tamen se deseruere magnanimi Bellatores, atque Exercitus Principes, ac præsertim rerum Caput Alber-

bertus; qui statim quæcumque fuerant à Rosnæo sapienter constituta, ad exitum perduci à reliquis mandauit. Vtque suo conspectu pondus adderet rebus, animumque Militibus; ipsemet è suâ statione ad Fontanum se contulit munimentum. Rosnæi verò loco supremum Castrorum Præfectum Varassium Comitem, Varambonij Marchionis Fratrem nominauit: qui præerat antè tormentariæ rei, magni vir nominis, bellicæque virtutis egregius.

1596.

Varassius Comes Rosnæo sufficitur.

IAM contra lunatas munitiones acriter displosa tormenta ingentes in eis duxerant ruinas. Interea obductis aggeribus, propius fossam se Milites agebant. Mox eam obstruere, & complere aggrediuntur, non sine maximâ Hostium obluctantium repugnantiâ. Hinc ad oppugnationem irrupere certatim Hispani, atque Itali, in sibi destinatum quique munimentum. Priores Hispani disiectum sui propugnaculi latus audacter inuadunt. Sed accurrentibus, locumque obstinatè tuentibus Præsidiarijs; solerter iussit Velascus, in alterum latus repentè Milites alios insilire: quibus id occupare facillimum fuit, cùm Hostis in altero defendendo latere totus esset. Ex illo igitur propugnaculo pulsi, in Oppidum se recipere coacti sunt Defensores.

Riuellini. Breccia.

Andar' all' assalto.

Hispani fortiter, ac fel citer oppugnant.

NON ita feliciter Italis oppugnatio successit. Namque munimentum aliud acriter aggressi, acriùs à Præsidiarijs, eorumque Præfecto Cordo repulsi sunt. At pudori sibi ducentes inde pedem referre; subter eo propugnaculo noctem illam transegerunt. Inde ad effodiendum cuniculum tanto ardore laborarunt: ut eo post biduum succenso, angulus munimenti disiectus fuerit, ac dirutus, supra viginti è Defensoribus discerptis. Tùm impetu magno per eumdem facto, propugnaculum denique tenuerunt. Hostes quoque eodem cuniculorum artificio usi, eis ad mœnia deductis. Verùm igne concepto, quamuis aliquot ex Oppugnatoribus in sublime proripuerint, relabente tamen in auctores ruinâ, disiectorum mœnium rudera in fossam recidentia eam ita oppleuerunt, ut commodiorem strauerint Regijs ad oppugnandum viam. Adeò in bellicis consilijs necesse est omnes, qui contingere possunt, euentus prouidere.

Itali quoque, sed seriùs.

Ritirarsi.

Mina.

Far volare.

IGITVR utroque munimento ob Obsessoribus capto, iussit Varassius Comes, ad intermediam muri longitudinem quatiendam, decem tormenta disponi: alia simul, quę latera peterent, ac diruerent; alia, quæ loricam deturbarent. Ex humo coaceruatâ murus hic etiam erat. Quare parum proficiebant ictus bombardarum, illâ impetum suo lentore frangente. Itaq; ductis potiùs aggeribus properandum ad oppugnationem fuit.

Cortina.

Scortinare. Leuar le difese.

Sed

1596. Sed neque suæ deerant his operibus obiectæ difficultates. Frequentes Hulstanorum eruptiones: atroces, cruentique conflictus: tormentorum displosio penè perpetua: eâque magis horrenda, ac luctuosa tempestas ignium artificiosorum. Inter pyrobolos cæteros quidam erant, quos à mali punici granorum similitudine granatas appellant: qui singuli ferali arte ter, aut quater displodebantur, vicinos Milites miserè discerpentes: neque remotiores immunes ab exitio reseruantes. Mendozzæ præsertim stationem adorti aliquando dicuntur Hostes tanto robore, ut Hispanos supra centum peremerint, & bombardas aliquot clauis adactis confixerint. Sed malo suo doctus Mendozza, cæterique alieno periculo cautiores, validiùs sese in posterum munierunt. Captis verò aliquot ex Hollandorum cymbis, nimia eorum in ferendis Hulstum suppetijs licentia refrœnata.

Ignium missilium vis.

Scoppiare. *Assalire.* *Inchiodare l'Artiglierie.* *Fortificarsi.* *Soccorso.*

IAMQVE dimidiatus erat Augustus mensis, cùm vix ortâ luce displodi cœpere in muros magnâ contentione bombardæ. Ac primâ factâ displosione, indulgens Archidux ingenio suo, & magnanimi, Christianique Ducis officio, Tubicinem ad Hulstanos misit, qui conditiones optimas eis offerret, si conuenire antè vellent, quàm tormentorum excussio produceretur. Verùm omnium nomine responderi iussit Solmensis. *Neruos ipsi contenderent omnes ad Oppidum expugnandum: tantumdem se facturos ad propugnandum.* Itaque continuata concussio fuit ad secundam supra vigesimam diei horam. Displosæ tamen bombardæ murum non ad imum usque disiecerant. Quique ad causam propiùs inuestigandam missi sunt, renunciarunt (quod Camillus Caracciolus Auellini Princeps Albertum præmonuerat) à defixis in imo palis ruentem ex alto materiem sustineri. Vt idcirco perarduus, ac periculosus futurus esset Oppugnatoribus ascensus. Defensores præterea inter unum, atque alterum tormentorum ictum, interualla temporis opportunè captantes (ictus autem ex emicante flammâ prænoscebant) ligna, & integras arbores, & terram, cæteramque materiam in loca interrupta deuoluebant. Neque dum ab omni parte fossa erat obstructa: neque hostilium bombardarum ictus prorsus interclusi.

Campana. *Spianata: Largo partito.* *Accordare.* *Guadagnar la piazza.* *Difendere.* *Batteria.* *Riconoscere* *Piantar la palificata.* *Tiro d'artiglieria.*

QVAMOBREM Archiducis iussu euocato militari Concilio, relatũ in eo fuit de summo discrimine, cui Milites obiectabãtur; deque ipsorum numero in eâ obsidione admodum imminuto. Cecidisse dicebantur supra duo millia: è strenuissimis verò militiæ Præfectis, ac Voluntarijs bellatoribus fermè centum. Decretum adeò fuit, ut oppugnationi parceretur: productis potiùs aggeribus, tormenta propiùs admouerentur, eisque res gereretur

Venturieri.

In bellico Senatu Archiducis oppugnatio improbatur.

tan-

tantò fructuosiùs, quantò tutiùs. Igitur nocte proximè consequutâ Hispani, atq; Itali structis operibus ad hostilia se intulere munimenta. Quod ab Hulstanis animaduersum; simul etiam (vt aliqui tradunt) deprehensum, ab Regiorum tormentis concuti posse receptum ab se interiùs elaboratum; eosdem impulit, ut quamprimùm ad colloquiũ cum hoste, ac deditionem venirẽt. Suspicio quoque fuit, datas à fœderatis Ordinibus Solmensi Comiti literas cum mandatis: nè ad paruum illud Oppidum tuendum, in extremum discrimen adduceret magnum eum numerum Militum optimorum; quibus amissis, multum debilitatæ vires forent ad reliqua maioris momenti loca propugnanda.

1596.

Hulstani agunt de deditione.

Apud Campanam, & Carnerum. Ritirata. Palamẽto à Iidem, & Bentiuolus.

Qvaecvmqve illos causa permouerit; postridie quàm mœnia quaterentur, cùm Albertus ad inspiciendum alueum, & exquirendum, an aliquid viæ pateret ad intercludenda subsidia, perrexisset: in eius conspectum venit Treuici Marchio, nuncium afferens præter omnem expectationem faustum, ac lætum: Solmensem, cui pridie pro deditione Oppidi oblatæ fuissent optimæ conditiones; quærere iam, quænam illæ essent, ac petere, ut induciæ interim agerentur. Gratissimis postulatis assensus est Archidux: eumdemque Treuicum iussit unà cum Solræo Comite, armorum cessationem indicere. Tùm ex Oppido Præfecti militum prodiere, qui eosdem intus ad conuenta tractanda inuitarunt; cùm dicerent, pari conditione Viros missurum obsides in castra Solmensem. Placuit id totum Alberto, eosque certis mandatis, & conditionibus instructos misit. Ad eum contrà venerunt ex Oppido Ernestus Casimirus Comes Nassauius, & Tribunus militum Egmontius: qui ab ipso de more humanissimè excepti, donec illi re confectâ reuerterentur, morati sunt in Castris.

Cõditiones vtrimque sancitæ.

Capitulationi. Campana Carner. l. 12. Thuanus.

Conditiones postero die, quinto decimo Calendas Septembris, euulgatæ huiusmodi fuerunt. *Vt Solmensis Comes Hulsti Gubernator, ac Mauritij Locum tenens, cum omnibus Militibus suis, eorumque Præfectis liberè, ac tutò inde migrare posset, siue terrâ mallet, seu per aquas cum armis, explicatis vexillis, tympanis, tubisque sonantibus, ignitis funibus, ac plumbeis in ore globis: secumq; pertrahere equos, currus, naues, impedimenta, & rem domesticam quamlibet. Qui verò terrâ iter haberent, fideliter deducerentur in tutum, curribus etiam pro opportunitate commodatis. Idem contrà Solmensis in Archiducis potestatem, Hispani Regis nomine accipiendum, traderet Hulstum; unàque Mauritianum munimentum, ubi primùm paratæ naues ad discessum forent, quem ab se maturatum iri pollicetur. Vt interea liceret Treuici Militibus, & aliquos Hispanis*

1596. *Hispanis in occupato propugnaculo persistere, modò nè progrederentur ulteriùs, donec esset in Oppido Fœderatorum miles: cuius securitatis obsides apud eum morarentur Treuicus, & Solreus. Utrarumque Partium in ea obsidione captiui, cuiuscunque conditionis, sine redemptionis pretio, liberi utrinque dimitterentur, nisi de illo priùs inter eos conuenisset. Ut Oppidanis vel abire, vel manere liberum esset. Quòd si mallent abire, quòlibet proficisci liceret, ac rem suam omnem vel deferre, vel vendere. Sin manere praeoptarent, sine Catholicorum hominum offensione, vitam quietè degerent, cunctisque fruerentur, ut antè, auitis bonis, quæ in loco sita essent Hispano Regi subiecto. Rerum ad id temporis utcumque peractarum perpetuum esset silentiũ, atque obliuio: nullique negotium propterea facesseretur. Antiquis omnes legibus, moribus, priuilegijs uterentur; dum fidem Regi, pactasque conditiones Archiduci praestarent. Exulibus demum, aut quacumque de causâ obsidionis tempore Oppido digressis, integrum esset reuerti; ibidemque cum familijs, & bonis omnibus habitare, eisdem tamen, quibus alij, conditionibus obstrictos.* Hæc tùm firmata conuenta.

Ostaggi. *Riscatto.* *Capitoli.*

At Præsidiarij nonnisi post biduum egressi: cùm expectanda fuerint nauigia, quibus deportarentur. Numerati autem sunt ad ter mille: quia licet de solo Mauritiano munimento dedendo conuenisset; ex alijs quoque Præsidia deduxerunt, cum ea diutius tueri non possent: eisdemque incensis, in Hollandiam migrarunt. Ibi Solmensis principio non admodum benignè fertur acceptus à Mauritio: seu quòd omnis calamitas trahit secum beneuolentiæ detrimentum: siue quòd locorum iactura regentibus præcipuè vitio vertitur. Postmodum tamen egregiè tutatus ipse causam suam, non excusationem solum rei gestæ, sed etiam laudem ferè apud omnes consequutus est.

Magna gloriæ accessio ex huiusmodi victoriâ facta est Archiduci Alberto: quòd cum exercitu penetrarit in Insulam, hinc tot validis munimentis, illinc Hollandorum Classe custoditam; & quod fieri vix posse credebatur, eòdem tormenta pertraxerit: quòd breui tempore propugnacula superarit, quæ multos menses requirere videbantur: quòd supra omnem militarem artem, antè oppugnationem instituerit, quàm subsidia prorsus prohiberentur. Nec minor eidem accessit felicitatis existimatio: cùm eum tanta molientem neque Galliæ Rex interturbarit, facilè ratus omnino vana tentari: neque Angliæ Regina, totis connixa viribus ad Hispaniæ oras infestandas. His igitur gloriæ cumulis auctus Archidux Hulstum ingressus est, postquam inde migrarunt Præsidiarij: mœnium partem tor-

Archiducis gloria ex Hulsto capto.

mentis dirutam refici mandauit, aggeresque in formam pristinam restitui: traditâque Bissæ Domino Oppidi præfecturâ cum idoneo Præsidio, reuersus Antuerpiam est. Ibi dies aliquot moratus, Bruxellas se retulit; eis utrobique plausibus, atque acclamationibus exceptus: quas tot expeditiones merebantur, gubernationis initio tam generosè susceptæ, tam constanter, celeriterque fortunatum ad exitum perductæ. Milites verò in varias Belgij prouincias ad hyberna dimisit: paucos in Geldriam, ubi Hostis imbecilliores erant vires: plures in Brabantiam: Sulsium cum Germanis in Lucemburgensem prouinciã: alios Dorlanum versùs; quà Galli Belgas finitimos infestabant, non sine terrore grauioris incursus.

1596. *Smantellare. Guarnigione.*

Bironivs namque Castrorum Præfectus cum trecentis Equitibus, metuendis magis virtute, quam numero, frequentia inferens damna circumcursabat Artesiam. Eam propulsare molestiam decreuit Marcus de Ria Varamboni Marchio, tantò victoriæ certior, quantò pauciores nouerat hostes; & quòd neminem adhuc obsistentem offenderant, confidentiores. Quamobrem Septembri mense magno Equitum numero, quàm occultissimè potuit, coacto (ad octingentos fuisse tradunt) atque in auxilium euocatis Ioanne Iacobo Comite Belgioioso, & Alphonso Montis-Cuculi Comite, obuiàm Gallis ire constituit. De hac deliberatione præmonitus per Exploratores Bironius, ad manus cum eo conserendas se se, ac suos accinxit. Certior ergo factus de viâ, quam insistebat; eumque multis passuum millibus abesse ratus, solidam ferè diem in Diui Andreæ Pago, qui ditionis est Audomarensis, Sancti Pauli Oppido non procul; suum Equitatum continuit, ciboque, & quiete refecit: vt paratior, vegetiorque sub noctem iter susciperet, ac primâ luce Hostem nil tale opinantem adoriretur. Neque eum fefellit existimatio, proquidumque consilium. Quippe nocturno tempore lentè ingrediendo transacto, vix orto sole hostilem Equitatum habuit in conspectu. Tùm ipse, bellicarum callidus artium, maiorem suorum numerum iussit in insidijs latere, præfecto ijs Ioanne Baptista Seuerolo cum mandatis: ut lento subsequerentur gradu, pari verò celeritate, ac virtute subsidio forent, si cum Hoste congressus, ab eo premeretur. Ipse verò cum Equitibus lectissimis sexaginta, velut exploraturus, præcessit.

Campana. Bentiuolus. Catherinus lib. 15. Turtura li. 21. Thuanus.

Bironi cum Hispani Regis Copiis prælium.

Insidiæ ab eo positæ.

Nec multùm progressus erat, cùm primũ Hostium agmen obuium habuit à Montecuculo Comite deductum. Ab hoc magnis animis, validoque impetu petitus, nec sine aliquo detrimento propulsus fuit, ac retrocedere coactus. Verùm dum

Hostis

1596. Hostis præsumptâ opinione victoriæ factus audacior, effusis habenis Bironij turmas insequitur, ac premit: hæ verò etiam per simulationem timoris, ac fugæ, ad locum insidiarum eumdem paulatim pertrahunt; eò tandem deueniunt, ubi cum uniuerso Equitatu integro à pugnâ, viribusque recentibus, delitescebat Seuerolus. Ergo statim è latebris erumpunt: Hostem quà pugnâ, quà cursu fessum ex improuiso aggrediuntur, feriunt, urgent: eumque, qui fugabat, fugere, ac dare terga compellunt. Hic autem fusus, Ordinibusque turbatis retroactus, in medium suorum agmen impingitur: atque illud partim impetu, partim terrore confundit. In hoc rerum discrimine Varambonius Marchio destitutus à suis fugientibus, strenuè rem gessit quamdiu potuit: sed ad extremum numero inimicorum obrutus, unà cum Montecuculo captiuus est factus. Processit quòque cum extremo agmine Belgioiosus, Gallique victoris impetum, ac furorem aliquamdiu sustinuit. Sed quando profligatas omnes copias animaduertit, suumque brachium duplici scloperi minoris ictu percussum; nihil opportunius factu existimauit, quàm se ad æquiora tempora reseruare. In eo conflictu desiderati sunt ex Varambonij militibus ducenti quinquaginta partim cæsi, partim captiui: ex Gallis haud plures duodecim. Victori Bironio liberior exinde patuit campus ad excursiones per Artesiam faciendas: atque eam longè, latèque plurimùm infestasset; nisi Autumnales pluuiæ præter solitum effusæ intercessissent. His cum prælijs, atque victorijs finem annus inuenit.

Inde eiusdem victoria.

Campana.

DE BELLO BELGICO LIBRI NONI

SVMMA.

ALbertus ad contributiones Fœderatis ſubtrahendas Exercitum mittit Tornohutum. Cõtra eum immittit alium Mauritius. Acerrimè inter ſe præliantur. Varaſſius Regiorum Ductor occiditur. Inſignem victoriam referunt Mauritiani. Eius cauſæ. Tornohutum occupat Mauritius. Ferdinandus Portocarrerus lepidâ occaſione intercipere cogitat Ambianum. Transfuga quidam modum docet. Præmiſsis Exploratoribus, Archiduci res proponitur: eique probatur. Diſpoſitis occultè circa Vrbem Copijs pulcherrimo ſtratagemate datur ingreſſus. Cuſtodibus cæſis, Ciuibusque nequicquam obſtantibus, Vrbs capitur, magno Gallorum dolore, ac detrimento. Rex Henricus ad eam recuperandam Bironium mittit. Ambianum, eiuſque poſitus deſcribitur. Portocarrerus, & Montis Nigri Marchio Vrbem egregiè, factis præſertim eruptionibus defendunt. Submiſſum ab Alberto Subſidium poſt multas difficultates excipitur. Bironius Atrebatum, & Dorlanum intercipere tentat, irrito conatu. Ingens eruptio Portocarreri, & Montenigrij. Rex Henricus in Caſtra venit: ubi vitâ periclitatur. Conſpiratio de Vrbe ei reddendâ

dâ opprimitur. Bironij ſtratagema improſpe-rum. Eiuſdem vehemens pugna cum Monte-nigrio. Eruptio magna appellata: & conflictus atrox, in quo Bironius, & Ionuillæus pericli-tantur; & Rex ipſe pugnat. Portocarreri literę geminatæ ad Archiducem. Hiſpanorum, & Gallorum mutua ſtratagemata. Exploratores Hiſpanici fugantur ab Rege. Portocarrerus oc-cumbit: Montenigrius in Præfecturâ ſuccedit. Galli Sanlucium luctuosè amittunt. Mauritius Rhenobergam aggreditur. Eius poſitio, & di-ſpoſitio Caſtrorum obſidentium. Mauritij, alio-rumque periculum. Munimentum ſtratage-mate captum. Rhenobergæ deditio: quæ Fœ-deratis glorioſa, & opportuna. Geldriæ, & Vachtendonchę Prꝭſidia tumultuantur. Mon-tenigrij ſtratagema. Negatâ Ambiani deditio-ne, Galli acriùs Vrbem oppugnant. Archidux Exercitum ducit Ambianum: & de ſubuenien-do deliberat. Henricus Mænium præficit Co-pijs. Henrici, & Archiducis inter ſe præliandi cupido coërcetur. Albertus ſe recipit ordine tu-to, & admirando. Ambianum amplis condi-tionibus redditur Henrico. Fortuitum in Ca-ſtris incendium. Gallorum plauſus ob Ambia-num receptum.

DE

DE BELLO BELGICO LIBER NONVS.

Anno 1597.

INITIO anni millesimi quingentesimi nonagesimi septimi magnum in Belgio passa regia res detrimentum. Namque dum Archidux Hulstanâ obsidione detineretur; Ordines fœderati, ut damnum damno rependerent, crebris excursionibus infestam habuerant Brabantiam. Quibus ut se malis subducerent plerique populorum, contributâ pecuniâ vexationem redimere instituerant. Eâ verò Fœderati Bredæ, Gertrudis-bergæ, aliarumque Vrbium suarum Præsidia commodè satis alebant. Quare Hulsti obsidione defunctus, & victor Albertus Bruxellas reuersus, nihil habuit antiquius, quàm eam contribuendi necessitatem adimere. Quæ cùm maximè premeret Campiniam (unum è quatuor membris Syluaducensis Iurisdictionis) in proximum Pagum Tornohutum Varassium Comitem misit cum Peditibus quater mille, Equitibus trecentis, ut onere grauissimo populos liberaret. Profectus ille, rem feliciter absoluit. At Mauritius Comes ægrè ferens, id oneris relictum suis, quod esset Hosti subtractum (alendi nempè Præsidia) quàm potuit maximâ celeritate, atque silentio sex Peditum millia, Equites penè mille coëgit: atque hunc exercitum Bredæ centuriatum, ineunte Ianuario Tornohutum versùs deduxit, ubi Regiæ Copiæ consistebant.

Contributiones Fœderatis factæ ab Regijs.

BRABANTIAE Pagorum omnium maximus est Tornohutum. Quod quia nudum mœnibus, in eius potestatem extemplo cedit, qui victoriam in campo retulerit. Mauritij verò bellicus apparatus nec tam subitus, nec tam occultus fuit, ut Varasij prouidentiam lateret. Quamobrem ipse quòque se ad prælium instruxit. Erant in eius Exercitu Neapolitanæ Copiæ Marchionis Treuici, sed hoc absente, ab eius Instructore supremo Hieronymo Dentice rectæ. Erant Sulzij Comitis Germani: Barlotæ, atque Achicurtij Vallones: quos omnes non consueti, sed noui quidam, & minores Præfecti moderabantur. Multùm autem interest, iudicio Sapientum, non qui milites sint,

Hollandorum, & Regiorum præliũ ad Tornohutum.

Tornaut.

Sergente maggiore.

Campana. par. 3. lib. 3. Gaspar Ens histor. lib. 1.

1597. *Hugo Grotius histor. lib.6. Boteeius lib.4. Lanarius. Guillelmus Baudart. Haraus. Thuanus l. 118. Carnerus c. 13. Coloma lib. 10. Reidanus l. 14. Bentiuol. p. 3.lib.3. Bagaglio. Vanguardia. Retroguardia. Corazze.*

sint, sed sub quibus militent. Equitatui verò ex Hispanis, Italisque conflato præerat Nicolaus Basta. His Militibus longè inferioribus numero Mauritianis, ratus obsistere se non posse Varassius in aperto campo; neque Tornohutum opportunum videns ad propugnandum; Herentaliam migrare constituit, quò se recipere facillimum autumabat, cùm trium tantùm horarum itinere Tornohuto distaret. Lucem tamen, & diem ad proficiscendum præoptauit: ne, si nocturno tempore digrederetur, fugientis potiùs, quàm transmigrantis speciem præberet Hosti.

Regionum agminum in discessu dispositio.

HOC deliberato, per noctem transportari iussit impedimẽta: primâque luce Tornohuto digrediens Castra mouit in hanc formam. Peditatum omnem tres in acies diuisit. In primâ Germanos, Vallones in alterâ, Italos in tertiâ collocauit. Hæc tamen, quæ in digressu postrema, prima futura erat, & frons exercitus, ubi Hostis ingrueret. Equitatus dexteram exercitûs partem tuebatur, quâ patebat Campus apertior: læuam ingens nemus pro munimento tegebat. De hac profectione factus certior Mauritius, illico properauit cum omni Equitatu, cumque Mosquetarijs trecentis, totidemque Loricatis equorum dorso susceptis. Atque ex his magnâ celeritate præmittens aliquot Loricatorum Cohortes cũ Mosquetarijs, iussit ut acriter Hostium terga adorirentur, eosque tamdiu tenerent, donec eò Peditatus accederet. Auxiliares Mauritio aderant Philippus Hohenloius, & Georgius Berardus Solmensis Comites, & Franciscus Verius Eques, & Robertus Sidneius Angli, alijque magnâ virtute, atque experientiâ militiæ Principes.

Hollandorum in ea valida impressio.

INTERFLVEBAT inimicos Exercitus exiguum flumen, ad cuius vadum angustum, ac perdifficile triginta Sclopetarios collocarat Varassius, ut transuadare conantem Hostem, quà posset, impediret; aut certè ab reliquo exercitu assequendo retardaret. At Verius cum ducentis, quibus præerat, Mosquetarijs eos loco mouit, ac dispulit. Sic Equites singillatim vadando, Pedites impositum ponticulum permeando, lentiùs, quàm opus erat, amnem transmisere. Hinc prætereundum erat nemus horæ unius itinere profusum. Quod emensis, in patenti planitie paludes occurrebant. Vterque autem iniquus equestri prælio campus. Quare discrimen utrumque præcauens Mauritius, expectandum non censuit Peditatum; sed Hohenloium iussit, ac Solmensem cum quadringentis Equitibus primam Hostis aciem per compendium viæ præuertere, atque à fronte adoriri. Igitur hi repentè Germanos aggrediuntur: eosque sistunt. Repugnant illi acriter: & multis vtrinque cadentibus, ad

Mauritius vires addit suis.

1597.

ad horæ dimidiũ protrahunt certamen. Dubiæ adhuc pugnæ superuenit cum suo Equitatu Mauritius. Inflammatur, ut cùm maximè, prælium. Sed Equites regij longè se numero pauciores Hoste cernentes, neque eius vim sustineri posse diutius rati; effusæ statim se fugæ commiserunt. Pedites Equitum suorum præsidio destituti, hostilium multitudine circumuenti, magnâque sociorum strage consternati; desertis, ac perturbatis ordinibus fugere & ipsi cœpere. Eodem tempore Verius, & Sidneius, alijque postremam inuaserant aciem Italorum. Qui versâ in Hostem fronte fortiter ei, quamdiu licuit, obstiterunt: sed alijs aggredientibus latera, Equitumque paucitate geminatos impetus malè sustinente, quin & Mauritiano Peditatu iam superfuso, cædi se magis, ac trucidari, quàm pelli, fugarique passi sunt. Media supererat acies Vallonum; qui & naturâ strenui,& veterani fere omnes erant. Verùm Exercitu reliquo profligato, nullam in se spem vitæ, nedum victoriæ reponentes, illam à fugâ petere maluerunt. Adeòque uniuersæ Varassij Copiæ partim deletæ, partim dissipatæ. Ipse verò nullo Ducis optimi munere prætermisso, postquam huc illuc, quòcumque vocabat necessitas, strenuè rem gerens prouolauit; ad Italorum postremo Aciem, ubi sæuior ardebat conflictus, accurrens, vitam fortiter pugnando amisit.

Varassius Regiorum Ductor fortiter pugnans cæditur.

Regius Equitatus prælium redintegrat: sed frustra.

AT Equites, qui cautiùs, maturiùsque, quàm decebat, fugâ consuluerant sibi, vel Exercitûs reliqui ad internecionem deserti pudore, vel quòd exitum, obsessis ab Hoste vijs, nullum haberent: ex inopinato resumunt animos, ac tanquam ad integrandum prælium recolligunt se se; signoque tubis dato alacritate magnâ Mauritianos inuadunt. Illi ceu pugnâ omni defuncti, toti erant ad prædandum intenti. Vbi verò resurgentem improuisò contra se aduentare Hostem vident: trepidare principio; utque palantes erant, ad suos se quisque commilitones recipere, ac fugæ speciem dare. Quo comperto, Mauritius plurimos, quos apud se captiuos habebat, dimitti statim iubet: nè fortè à socijs liberati, ijsdem se se contra communem Hostem adiungerent. Simul etiam aliquot Equitum turmas, quas in omnem euentum paratas esse voluerat, mandat euocari. Sed illæ iam cum cæteris erant ad pugnam, prædamque dilapsæ. Tentarunt itaque nouum certamen Equites Regij: sed hostium circumfluentium numero statim obruti, cædem suorum redintegrauere, non prælium: ac longè pauciores reddidere se fugæ. Plures è captiuis dimissis in eo tumultu cæsi, ne quid noui tentarent: ut eos captiuos esse, quàm liberos, præstitisse videretur.

Gaspar Ens.

INSI-

1597. *Campana. Lanarius. Haræus. Reidanus.*

INSIGNEM hanc fuisse ferũt Mauritij de Regijs victoriam: quippè occisi traduntur ex his ferè bis mille, aut etiam plures: captiui ducenti (sexcenti numerantur ab alijs). E Fœderatorum Exercitu vix centum occubuisse dicuntur. Impedimenta ferme cuncta direpta. Militaria signa Peditum duo de quadraginta capta: & Equestre vexillum unum. Hæc triumphali propè ritu Hagam Comitis deportata, atque ad perennem facti memoriam in Atrio magno suspensa. Varasij cadauer à Mauritio remissum Archiduci Alberto non nemo scribit, ab eoque nullo egregio honore tumulatum: Alius, eiusdem concessu Mechliniam delatum, ubi tùm eius Vxor cum liberis; ibidemque sepultum. Commissum id prælium ferunt nono Calendas Februarias in ericeto Tiletano, non procul Tornohuto. Rei ab Regijs tam infeliciter gestæ causam aliqui referunt ad Vallones, & Germanos, qui præter solitum eâ die lentè, inualidèque pugnarint: adeòque inter extinctos, ac saucios plurimos aiunt ex Italis numeratos. Malunt alij calamitosi exitûs culpam ad ipsum reijcere Moderatorem exercitûs Varasium, bellicarum rerum minùs, quàm opus foret, expertum, tanto præsertim Duci, quantus erat Mauritius, compositum. Simulque ad ceteros agminum Præfectos, nouos omnes: cùm veteres regendi, & noti militibus, militumque gnari, vel in Aulâ Bruxellensi, vel alibi per summum infortunium substitissent. Et sanè ignorat nemo: vim belli maximam in mutuâ militum, ac regentum notitiâ sitam.

Mauritij victoria illustris.

Reidanus.

Gaspar Ens.

Coloma. Bentiuolus.

Eius causæ.

Campana. Thuanus. Grotius. Lanarius.

MAVRITIVS, ut reportatæ victoriæ cumulum adderet; Tornohutum in reditu censuit capiendum. Id quod nullius negotij fuit: quia, ut dictum est, nudum mœnibus erat. Arcem verò, quæ ad animi relaxationem potiùs, quàm ad usum belli fertur instructa, vix duodecim ictibus bombardarum auditis, Præsidiarij vitam, & fortunas pacti dediderunt. Diem ibi unum commoratus Mauritius, impositoque Arci Præsidio; triumphantis in morem cum Captiuis Bredam priùs, inde Hagam Comitis reuersus est. Hyemalis anni reliquo, imò per senos menses, tam ab Regijs, quàm à Fœderatis in Belgio arma quieuerunt; utrisque tùm pecuniâ laborantibus, opportuniusque ducentibus interea se ad noua prælia rebus instruentes omnibus præparare. Verùm in finibus Galliæ quiddam præter opinionem euènit, quod factam ab Regijs in Brabantiâ iacturam visum est aliquâ ratione sarcire. Res, uti à Scriptorum pluribus memoratur, in hunc ferè se habuit modum.

Mauritius Tornohuto potitur.

PRAEFECTVS Dorlano fuerat à Comite Fontano Ferdinan-

Ambianũ ab Hispanis stratagemate intercipitur.

dus Portocarrerus, qui, ut plerumque naturâ fit, in exiguo corpore animos ingentes versabat. Is cùm sagaci esset ingenio, viuidoque, nouas quotidie vias excogitabat ad finitimos hostes Gallos infestandos. Itaque frequentes cum suis Præsidiarijs faciebat excursiones: disponebat insidias: armenta prædabatur: Pagos incendebat. Sed quos fouebat pectore, spiritus generosi ad nouum aliquid, & maius audendum pro suo Rege, pro sui nominis gloriâ, eumdem incitabant. Accessit quasi fax altera, ad cor magnanimum inflammandum, connubij iungendi cupiditas cum Ambianensi quadam fœminâ viduâ, fortunæ bonis admodum affluẽte, quæ more Gentis ruri habitabat. Cuius cùm sæpè nuptias postulasset, responsum ab illâ ferunt: *Sibi, quæ Gallici Regis esset sub ditione, cum ipso conuenire non posse, qui militaret Hispano: cùm Reges illi ambo bellum inter se gererent eâ tempestate. Quare tùm æquum fore, decorumque ipsorum Coniugium: cùm ipse vel Dorlanum Gallico Regi subijceret, vel Ambianum Hispano.* Argutum fœminæ dictum, multòque magis opulenti spes matrimonij, Ferdinandi mentem exacuit ad viam aliquam indagandam, quâ sui Regis in potestatem Ambianum veniret. Sors eam aperuit, aliquid commouendo, quod facti totius primum incitamentum fuisse plerique tradunt.

Ferdinando Portocarrero eius rei occasio.

Bentiuolus.

Catherinus l. 15. D'Amiens

Campana. Thuanus. Carnerus c. 34. Coloma. Turtura.

Exul Ambianensis viam aperit.

AMBIANO relegatus ob sua facinora fuerat è Ciuibus unus, qui Damelinus, seu Dumolinus appellabatur. Hic partim irâ succensus in eos, qui exegerant; partim desperatione rerum suarum actus; Dorlanum ad hostes cum uxore, filio, familiâ transfugit. Vtque priuatam suam iniuriam, vel publico malo, aduersùs eos, qui auctores exilij fuerant, ulcisceretur: insinuare se primùm studuit in Ferdinandi familiaritatem. Mox cum eo communicans arcana consilia; docet: *Haud arduum factu fore, quod cæteroquin Hispano Regi maximæ utilitatis, ipsi plurimæ gloriæ futurum erat; ex improuiso Ambiano potiri. Namque ad custodiam Vrbis, ac portarum, non Regium militem, sed Ciues vicissim, ex antiquis priuilegijs, ab Henrico præ temporum necessitate confirmatis, excubare. Eosque vigilias agere per noctem diligenter, incuriosè interdiu. Ab ijsdem, magis ad urbana negotia, quàm ad bellica assuetis, militaria munia parum ex arte tractari. Antequam portæ pandantur, non explorari campestres vias: illasq; patefactas raris, incautisque Custodibus commendari. Cuncta denique tam opportuna hosti, quàm Ciuibus secura. Quare nihil obstare, quin milites astu aliquo sensim immittantur, urbemque intercipiant.* His auditis, Portocarrerus in spem propè certam venit conficiendæ rei. Verùm ubi statum Vrbis expiscatus ab alijs est; comperit, in ea

Sorprẽdere.

quin-

1597. quindecim armatorum hominum millia numerari: ac non ita pridem ter mille ab Rege missos Heluetios ingentem tormentorum copiam Ambianum inuexisse, cæterumque bellicum instrumentum, in apparatum imminentis belli; eosdemque in Pagis proximis constitisse. Quare multum de conceptâ opinione, & spe remisit: atque an se operi tanto committeret, diutius anceps animi fuit. Vicit tamen magna rei tentandæ cupiditas tot argumentis incitata, quæ diximus: ac præsertim quòd armatos illos, qui repentè adoriretur, facilè confusos, & quid agerent, nescios, redigere posset in potestatem: quòdque Sancti Pauli Comitem eius prouinciæ Gubernatorem, audiuit, eosdem Heluetios, pertinaci rogatu Ciuium, ab urbe longiùs summouisse.

Nè verò uni homini, eique Nationis infensæ, in re tantâ fidem habere, seque, suosque fidere, non sine imprudentiæ notâ, videretur: Franciscum ab Arcu, militem suum Instructorem exploratæ virtutis, ac fidei, qui quamuis Hispanus, Gallicam linguam probè norat, iussit mentito Gallorum habitu se intrudere Ambianum: ibique scrutari callidè Ciuium eo tempore conditionem, ac ritus, & præsertim quâ diligentiâ Vrbis custodias agerent. Imperata Franciscus fecit: & cuncta rimatus, ea retulit, quæ gratissima forent Portocarrero. *Ciues interdiu in suis peragendis negotijs totos esse. Eorum paucos ad portarum excubias destinari: illosque, hyemali frigore cogente, in unum locum sese abdere ad ignis beneficium captandum. Incustoditas itaque portas esse, præter quàm ab uno Vigilum, qui ad clatratas valuas ligneas excubabat.*

Sergente à — *Rastello à*

Præmittuntur, qui rem explorent.

His lætanti animo acceptis Ferdinandus; neque hac unâ cognitione contentus in re ponderis tanti; rursus eumdem cum Burgundo Ordinum Ductore Cruceio Ambianum misisse fertur: ut omnia diligentiùs explorarent, & circumiecta Vrbi loca dispicerent: quàque locare milites in insidijs; quà tentare faciles in Vrbem aditus; quà Ciues minimè opinantes aggredi opportunius esset; cautè obseruarent. Quibus omnibus rectè perspectis, fidèque renunciatis, atque Exploratoribus simul, & seorsim auditis, Franciscum ipsum cum uno Signifero Calendis Martijs Gubernator misit ad Archiducem: ut eum arcanò de re totâ faceret certiorẽ, eius impetraret assensum ad tantum mouendum opus; ad idem felici exitu concludendum, idonea Militum auxilia postularet. Probauit Albertus solertiæ militaris utile consilium, permisit in tantam spem tentari fortunam, iussitque è Cameracensi, Caletensi, Bapalmæ, & Castelleti

Archidux eòrus consilium probat, & adiuuat.

1597.

Præsidijs educi militem, condictâ die mittendum in Agrum Dorlanensem, ad imperium, arbitriumque Portocarreri. Ea Cardinalis iussa Ferdinandus ad memorata Præsidia ita transmisit, ut aliud eorum de alio prorsus nesciret : adiecitque, ut parati milites forent, & quâ die monerentur iterum, qui nominatim accerserentur, adessent sub vesperam ad Oruillam, Pagum Dorlano unâ ferè leucâ distantem.

Hispanorum Copiæ ducuntur Ambianum.

Catherinus, & alij paulò antè citati. Gaspar Ens. Continuator Aitsingeri. Hareus. Grotius. Botereius. Bussieres l. 23. Miræus. Reidanus. Bulengerus lib. 10.

Vbi satis instructa omnia, ac præparata vidit Ferdinandus, sexto Idus Martias milites è Præsidijs euocauit: Equites quidem quingentos, ductos ab Hieronymo Carafa Montis Nigri Marchione: Pedites verò bis mille ducentos è diuersis Nationibus, quos veterani regebant Præfecti Hispani, Itali, Vallones. Ad hos Dorlano profectus Portocarrerus, nihil aperuit aliud, nisi Ambianum petendum. Quò cùm pergerent, in Altheiâ (alijs Altiliâ) fluuio traijciendo tantum temporis insumpserunt; vt veritus Ferdinandus, nè ad locum, ubi disponendi erant in insidijs, septem inde leucis remotum, non pertingerent ante lucem; propè decreuerit eos ad sua Præsidia remittere. Sed à quodam Vallone, & Ioanne Baptista Dugnano Mediolanensi, locorum peritissimis, de sententiâ deductus fuit. Igitur tantâ celeritate processit Exercitus, primas acies ducentibus eodem Vallone, & Hispano Innico de Otaola, arcani consilij conscijs: ut supra dimidiam horam ante lucem ad terminũ viæ destinatum peruenerit.

Earumdem circa Vrbem dispositio.

Copiae verò distributæ in hunc modum. Longè ab Vrbe Ambianensi ad ictum mosqueti, ubi Sacellum est, quod Eremum appellant, iussit Portocarrerus eosdem viæ duces, & Ferdinandum Dezam cum Hispanorum centuriâ, & Bastocum, Hibernis totidem adiunctis, prope quasdam sæpes in insidijs latere. Ipse cum reliquo Peditatu, & cohorte Loricatorum substitit in Cœnobio Diuæ Mariæ Magdalenæ sacro, mille ferè passibus ab Vrbe dissito. In Valle verò bis tantùm Ambiano remotâ arboribus opacâ, & quibusdam terræ tumulis tectâ, delitescere voluit Carafam cum cætero Equitatu.

Fer'alto.

Lepidum stratagema ad ingrediendum in Vrbem.

Quarta ante meridiem iam erat hora, cum Franciscus ab Arcu in Vrbem paulò antè progressus, nihil in eâ noui moueri retulit: & Vallo, qui verticem arboris ascenderat; inde condictum gerendæ rei edidit signum. Tùm Dugnanus, & Arcus, alijque duodecim socij rusticas vestes in eius regionis morem induerunt: rudes nempe tunicas alij lineas, alij laneas ad genua fluentes, quibus pugionem, & duo breuiora sclopeta lateribus accincta obtegebant. Ex ijs quatuor carrum ducebant à

Pistole.

tribus

1597. tribus pertractum equis ita temoni adiunctis, ut quodam amoto ferramento statim à carro possent abiungi. In eo pali plures, atque ingentes vehebantur, paleis ad speciem tecti: qui portæ Vrbis suppositi, prohiberent, ne demissa cataracta ferrata, labens ad terram ingressum intercluderet. Proximè sequebantur alij quatuor, saccos pomis, & nucibus onustos baiulantes, quasi fructus eos venales, ut extruderent, in Vrbem ferrent. Cæteri singillatim, & seorsim succedebant. Omnes verò Rusticis alijs regionis se immiscuere.

Saracinesca.

TEMPVS id erat, quo sacræ Conciones varijs in Templis habitæ frequentes detinebant auditores: utpote diebus quadragenario Christianorum ieiunio dedicatis. Moris autem est Gallici, bene manè Conciones frequentari. Vnum porrò Concionatorum tunc redarguentem peccata, & comminantem dixisse ferunt: iam sibi videri Hispanos ad portas. In diuersas itaque partes Vrbis Ciues, ac Populares ad audiendum distributi, paucissimos ad portarum custodiam reliquerant. Tùm qui primi carrum agebant, primum clatratum aditum ingressi, ad vicinam pergebant portam, ut sub eius fornice subsisterent: cùm ex eis qui sequebantur unus, simulans ex humeris sibi saccum defluxisse, contenta in eo poma per solum sparsit. Accurrerunt illico portæ Custodes, non sine risu, sibilis, & clamoribus, ut effusas merces militari licentiâ prædarentur: miseri, qui se mox prædam futuros ignorarent. Interea carro ad portam perducto, & sub eâ locato, qui eum ducebant, equos abiunxerunt, nè futuro strepitu perterriti, eumdem loco mouerent, ac protraherent. Mox ad clatros cæteri peruenerunt: primusque Excubitorem sclopeto interemit: alij detectis armis impetum in eos fecere, qui poma prædabantur; & aliquot occisis, reliquos in vicinam domum, ubi priùs ad ignem conuenerant, refugere coëgerunt, eosque intus conclusere. Quo facto commodum fuit vicinioribus militum agminibus, signo sclopetis dato, ad portam irruere.

Coloma l. 10. Grotius l.6.

Res prosperè succedit, & vigiles occiduntur.

AD hunc tumultum alius, qui supra portam excubabat, ferratam & pensilem cataractam, abscisso fune, qui sustinebat, ex alto demisit. Hæc è seiunctis trabibus ferreâ cuspide terminatis compacta erat: quarum duæ subiectum carrum impetu, ac pondere perfregerunt: aliæ tres obice quodam interposito suspensæ, tantum spatij apertum reliquerunt, ut binis simul militibus pateret. Per eum aditum irruperunt extemplo Præfecti militum armis omnibus instructi, qui cataractam prorsus disiecerunt; & bellatores sequuti sunt supra centum, antequam ad

Catherinus. Turtura.

Hostes Ambianũ intrant, Ciuibus frustrà obsistentibus.

1597.

ad eos repellendos Ciues commouerentur. Qui tumultu, periculoque per Vrbem euulgato, ad arma statim conclamarunt, & concurrerunt; magnoque ad occupatam portam impetu prouolarunt. At Hostes magis, magisque in horas confluentes, obstaculis omnibus submotis, audacter ingruerunt; reiectisque Ambianensibus, qui eos reijcere conabantur, eius portæ penitus potiti sunt. In eo conflictu Dugnanus fortiter pugnans, ictu sclopeti in capite grauiter saucius, cecidit. Alij duo è Victoribus perempti: è Ciuibus autem ferè centum. Quorum subitâ cæde perterriti reliqui, cautiùs consulentes vitæ, in suas confugère domos, ibique se tueri maluerunt: cùm præsertim Hostium numerum augeri continenter viderent.

Loca præcipua occupant.

IAM enim non modò Pedites cæteri, sed & Equites ex insidijs egressi, in Vrbem effundebantur: quorum aliqui præeuntes alijs, ac minora sclopeta manibus præferentes, quantum Hostibus terroris, tantum securitatis addebant suis. Ita Ciuium armatorum rarescente concursu; Portocarreri Milites ex eius præscripto antea declarato diuersas Vrbis partes occuparunt. Hispani Pedites cum Equitatu ad forum maximum contenderunt; vt ibi sese disponerent in aciem. Bastocus cum Hibernis ad portam, quam intrarant, & vicina mœnia tuenda constitutus. Bellouacensem portam Petrus Gallegus cum suis custodiendam accepit. At Montis Nigri Marchio, alijque Exercitûs Principes magnæ virtutis, atque existimationis, Vrbem perequitabant, nudatis in manu gladijs obuios quosque Ciuium perterrentes, ac præsenti mortis metu, nè obsisterent, aut coirent in aciem, vetantes. Quamquam hi cùm longè superiores Hostibus essent numero, in eos tamẽ vim facere non audebant: tum quòd nimis inopinata aggressio fuerat: tum quòd erant Moderatore, et Capite destituti. Gubernator quippe prouinciæ Franciscus Aurelianus Sancti Pauli Comes, ibi tunc residens, destitutus etiam ipse Præsidio, quod Ambianenses in Vrbe recusauerant, ad primos ingressi Hostis rumores salutem sibi fugâ quæsiuerat, Bellouacensi portâ euadens celeritate tantâ, ut Vxorem secum deducere non potuerit. Quam tamen Portocarrerus non modò liberam esse iussit, sed humaniter quòque, atque honorificè habuit.

Picardiæ Præfect. Vrbem deserit.

AD strepitum sclopetorum ingens Equitum numerus è vicinis Pagis, in quibus morabatur, accurrerat: atque aliquid attulisset Vrbi subsidij, si maturiùs properasset. Sed Hispanorum Equitatus rectè dispositus, extra mœnia progressus Bellonacensi portâ, obuiàmque illis factus acriter obstitit; feliciter om-

1597. *Catherinus. Campana.*

omnes dissipauit; ac subitò reuertit ad suos. Direptionem Vrbis à Ferdinando vetitam aliqui scribunt; tum quia iussus fuerat eam incolumem seruare: tum nè milites congerendâ prædâ occupatos populus numero multò maior oppnimeret; atque internecioni daret. Quippe in locis ex improuiso captis tam exitiosum Victoribus est, quàm vsitatum: ut dum dispersi, palantesque discurrunt ad prædandum, vel à populo per eam occasionem resumente animos, ac vires, vel à Subsidijs extrinsecùs aduenientibus obruantur, partâque victoriâ summo cum dedecore spolientur. Alij dilatam modò populationem tradunt, donec viæ omnes, ac fora, portæque Vrbis occupatæ, validisque munitæ Hispanorum custodijs forent. Quod ubi magnâ Moderatorum sedulitate, parique obedientiâ Militum peractum est; per solidam diem ad prædam itum tam copiosam ac diuitẽ, ut eorum temporum prælia Gallica, Belgicaque vix æqualem habuerint. Postridie Ciues omnes seuero edicto prudenter exarmati.

Coloma. Bentiuolus. Tartura. Carnerus. Thuanus.

An Vrbs direpta.

Eodem quo Vrbs intercepta die, vel sequenti, rei gestæ Nuncius ad Archiducem missus est idem, qui aliàs, Franciscus ab Arcu: simul etiam, ut maius postularet ab eo Præsidium ad tantam custodiendam Vrbem; ad quam statim recuperandam Galliæ Rex cum ingentibus Copijs haud dubiè venturus esset. Imò retinere conantibus Ambianum Hispanis geminum apparebat impendère certamen, & cum Ciuibus intus, & cum Hostibus foris. Quo consentaneum erat, hilari vultu Albertus Arcum excepit: publicæque in Aulâ lætitiæ ob euentum adeò fortunatum significationes factæ. Illum Archidux ad celsiorem militaris præfecturæ gradum euexit: ac per eum Portocarrero promisit, tantum se Præsidij quamprimùm submissurum, quâtum ad parta tuenda abunde foret.

Interceptio peracta renunciatur Archiduci.

Qvemadmodvm ex Ambiano, vel per bellicum astum, capto multum Hispanis rebus accessit existimationis, ac nominis: ita contrà magnum indidem Gallia vulnus accepit: tum quòd Vrbis tantæ in Hostium, ac suis finibus sitæ, quæque valdè prodesset, cui accederet, iacturam fecit: tum quia compòrtatum in eam fuerat, vt dictum est, quicquid tormentorum, ac bellici apparatûs opus esset ad limitaneas Gallorum ex eâ parte Prouincias defendendas. Lutetiæ præsertim ex huiusmodi calamitate sensum doloris, & luctum fuisse maximum ferunt, non ob præsens modò, tantique ponderis detrimentum; sed ob imminentis quoque sibi periculi instantem metum. Namque cum Ambiano Parisij distent leucis tantùm octo supra viginti, facili, apertâque viâ, neque Arce vllâ, vel Vrbe validâ

Thuanus. Bussieres.

Gallorum ex ea damnũ, & luctus.

illam

illam custodiente; ingens eos formido inuasit, ne victor Hispanus ad regionem peruastandam, commeatusque sibi intercludendos procederet; siquidem Regis Henrici nullus in promptu exercitus foret, qui vehementem ab recenti felicitate illius posset impetum retardare. Mala autem non ita pridem tolerata docebant vel vmbras periculorum horrere. Verùm neminem altiùs eius iacturæ sensus exulcerauit, quàm ipsum Henricum, audientem ex inopinato tantum rerum suarum dispendium; animoque reputantem, quot, quàmque breui tempore victorias in Gallorum finibus retulissent Hispani. Multas, & validas Arces anno superiore Fontanum expugnasse. Nec pauciores, nec inferiores eo anno adeptum Archiducem. Obsidione apertâ Caletum, per insidias, ac dolos captum Ambianum. Hispanorum votis nullas obtingere potuisse opportuniores Vrbes ad Galliam infestandam, quàm Caletum mari, Ambianum terrâ.

Hẽrici Regis dolor, atque indignatio.

Boter eius. Bentiuolus. Catherinus.

HIS de causis, irarum plenus, ac fremens Henricus Rex, nullâ interiectâ morâ Lutetiam deserit, ubi curandæ valetudini vacabat; & sui corporis salute Regni bono posthabitâ, cum ijs tantum, quas circa se habebat, Copijs in Picardiam præceps accurrit: in suâ tùm maximè opinione confirmatus; ubi non urgeret ipse præsentiâ, res aut negligenter, aut infeliciter transigi. Neque paucis, leuibusue periculis in itinere obiecit sese, loca illa prætergrediens, quæ victor Exercitus Hostium percursabat. Demum Corbeiam peruenit, ubi Præfectus Castrorum Carolus Guntaldus Bironius morabatur. Deliberatâ verò mente Rex erat; vtcumque manus cum Hoste conserendi, aut etiam citra spem aliquid audendi: nihil otio perniciosius, nihil exercitatione salubrius suis armis ratus. Est autem Corbeia ad ripas Somonæ sita in superiore fluminis parte, septem leucis Ambiano remota. Hìc ipse cum Bironio, alijsque militum Præfectis censuit Ambianensem obsidionem maturandam; neque conatum ullum prætermittendum, quò ex eâ Vrbe quàm primùm, & Picardiâ vniuersâ propulsaretur Hispanus.

In Vrbem recuperare aggreditur.

Catherinus. Bentiuolus. Turtura l. 22. Campana. Thuanus. Carnerus. à c. 15. ad 20. Coloma. Gaspar Ens. Bussieres. Grotius. Botereius. Lanarius. Haræus. Reidanus. Marescialle Corbia.

IGITVR Henricus Bironio curâ demandat, ut coacto quàm maximo possit è vicinis Præsidijs numero Militum, Ambianum statim obsideat; aditusque omnes tam commeatibus importandis, quàm intromittendis Subsidijs, intercludat. Rex verò ipse post paulum Somonam transgressus, collectum Exercitum Peditum quatuor millium, Equitum bis mille castra ponere iussit Ambianum inter, ac Dorlanum, ut mutua utriusque Vrbis auxilia prohiberet. Relictoque ad Militum imperium Bironio cum mandatis, ut obsidionem subinde premeret magis,

atque

1597. atque arctaret, prout numero Exercitus augebatur; non dubitauit ipsemet, iamdiu bellicis laboribus assuetus, quiete omni curâue corporis sepositâ, hac, illac circumcursare, Equitem, Peditemque è Præsidijs educere, ad obsidionem Copias quoquo modo amplificare. Lutetiam denique reuersus est, ut alimenta Militum, & reliquum belli apparatum abunde, atque in tempore suppeditandum curaret ipse præsens, & pecuniæ vim congereret, transmitteretque illi expeditioni sufficientem; quæ cùm ei regiarum summa curarum erat. Postulat locus hic, ut ad obsidionis seriem animo pleniùs informandam, Ambianensis Vrbis situm, & conditionem (quemadmodum in alijs consueuimus) paucis velut ob oculos ponamus.

Somma — Ambiani situs, & descriptio.

Picardiam longissimo tractu Somona perfluit; eamque intersecans mediam amplo, profundoque alueo deuoluitur in Britannicum mare. Ad eiusdem fluminis ripas Vrbes prouinciæ, Oppidaque præcipua sita sunt. Ante alias verò eminet Ambianum antiquitate originis, ædificiorum elegantiâ, Ciuium numero, præstantiâ, industriâ. Pluribus in eam ostijs irrumpit Somona: & varijs partibus mœnia circumfluit, ac defendit. Mœnia verò, & magnitudine, structurâque satis valida, & frequentibus custodita propugnaculis, lunatisque munimentis, quâ præsertim deficit fluuius. Nullum verò latus firmiùs, ac diligentiùs est communitum, quàm quod vltra flumen Belgium spectat. Ab hâc parte iusserat Henricus Rex obsideri Ambianum; non modò, ut Dorlanense commercium impediret (quod paulò antè dictum est) sed etiam, ut eam potissimum viam, quâ venturum subsidio suspicabatur Albertum, suis aggeribus, ac munimentis occupando, Hosti præcluderet. Bironius verò cùm ad aggeres erigendos non satis esset paratus, atque instructus, in Magdalenæ Cœnobio primam Exercitus aciem collocarat: reliquas in viâ Dorlanum versùs ferente dispsosuerat, eam Equitatu custodiente, ac vetante, nè commeatus, aut subsidia peruaderent Ambianum.

Portocarrerus eruptionibus Hostem infestat.

Portocarrervs opinione suâ citiùs obsessus, dum auxiliares ab Archiduce Copias opperitur; consuetâ sedulitate munimenta Vrbis recognoscere, atque instruere; resque omnes ad obsidionem sustinendam idoneas præparare. Quam ut longiùs à se arceret, Hostium paucitatem conspicatus, eos frequentibus, ac validis eruptionibus ita statuit infestare, ut relaxare cogerentur obsidionem. Itaque tertio Calendas Aprilis, matutino tempore iussit Montis-Nigri Marchionem erumpere ad Hostium stationem inuadendam, positam in Cœnobio

Sortite. Allargar l'assedio. Quartiero. Attaccare.

Montis-Nigri Marchio strenuè rem gerit.

Magdalenæ. Præmisit Marchio Vallones Equites quinquaginta, qui primas loci Custodias viginti Militum aggrederentur: tùm ipse cum ducentis Equitibus subsequutus, tanto eos impetu perculit, ut opprimeret. Indè captiuis aliquot factis, ad aciem usque Gallorum primam prouectus audacter est. Obuiàm illi statim processerunt Equites quadringenti, cum quibus diu pari prælio, quamuis impari numero dimicauit. Ad extremum fugam non tam arripuit, quàm simulauit, ut insequentem Hostem ad locum insidiarum deduceret, quas in quibusdam sepibus struxerat Innicus de Otaola cum ducentis Hispanis. At qui Gallis insequentibus præerat Montinij Dominus, cùm eorum terga ad sæpes usque pressisset, opportunum insidijs locum contemplatus, & suspicans, quod res erat; sustinuit illico habenas, suosque cohibuit. Ita re nullâ, quæ magni esset momenti, peractâ, pars utraque se recepit in tutum.

1597. *Corpo di guardia. Scaramucciare. Trender la carica; Imboscata. Incalzare. Agguato.*

Die postero eruptionem Marchio cum trecentis Velitibus iterauit: ac ponè sequi iussit Hastatos centum. Verùm inito sclopetis conflictu utrinque crebrescente; neque Galli ad proximas Vrbi conualles progredi audebant; neque Hispani ad Magdalenæ stationes accedere propiùs; vtrique in medio intercipi metuentes. Quare consilium aliud suscipiendum sibi duxit Ferdinandus; ut adeo vicinum à Gallorum Copijs discrimen, molestiamque summoueret. Pluribus nempe bombardis, quarum ingentem numerum in Vrbe repererat, Cœnobium illud quatere instituit. Eamque concussionem tam pertinaciter prosequutus est; ut locum prorsus inhospitum, desolatumque reddiderit: Atque adeò Gallorum acies in Pagum ab Vrbe remotiorem coacta fuit recedere: ubi licèt eamdem interrumpendi vias opportunitatem haberet; impedire tamen haud facilè poterat, quominus terra, lignorum fasces, aliaque ad defensionem necessaria Ambianum inueherentur.

Caualli leggieri. Lancie. Archibugi. Coglier' in mezo. Romper le strade. Fascine.

Archidux immittit Portocarreto subsidium.

Interea quod promiserat Albertus subsidium, antè submittendum ratus, quàm Gallorum Exercitus maiora caperet incrementa, & vias magis intercluderet; iussit Ioannem Gusmanum ex Agro Cameracensi Ambianum versùs proficisci cum quatuor equitantium Sclopetariorum cohortibus, & Velitibus trecentis. Is ineunte Aprili, nocturno tempore, itineri se commisit, ut sub lucem ad Ambiani portas, inobseruatus Hosti, perueniret. Et quidem ex sententiâ res cecidit: tùm quòd obsita nubibus, & obscura nox illa fuit: tùm quia de eius aduentu Galli præmoniti, nonnisi sub vesperam eum accessurum rebantur. At in ipso penè portu, quod dicitur, naufragij periculum passus

Soccorso. Ingressarsi l'Esercito. Archibugieri. Compagnie.

Id peruenit ad Vrbem.

1597. passus est: vel vices more suo variante fortunâ, quæ moram venientibus fecit, dum ad potestatem impetrandam portas aperiendi conuenitur Gubernator: vel, ut aliquis scribit, fortunæ beneficium corrumpente Gusmano, dum Vrbi proximus per significationem lętitiæ, ob Hostem feliciter delusum, inflari tubas mandauit, & aliquot sclopeta displodi. Quo strepitu commonefacti Galli, qui iam instructi, ac parati ad pugnam erant: eò repentè conuolant: Hostem aggrediuntur: cum eo manu consertâ ita miscentur, ut integrum non sit in illos tormenta vrbana displodere, ne simul Subsidiarij prosternantur. Atque hi quidem maiore Gallorum numero obruti, paulatim se recipiebant ad eam, quam tectam appellant viam. Et quamuis desperatione vires excitante diutius acerrimè dimicarent, aliquot tamen suis Velitibus interemptis, extremum exitium cæteri subijssent, nisi peropportunè in eorum auxilium Ferdinandus Deza, qui viam illam tuebatur, cum ducentis Peditibus Hispanis prodijsset. Hic nullo Sociorum, aut Hostium habito discrimine, impetum in omnes fieri iubens, Gallos aliquantùm referre pedem coëgit. Quâ opportunitate arreptâ Sclopetarij ex equis se deijcientes, ac proximam intrantes fossam, ad ripam alteram incolumes ferè cuncti peruaserunt. Vbi verò portâ iam patefactâ effudere se copiæ auxiliares Marchionis Montis-Nigri cum Alphonso Riberâ, & Rogerio Taconio: hæ consuetâ virtute Hostes, iam prorsus discretos à suis, ad Magdalenæ Cœnobium usque repulere. Ita Subsidium tandem inductum in Vrbem est, quadraginta ferme desideratis, pluribus saucijs: atque inter hos Taconio in tibiâ vulnerato: inter illos ipso Dezâ occiso, qui periclitantibus Subsidiarijs venerat in subsidium.

Catherinus.

A Gallis deprehensum impeditur.

Strada coperta.

Ritirarsi.

Vrbem demum ingreditur.

INGRESSVS cum illis Ambianum fuit Fridericus Paciottus, Vidonis Vbaldi extincti, supràque memorati Frater; cuius ingenium, atque in Architecturâ militari præstantia munimentis Vrbi præstruendis admodum accedebat opportuna. Comportatum in eamdem unà fuit cum ingenti pecuniæ vi multum suppellectilis bellicæ ad defensionem idoneæ. Quare multum etiam animorum Præsidiarijs Hispanis, ac præsertim Portocarrero superadditum est, ad retinendum acriter, quod feliciter ceperant. Atque ut liberiorem nanciscerentur eruptionibus viam, dimicationibus campum; decreuit idem Suburbia Ambiano viciniora solo æquare. Id verò iniectis præcipuè flammis peractum. Tanta enim belli calamitas est: ut non modò sequaces, sed præcurrentes etiam habeat ruinas, atque incendia: extremisque malis sibi spontè illatis, quærenda sint tam formidabili malo remedia.

Lib. 8.

Portocarrerus incendit Suburbia.

Bironius vrget obsidionem.

1597.

HAVD minor erat in obsidione arctiùs urgendâ Bironij diligentia. Iam inter Ambianum, & Corbeiam in parte Somonæ superiore pontem alterum è nauibus construxerat: alterum in inferiore propè Pagum, nomine Longum-pratum: atque hunc lunato propugnaculo in utrâque fluminis ripâ munierat: tum, ut liber utrobique traiectus Gallo Militi esset; & Copiæ vltra fluuium, citraque dispositæ coniungi, ubi res posceret, facilè possent: tum etiam nè aditus Hosti pateret ad transmittendum, inferendumque Vrbi subsidium ex eâ parte, quâ minimè obsidebatur. Ab uno ad alterum pontem (qui mille ferò passibus Ambiano distabant) aggerem longum erexerat sinuato circuitu, qui spectaret Vrbem; eumque septem munimentis maioribus cum opportunâ copiâ bombardarum instruxerat. Ex aduerso verò latere, in Cameracensem Agrum, ac Dorlanum vergente, multò longiorem excitari curauerat aggerem, totidem propugnaculis custoditum, excelsiori tamen opere, fossâque profundiore, ad externos ingruentes impetus coërcendos.

Lomprè.

Trincierá.

Forti.

Sic Bironius labore, conatuque magno moliebatur obsidionem sibi vehementer ab Rege commendatam: cùm animum ingentem, unâ eâ curâ non satis occupatum, noua subijt cogitatio, par Hosti referendi, atque artes artibus vel æquandi, vel si daretur, etiam superandi. In Atrebatum, totius Artesiæ principem Vrbem, ex improuiso adoriendum mentem adiecit. Legit extemplo Milites, Pedites quater mille, Equites mille ducentos. Socios adhibet operi magno pares, Espernonij Ducem in primis, aliosque virtutis, atque existimationis egregios. Per nocturnum silentium ad portas Vrbis usque deueniunt. Earum exteriorem instrumento incendiario, seu pyloclastro (petardum vulgus appellat) feliciter effringunt. Dum verò interiorem Artifex idem simili opificio perrumpere conatur; ictu repentino percussus, ad terram ruit. Interea Militum alij scalas muris admouerant, sed ex errore in hisce machinationibus satis frequenti, numquam tamen satis prouiso; breuiores illas mœnibus deprehenderunt. Hoc rumore, ac tumultu Atrebatenses cum Præsidiarijs exciti arma rapiunt: ad portas, ac mœnia concurrunt: Hostem nullo negotio propulsant. Aderat ijs, & animos auctoritate, consilio vires addebat Carolus Longouallius Buquoij Comes, Maximiliani filius, qui Atrebati præfecturam summâ virtute, ac fide administrauerat. Ita re generosiùs tentatâ, quàm fortunatiùs, quinquaginta desiderans è suis, alijsque multis vulneratis, recessit inde Bironius.

Idem Atrebatum intercipere conatur, sed frustra.

Gaspar Ens. Hæræus. Coloma. Bentiuolus.

ATTAMEN exitus hic infelix, qui vulgarem animam à simili

co-

1597. conatu deterruisset in posterum; magnanimum Bironij pectus ad alterum eiusmodi facinus statim audendum stimulauit. Excelsæ quippe mentis est, eò maximè niti, ubi fortuna plurimùm obluctatur. Dorlanum se illi obiectabat in proximo; sic astu ab se suo Regi comparandum; ut Ambianum Dorlani Gubernator Portocarrerus acquisierat suo. Igitur scalis plurimis haberi iussis in promptu, Montinio Præfecto Velitum imperauit, ut Pedites, qui postremum agmen Exercitus obtinebant, Dorlanum usque deduceret. Ipse sub vesperam ad Ambiani procurrens mœnia, varijs dimicationibus lacessit Defensores: nè diminutum obsidentem Exercitum animaduertant. Mox, ut conspectu suo Dorlanensi machinationi vim addat, cum Equitibus ad custodiam sui corporis addictis, & sexaginta Loricatis eòdem se confert. Iam una, atque altera superabat ad lucem noctis hora: cùm hinc Flexani Dominus, illinc Foquerollij, ducentis comitantibus Heluetijs scalas Dorlani muris applicuerunt. Sed idem eos error, qui modò in Atrebatensi interceptione, delusit. Scalæ nimirum ad summa mœnia nequaquam pertingentes. Adeò plerumque cœcutit impetus militaris, ut vel minimo spatio temporis interiecto bis idem peccet. Itaque parum prosperè succedentibus dolis in utrâque Vrbe tentandâ; ad magis apertas, & generosis animis digniores bellandi artes in Ambianensi obsidione, retulit se, suosque Bironius. Et eas quidem exercendi, frequentes admodum opportunitates ipsimet Hostes crebris eruptionibus præbebant.

Catherinus. Bentiuolus.

Retroguardia.

Dar la scalata.

Sorpresa.

Dorlanum quoque, pari successu.

NONO præsertim Calendas Iunias Monte-nigrius, & ipse Portocarrerus cum trecentis ambo Equitibus, totidemque Peditibus ex Vrbe diuersas in partes proruerunt. Dumque hic inferiorem partem aggreditur, atque arma impetu magno mouet: ille Longum-pratum versùs infert se se, atque aggerem nondum perfectum prætergrediens, qui eum tutabantur, inuadit, fundit, cædit: parumque abest, quin lunatum munimentum euertat, ac tres configat clauis bombardas in ipso collocatas. Verùm eòdem tempestiuè cum Velitibus accurrit Montinius: atrocemque aduersùs illum orditur conflictum. Interea sagacem Bironij subijt animum, interiectum aggeri, ac flumini aditum occupare, ut viam interrumperet Hosti se in Vrbem recepturo. Sed ipso sagaciores Didacus Durangus, Franciscus ab Arcu, alijque locum illum priores tenuerant, & patentem, ac liberum reuersuris Commilitonibus suis custodiebant. Quare licèt cum Equitibus non paucis diligentiâ summâ properasset illuc Bironius; spe tamen suâ se fraudatum, ac prouidentiâ supe-

Eruptio Portocarreri, ac Monte-nigrij; & cum Gallis dimicatio.

Mezaluna. Inchiodare i pezzi.

Tagliar la strada. Ritirarsi.

superatum cognouit. Ingens verò inter utrosque certamen, acriusque priore ibi succensum. Pedites namque Hispanorum cauitate regionis illius, & frequentiâ sæpium in rem suam nauiter utentes, Gallicum Equitatum mirum in modum infestabant. Et Monte-nigrius in hanc partem conuersus, Bironij turmas ab lateribus, atque à tergo ferociter adortus est. Imò propè fuit, ut eas interceptas in medio penitus deleret: nisi reliquus Gallorum Equitatus à Carnutensi Commendatore celerrimè perductus, præsenti easdem discrimine liberasset. Tùm demum hinc recedentibus Hispanorum Peditibus, illinc suos quoque Milites reuocante Bironio, cum pari ferme tam gloriâ benè gestæ rei, quàm occisorum militum utrinque iacturâ, die iam ad occasum pronâ, diremptum certamen.

1597.

Henrici Regis aduentus in Castra.

DVM hæc in obsidione gererentur, adfuit Henricus Rex septimo Idus Iunias. Stipabat eum corona Virorum principum, ac Regni Primatum. Quos inter Mænius Dux eminebat: cuius ex virtute, consilioque tantum emolumenti sibi Rex in eâ opportunitate pollicebatur: quantum in superiore cum Fœderatis bello expertus fuerat detrimenti. Non admodum gratus accidit Bironio tam festinus Regis aduentus. Maluisset enim ab eo tùm primùm perspectum obsidionalem apparatum, cùm ad maiorem foret absolutionem perductus. Henricus tamen omnibus perlustratis, diligentem eius operam in rebus rectè dispositis commendauit: eumdemque iussit in supremo Exercitûs imperio, vel se præsente persistere. Stationem ipse suam collocauit in semiruto Magdalenæ Cœnobio; quamuis in id non cessarêt Hispani displodere ex Vrbe tormenta. Henricus Monmorencyus Comes stabuli, Duces Mænius, atque Espernonius, & Ionuillæ Princeps in munimentis sedem habuere. Bironius sibi locum elegit perficiendis operibus viciniorem, ut iisdem instaret: ac procul primis Vrbis munitionibus citra fossæ labrum exterius, quantùm ictus mosqueti pertendit. Ex eâ quippe parte inire oppugnationem statuerat, ubi primùm absoluta opera forent.

Gallici exercitus dispositio & numerus.

Memoransi Côtestable.

Contrascarpa.

NVMERABANTVR in Gallici Regis Exercitu sexdecim Peditum millia, Equites quater mille. Noui tamen Milites superfundebantur in dies. Tanta Regem incendebat Ambiani recuperandi cupiditas: tantus erat in Regno, eiusque præsertim Nobilitate, ardor Regi post tot difficultates, ac dissidia sibi tandem concesso obsecundandi, honorisque cum iacturâ tantæ Vrbis amissi redintegrandi. Tria erant Heluetiorum millia, quatuor Anglorum, quos Regina transmiserat, ex legibus fœderis

paulò

1597. paulò antè sanciti. Reliquum conflabant Exercitum Gallicus Equitatus, & Peditatus. Ad eum pluuijs, alijsque Cæli iniurijs defendendum, è tabulis tabernacula extruebantur. In bellico namque Senatu decreuerat Rex perductorum ad fossam aggerum operâ, quamuis longiore, ad Vrbem vendicandam uti: ne oppugnationibus obiectaret Militum vitam: quorum tot millia fuerant pristino bello absumpta, ut parcendum iam Gallico sanguini, ac præcipuè nobiliori videretur: nè florentissimo quondam regno propemodum exhausto, vacuâ ipse in Aulâ regnaret. Bombardarijs præerat Monlucius; Equitibus leuioris armaturæ Montinius: ambo nominis magni Bellatores. Equites hi terga tuebantur Exercitus: & frequenter excurrendo, tutam custodiebant, apertamque commeatibus viam. Imò non rarò Agrum omnem infestando, Dorlanum usque irruebant: quò cùm se Ludouicus Melzius Eques, unàque decem Equitum Cohortes intulissent; crebræ inter eos, & cruentæ dimicationes intercedebant. Nec segnior erat ex Vrbe in Castra impetus fulminantium tormentorum. Ex eis unum displosum ferreum globum in ipsam Regis impulit stationem. Cùmque fornicem, sub quo tunc erat Henricus, magnâ vi percussisset; Regem eumdem puluere, ac ruderibus totum aspersit. Quòd si minus firma, ac solida ædium structura fuisset; periculum erat nè ipse cum uniuersâ familiâ super incumbente ruinâ opprimeretur. Adeo muniti sint Reges oportet, non modò aduersùs arma Hostium manifesta, vel odia suorum occulta; sed etiam, si fieri potest, contra temeraria tela fortunæ. Neque solùm apertis ictibus bombardarum, sed clandestinis quòque artibus Proditorum in hâc obsidione certabatur. An ut capta ex insidijs Vrbs, per insidias recepta, æquali quasi pretio redimeretur?

Barache. *Assalti.* *Vettouaglie.* *Scaramuccie.*

Regis periculum ab ictu bombardæ.

ERAT Ambiani Cœnobiũ Augustinianæ Religiosorum hominum familiæ, uni portarum Vrbis penè contiguum. Eò plerique Ciuium conuenire soliti erant: ibique de suæ Vrbis statu liberiùs colloqui. Atque uti aqua naturâ gelida, at per vim ignis calefacta, semper conniti videtur ad frigus suum: ita Gallica Ciuitas non propendere non poterat ad Gallorum magis, quàm Hispanorum imperium. Ad hanc natiuam Ciuium procliuitatem nouus è Castris impulsus, & rei prudenter gerendæ Consultor accessit. Burgundio quidam militum Præfectus, re cum Bironio constitutâ, Augustiniani Ordinis vestem indutus, in id sese Cœnobium insinuat. Cum Ambianensibus Gallico Regi studentibus communicat clandestina consilia. Vrbem in potestatem Henrici Regis restituere decernunt. Rationem hanc ineunt:

Bentiuolus. Campana. Coloma. Turtura. Catherinus. Carnerus. Thuanus.

Ambiani Regi reddendi tractatio.

1597.

ineunt: ut propugnaculũ capiatur, quod est ad orientem Solem, Corbeiam versùs; certâ die, atque horâ Hispani eius Custodes occidantur: ex eâ parte inducatur in Vrbem Obsessores. Non potuit res tãta inter tot cõscios ita cælari, quin illius notitia perueniret ad Portocarrerũ. Is conspiratione detectâ, quarto Idus Iunias Coniuratos præcipuos nouem plecti suspendio iussit: religiosos eiusloci homines plerosque, ob suspicionẽ participati criminis, in carcerẽ coniecit, vel, ut alij scribunt, Vrbe amandauit: ipsique Cœnobio, portæque vicinę Custodias validiores multò, ac vigilantiores adhibuit. Ex hâc machinatione deprehensâ cùm Ciues erga nomen Hispanum malè affectos, atque ad se suo Regi reddendos valde procliues intelligeret Ferdinandus; longè cautiùs cum ijsdem agendum sibi duxit in posterum. Quare si quando in Obsessores erumpere cogitabant Hispani; muniebant simul Vrbis vias Militum globis, nè conspirantes Ambianenses tumultuarentur, atque insurgerent in relictos Præsidiarios. Neque tamen ex hoc metu à crebris eruptionibus abstinebant; quibus se proficere plurimùm rebantur, tum ad munitiones Hostium retardandas; tum ad spatium temporis Archiduci comparandum, quo iustum conflaret Exercitum, optatumque Subsidium adduceret.

A Portocarreto deprehenditur, & punitur.

Thuanus. Campana. Camerus. Coloma. Bentiuolus.

Havd minor erat industria Portocarreri in Vrbis extimis partibus communiendis. Fossam præcipuè nouis subinde rationibus, atque inuentis accessu difficiliorem reddebat. Tectam quam dicunt viam diuersis munitionibus auxit; & sub eâ præparari cuniculos mandauit, qui pyrio puluere oppleti cùm ignẽ conciperent, cùm supra viam Hostis instaret. Eamdem acutis, atque ingentibus palis exteriùs obuallauit: nè tam repentè, atque improuisò, qui eam custodiebant, opprimerentur.

Eiusdem in Vrbe munienda diligentia.

Qvantùm verò ad conseruandam suo Regi, quam ingenio magis, quàm manu ceperat Vrbem, inuigilabat Portocarrerus: tantùmdem perdius, ac pernox intentus erat Bironius ad eamdem Regi pariter suo quaquâ viâ recuperandam. Igitur nouum tentamentum aggressus, nocte, quæ successit undecimo Calendas Iulias, nubibus, ac tenebris inuoluta; silentio iussit Milites aliquot cum duobus Præfectis in fossam descendere, ex eâque sacculos quosdam coriaceos oblongos, nitrato puluere farctos (vulgus ob similitudinem formæ farcimina, seu lucanicas vocat) in cauas munitionum partes, ac sub tormentis dispositis conijcere. Quod ubi peregissent, ignemque subministrassent, plus Hosti terroris attulere, quàm damni. Quippe, cùm eas machinas aptè collocare nequijssent, neque illæ flammas

Bironii stratagema parum felix.

Salsiccie. Cannonieri.

æquali

1597. *Sentinelle. Aperture.* *Fuochi artificiati.*

æquali tractu duxissent, incrustationes tantùm aliquas è muris excusserunt: ac tres Vigilum absumpsere. Quamobrem Præfecti militum cùm aditum ad irrumpendum nullum patefactum viderent: ac supra caput missilium ignitorum pluuiam ingruētem reformidarent; se, suosque receperunt ad Castra, multos ex eis sacculis integros relinquentes, quorum pyrius puluis magno usui Obsessis fuit. Ita machinationes audacter institutæ, at non perductæ feliciter, hostibus, quàm auctoribus, esse utiliores solent. Et ab hâc quidem id quòque traxerunt emolumenti Defensores, quòd tali periculo moniti, diligentiùs postmodum eas trans fossam munitiones custodierunt, duabus Hispanorū, totidemque Vallonum centurijs ad eam tuendam immissis: cunctas etiam fossæ cœcas crypras frequentioribus instruxere Præsidijs. Quare cùm paulò pòst Milites legionis, quam Nauarræ vocant, modò dicta machinamenta Longo-pratensis portæ propugnaculo admouere tentassent; in ipso ingressu repulsi sunt, ac retrocedere non sine detrimento coacti. Bironius interea, ut aggerem ad fossam deduceret, industriam omnem impendebat: ac propterea Magdalenæ Cœnobium, unde ille ducebatur, munire aggressus est. Quod opus ut impediret Montenigrius, tertio Calendas Iulias ex Vrbe cum Equitibus quadringentis, Peditibusque Hibernicis, atque Italis ducentis erupit: atque ad Cœnobium usque prouectus, prælium tam atrox cum ijs, qui structuram moliebantur, conseruit: ut adactus ipsemet Bironius fuerit cum suis Militibus in certamen prodire. Neque verò ad Hostem propulsandum idoneus & ipse fuisset: nisi tempestiuus aduolasset cum multis Equitum turmis Aruerniæ Comes. Ad huius accessum Marchio paulatim se recipere: sed, ut fortem decebat, continenter pugnando. Tùm, qui eum subsequebatur, Peditatus, in campum alacriter succedens, prorogat cum Hoste certamen: cuius Equitatum è concauis terræ partibus infestans, tantum intulit damni, ut eumdem retrocedere compulerit. Perierunt in eo conflictu decem tantùm ex Hispanicis Militibus; è Gallicis ferè ducenti: atque inter hos Diepæ Gubernator, & quidam Loricatorum Præfectus. Abducti etiam plerique captiui: in quibus Aruerniæ Comitis Signifer.

Casematte. Presidiare. Reggimēto. Di Lomprè. Rinellino.

Noua Montenigrii eruptio, & pugna prospera.

HAC iacturâ Bironius irritatus, eamque ulcisci meditans, nocte proximè consequutâ ducentos Pedites (est qui sexcentos, quique octingentos numeret) in insidijs collocanit ad ruinas, quæ supererant ex Templo Diui Ioannis, unà cum Suburbijs pridem à Defensoribus euerso. Manè verò cum præparatis E-

Bentiuolus. Campana.

1597.

Eiusdem, & Bironij conflictus ingens.

quitibus consuetam eruptionem expectabat. Neque eum expectatio fefellit. Montenigrius pridianâ victoriâ animosior, pari numero Militum instructus, processit in campum: seque, & suos incautus in dispositas iuduit insidias. Non ideo tamen animos despondit: sed coactis in unum Equitibus, atque in orbem circumductis, inde se subtrahere nitebatur. At Bironius è suâ statione progressus, eumque adortus à tergo, subsistere, ac frontem vertere coëgit. Quare tam sæua inter eos dimicatio coorta est: ut Montenigrius numero Militum inferior, atque à fronte simul, lateribusque petitus, discrimen ingens subierit, parumque abfuerit, quin opprimeretur. Verùm tempori adfuit in auxilium cum cætero Equitatu Portocarrerus: qui ad eum inde eximendum, duas impulit Loricatorum, unam Hastatorum cohortem. Tùm verò prælium vehementiùs inflammatum: ac summâ utrinque desperatione pugnatum diutius: donec Anglorum Legione Gallis succurrente, Hispani repulsi, atque ad primam usque munitionem Vrbis insectante Hoste reiecti. Duas ferme horas tenuit ferox, atque obstinata dimicatio: in quâ è Gallis cecidisse dicuntur ad trecentos; ex Hispanorum acie ad summum septuaginta. Sed horum pauciorem numerum damno longè grauiore compensauit Ioannis Gusmani cædes eò luctuosa magis, quò sanguinis erat is in Hispania clarioris, viridioris æui, & expectationis in re bellicâ maioris. Hanc eruptionem quantumuis vehementem, atque utrique partium cruentam; alia superauit, quæ decimo sexto Calendas Augusti facta est, quamque Galli commemorantes, magnam eruptionem appellare soliti erant. Eius occasionem, præter usum erumpendi diu, noctuque frequentem ad hostium opera disturbanda, hanc fuisse potissimam ferunt.

Dar ne gl' agguati. *Caracollare.* *Quartiero.* *Attaccarsi la zuffa.* *Disfeguare.* *Compagnia di lancie.* *Terzo.* *Rimettere.*

Eruptio alia magna dicta.

Eruptionis occasio.

QVA parte Ambianum spectat in reliquam Galliam, minore studio, ac munitione custodiebatur Ager ab Obsessoribus: tum quòd ab regione suâ satis eum defendi censebant: tum quòd ab Hostium recto itinere auersus erat: neque poterat Gallorum Exercitus ingentem Vrbis ambitum ab omni latere circumuallare. Igitur Defensores illac frequenter, & commodè egrediebantur ad pabula equis comparanda; non tamen sinè opportuno Equitum, Peditumque comitatu. Id cùm sæpè feliciter euenisset, Galli re obseruatâ, lætisque animis arreptâ eâ Hostis opprimendi occasione, insidiari prodeuntibus decreuerunt. Quare cùm pridie Calendas Iulias Didacus Benauidius ex Bellouacensi portâ cum Equitibus paucis, & duabus Peditum centurijs pabulatum exisset; & longiùs, quàm præscriptum fuerat,

Foraggiare. *Insidiantur Galli Pabulatoribus Ambiani.* *Di Beauois.*

1597.
Dar nell'imboscata à Foraggieri.

rat, recessisset ab Vrbe; in insidias incidit Equitum quingentorum in posteriore Templi cuiusdam parte dispositas. Hi statim interceptum hostem inuadunt: è Militibus triginta, centum è Pabulatoribus perimunt. Benauidius ipse, Signifero, atque Instructore Militum inter alios amisso, vix incolumis ad portam euasit. Rogerius verò Taconius, qui eum maiore cum Equitatu ponè sequebatur, impressione ab Gallis factâ repulsus, ac tantùm non oppressus, ægrè se recepit in tutum sub tectæ viæ munimenta. Infaustus hic exitus procliues, atque ardentes ad erumpendum animos Defensorum, non modò non repressit, aut restinxit: sed vehementiùs, quàm umquam antea perpulit, atque inflammauit. Cui Militum ardori ita obsecundandum censuit nihilò in re bellicâ segnior Portocarrerus: ut eruptionem moliretur omnium validissimam, quæ recentia damna posset multo cum emolumento sarcire.

Præparatio ingēs ad erumpendum.

IVSSIT ergo Didacum Durangum, & Franciscum ab Arcu in tectâ viâ paratos ad erumpendum esse, ubi displosâ bombardâ signum daretur. Ducturus erat primus Hispanos Pedites ducentos; totidem alter, partim Italos, partim Vallones. Post eos subsequi mandauit Hibernos Ductores duos cum trecentis eiusdem Gentis Peditibus: ac postremum agmen ex octoginta cataphractis item Peditibus, & hastatam securim præferentibus, à Carolo Sangrio duci. Iussit etiam ut è portâ maximè ab Gallis obsessâ prodirent Rogerius Taconius, & Franciscus Fontius cum centenis singuli Equitibus, qui Peditatum regerent: Simon verò Latrius cum Equitibus ducentis ex oppositâ Belloua-censi portâ erumpens, ad arma per eam portam cieret: ac postmodum per medios campos in subsidium suorum accurreret.

Retroguardia. Huomini d'arme. Alabarda. Spalleggiare. Far dare all'arme. Rinforzo.

TEMPESTAS erat, ut Iulio mense medio, æstiuis ardoribus torrida: & solerter Hispani meridianam horam eruptioni destinarunt, quâ Obsessores nocturnis laboribus fessi, & præferuidi tædio caloris quieti magis, quàm armis addicti, solutis animis, languidiore curâ sese, ac munimenta tuebantur. Igitur Ferdinandi iussu, strepitu bombardæ dato erumpendi signo, raptim se omnes, qui lecti fuerant, effudere: & Durangus quidem in dexterum, Arcus verò in sinistrum aggerem Hostium irruerunt. Tantoque se impetu in eos præcipitarunt, ut perruptis, ac cæsis primis Custodibus, repentè Picardiæ Cohortes, quæ utrumque aggerem propugnabant, adorti sint. Priùs verò quàm hæ ad sustinendam impressionem disponere, ac præparare se possent, primi quique obuij trucidati: earum Præfecti Flessanus, Vieta, Foquerollius extincti: fusi cæteri, ac dissi-

Trinciera, Guardie.

Hispani Gallos inuadunt, ac primò superant.

 pati,

paci, ad munimenta uſque, diruto Magdalenæ Cœnobio proxima, pulſi ſunt. Hæc autem cùm tueretur Campaniæ legio; in eam & Galli fugientes, & inſectantes Hiſpani tantâ vi irruperunt: ut ipſam quoque diſiecerint, compulerintque apertam fugam capere Caſtra versùs, quæ ab tergo erant; quò ſe ibi de integro redigeret in ordinem, inſtrueretque.

1597.

Riordinare.

At Hiſpanorum Præfecti ingenti quàcumque graderentur, editâ ſtrage, ad ipſa peruenere munimenta, quæ à Defenſoribus deſtituta, facilè diruta fuiſſent; niſi peropportunè præſens, atque animoſum ſubſidium aduentaſſet. Bironius quippe, agminis magni ſpiritus gerens, atque è domeſticis quatuor Viri nobiles, & Franciſcus Bencius Florentinus, alijque ſub eo Milites pauci ſtatim arreptis haſtis oppoſuere ſe Hoſti, eiuſque impetum parumper ſuſtinuere. Verùm inundanti magis ac magis Hiſpano militi, ſummoque ardore pugnanti, vix obſiſti iam poterat: reſque ad extremum deducta videbatur. Et quamuis perangustus eſſet aditus munimentorum; cum tamen Hoſtibus præcludere tam pauci Defenſores nequibant. Neque maius ex aliâ parte Subſidium accurrebat: quandò re magnâ militari prudentiâ diſpoſitâ; hinc Latrius, atque eo non procul Montenigrius: illinc Taconius, & Fontius per campos excurrentes, unamquamque Militum cateruam ſuum tueri locum cogebant, ne ab ipſis occuparetur. Et iam munimenta propè in manu Hoſtium, & Bironij vita, aut libertas in ſupremum adducta diſcrimen erat: cum Ionuillæ Princeps, qui munimentum vicinius tuebatur, tantâ deſperatione rerum animaduerſâ, animo maiore, quàm viribus, cum centuriâ Militum auxilio accurrit. Sed vel ſerum, vel modicum auxilium fuit. Namque ſtatim ex aduerſo Sangrij Cataphracti in medium animosè proceſſerunt: qui cùm penitùs eſſent armis muniti, parum ictibus Hoſtium lædebantur. Quamobrem Gallos quamuis generosè pugnantes, aduersâque fronte recedentes, ad ipſorum tormenta perpulerunt.

Ridotti.

Difender' il poſto.

Bironio periclitanti Ionuillæ Princeps ſuccurrit.

In tam infelici pugnę conditione Bironius undique ſudore, & ſanguine perfuſus, dextrâque comæ parte prorſus ambuſtâ, non ceſſabat periculi ſui, rerumque deſperatarum complures Exercitui reliquo ſignificationes dare. Quibus excitus, & quaſi ad tam difficilem nodum diſſoluendum accerſitus, nouus Alexander, Henricus Rex adfuit auxiliaris periclitanti & Duci, & rei ſuæ. Igitur ubi primùm de prælij ſtatu cognouit, magnanimitate conſuetâ diſcriminum contemptrice, equo deſilit, haſtam arripit, circumfuſos Principes ſecum ad belli aleam trahit. Subſequuti

Et mox ipſe Rex Henricus.

1597. sequuti subinde sunt Aruerniæ, ac Sancti Pauli Comites cum ingenti Nobilitatis Gallicæ numero, quæ ad Magdalenæ munimenta stationem habebat. Aduentu Regis exarsit ut cùm maximè pugna, integrante Gallis animos præsentiâ supremi Principis sui: irritante ferociam Hispanorum tanto Spectatore, quamuis Hoste. Iusto parem bello fuisse dimicationem illam ferunt: adeò non apparatus ad pugnam, sed pugnantium virtus bellum facit. Duas ampliùs horas acerrimè decertatum, ipso Rege in primâ suorum acie stante. Cuius aspectu animati, & arcanâ quasi vi coacti, Galli tanto numero affluxere, ut vel hic posset animos Hosti demere. Sed iam Cataphracti longo, atrocique conflictu fatigati, immani armorum pondere pressi, æstiuo, ac meridiano calore penè consumpti, paulatim se recipere, lento tamen passu, instante semper, & premente ferociter Ionuillæo, qui tùm quòque dignos origine suâ spiritus præferebat. Verùm ut militaris ardor semel succensus haud facilè deferuescit; in ipso recessu Hispanorum ab aggeribus, cùm prælium elanguisse credebatur, redaccensum extemplo fuit, ac maximè inflammatum ab Hispanico Equitatu, in suorum subsidium superfuso. Hic à lateribus irruens, Ionuillæum cum socijs ab Regis, Bironijque cohortibus abiunxit. Quare dispertito certamine, utrobique seorsim summâ contentione, extremoque periculo dimicabatur.

Giornata. — *Attaccar per fianco.*

Prælium ab Rege redintegratur. — Acre certamen.

INTEREA continenter ex Vrbe tormenta displodebantur: nè varijs è stationibus Galli in suorum subsidium conuolarent. Non eo tamen terrore potuit generosus Mænij Ducis animus retardari, quin cum Equitibus ferè sexcentis audacter per medios campos procurreret, atque admodum tempestiuè Gallis sub magnâ belli mole laborantibus opem ferret. Is demum pertinaci, efferatæque dimicationi finem imposuit, recedentibus ad fossam Hispanis, eosque perpetuò prementibus Gallis. De Ionuillæo Principe, qui nusquam appareret, diu, multùmque dubitatum. Rex ipse in aggeris aditu persistens, cum ingenti sollicitudine de illo elatâ voce rogitabat. Extinctum plerique omnes credebant: cùm repentè videndum se obtulit comitantibus paucis, cruore undique turpatum, & corpore crebris ictibus contuso. Plus tamen ex eius certâ salute lætitiæ, quàm commiserationis ex eo lurido aspectu, Regis animum, & uniuersum Exercitum peruasit. In tam acri pugnâ è Gallis cecidisse dicuntur ab alijs sexcenti, ab alijs octingenti, atque nongenti: ex Hispanis septuaginta, vel nonaginta. Illorum etiam plurimi saucij, ac plerique Principes Exercitus, alijque insignes Viri: quos

Incalzare.

Ionuillæi Principis discrimen. — Numerus occisorum vtrinque.

inter

inter Henricus Catherinus Dauila, ciuilium Galliæ bellorum, & huius ipsius conflictûs Scriptor eximius. 1597.

Portocarreri literæ ad Archiduc.

RECITANTVR ab aliquibus literæ de hoc ipso certamine scriptæ ad Archiducem à Portocarrero. Hic testatur in eis: *Hanc eruptionem omnium, quas umquam tentatas viderit, fortitudine, ac felicitate fuisse clarissimam. Casos ex Hostibus penè sexcentos, Nobiles non paucos, Tribunos militum duos. Displosa quòque per idem tempus ex Vrbe tormenta non leuem stragem edidisse. Hostem in dies propiùs ad muros accedere: ac tam suis vicinum instare, ut sese vicissim impetant saxis. Vereri se, nè priùs quàm reddatur Epistola, in fossâ consistat. Rem sibi esse videri cum uniuersâ Galliâ, quæ ad Ambiani obsidionem, suum sequuta Principem, tota confluxisse dici possit. Quare maturandum ingens, atque opportunum subsidium. Cuius eò spem esse maiorem, quòd ipse antea scripserit Archidux, Ambiani propugnationem, atque custodiam Bruxellæ, Antuerpiaque saluti se præbabiturum. Sibi quidem mentem immotam, atque interritam. Id vel Hostes fateri, cum dicant: nonnisi Portocarrero extincto, Vrbem expugnari posse. Se verò nullam sperare mortem sibi magis gloriosam. Subsidia minimè procrastinanda: quandoquidem annona, cæteraque ad defensionem necessaria in dies magis deficiant: & tabifica lues in Vrbe grassetur: ac de Ciuium fide sit non mediocriter dubitandum. Lenta, & sera consilia sibi, socijsque certum exitium; Archiduci, nominique Hispano ingentis iacturam gloriæ allatura.*

Boterius lib.4. Reidanus lib.14.

HIS, alijsque literis Albertus incitatus, magnum Copiarû, & pecuniæ subsidium colligebat. Iamque Itali ab Aualo deducebantur in Belgium, eòdemque Germani recèns conducti properabant: plurimique in ipso Belgio centuriati erant in promptu. Quarum rerum certior factus Henricus, opera & ipse sua accelerabat. Aggeres propè ad fossam Vrbis perducti erant; suffectis continuò nouis Militibus, aut Fossoribus eorum loco, qui ab Obsessis prosternebantur. Regius quippe Gallorum Exercitus adeò creuerat, ut Peditum millia quatuor supra viginti, Equitum sex millia percenseret: cæteraque ad obsidionem continuandam idonea copiosè congesta. Nec multum temporis interfluxit, cùm ad rectam viam peruenere: cuius parte suffossis, incensisque cuniculis subrutâ: reliquâ manifestis impressionibus occupatâ, tandem in labro fossæ citeriore constiterunt. Hic verò certamen ingens inter Obsessos, atque Obsessores exarsit: ut omnis huc redacta videretur obsidionis moles; contendentibus his in fossam erumpere, eâque potiri; id illis toto nisu prohibentibus. Qui licèt editiores amisissent munitio-

Guastatori.

Henricus instat expugnationi Vrbis.

Conflictus ad fossam.

Contrascarpa.

nitio-

1597. *Disiect.* nitiones, tormentorum ictibus disiectas, humilioribus tamen sese tuebantur: atque inde pertinaciâ, ferociâque incredibili Hostem infestabant. E mœnibus ingruebat grando saxorum, igniumque missilium horrenda tempestas. Gallica ex aduerso tormenta displosa continenter mœnium partem, humo aggestâ munitam, adeò labefactarant; ut penè Defensoribus locus consistendi non esset. Quamobrem usitatos receptus interiores, & lunata munimenta superaddere aggressus est Portocarrerus.

Terrapienata.

Ritirate, ò Ridotti. Mezzelune.

NOVVM quòque ad Hostes, quantùm poterat, distinendos, excogitauit inuentum. Quâ parte feruebat pugna, duobus ostijs flumen in Vrbem influebat. Decreuit igitur magnis trabibus connexis subiectos pontibus arcus obstruere: ut aqua extra Vrbem reflueret, atque oppugnatam præcipuè fossam inundaret. Neque consilium frustratus est exitus. Aqua enim violenter coërcita, ac refusa in partem alteram, ita redundauit: ut circumstantes Gallos obrueret: fossamque repentè altè complendo, & Obsessores inde omnes repelleret, & eorum cuncta opera pessumdaret. Subitus hic, atque inopinatus euentus Exercitum Gallicum terroris, & confusionis impleuit.

Portocarreri stratagema.

AT Rex eo minimè perturbatus, euocato Senatu bellico, mandauit: ut duplex bombardarum impressio vehemens instrueretur aduersùs geminas turres, quæ portam Dorlanum ducentem mediam intercipiebant. Sperabat namque, disiectarum ruinas turrium in fossam incidentes, eam oppleturas, quâ parte fluminis aquas accipiebat. Concussio turrium vehementissima fuit. Nec multò pòst earum dirutarum materies aditum illum occludens, nè postmodum in fossam aqua perflueret, impediuit. Id etiam minùs prosperè cessit Obsessis, quòd cum eæ trabes impetum fluminis sustinere diutius nequijssent; hoc pristinum cursum resumpsit: fossâque exinanitâ, ad oppugnationem Galli ardentiùs quàm antea rediere.

Aliud Regis contra illud.

PROPVGNACVLVM erat, ad pontis supra fossam versatilis, ac portæ tutamentum extructum. Eo ut potiretur Sanlucius, illuc bombardas octo dirigi iussit. Quarum plures dies frequentatâ concussione, Galli seorsim, atque Angli propugnaculum oppugnarunt, ac demum obtinuerunt. Verùm cùm præ lassitudine pugnæ, & noctis breuitate, quantùm opus erat, in eo se tegere, ac munire non potuissent; subsequenti diluculo eos Durangus ferociter aggressus; eodemque tempore missiles è mœnibus ignes proiecti: atque ab lateribus Innici de Otaola Mosquetarij magno impetu adorti, Gallos occupatum locum

Riuellino. Ponte leuatoio.

Dar l'assalto.

Coprirsi.

Lāciar fuochi artificiati.

cum

1597.

cam deserere coëgerunt. Eum tamen ijdem eiusdem diei vespere recuperarunt: & Cameracensibus centurijs custodiendum dederunt.

Iteratæ literæ Portocarreri ad Archiducem.

At Portocarrerus res ad extrema redactas animaduertens, nouis literis, & quæ ipsi nouissimæ futuræ erant, ad celerandum Subsidium Archiducem stimulare conatus est. *Rerum angustias,* aiebat, *iam spatium Epistolis non relinquere. Se cum Commilitonibus pro muris, ad præcludendum Hosti aditum, numquam intermisso labore desudare. Illum triplici parte dispositis tormentis minari se funditus omnia conuulsurum. Eumdem iam occupasse propugnaculum unum, at non sine suorum clade memorabili. Unam desperatis rebus salutem in Dei ope, ac festinato Archiducis aduentu sitam: qui cum Hoste confligendo, soluat obsidionem. Eruptionibus se parcere statuisse, quæ magno semper steterint, ac multorum militum iacturâ. Præsidium à quinque ad duo millia, quà ferro, quà lue imminutum, recidisse. Hosti formidabilem esse aduentum Archiducis: quippe qui non nisi maximo, atque insuperabili cum Exercitu sit accessurus. Videat pro suâ prudentiâ, atque humanitate, nè communem omnium expectationem fallat. Se pro eâ Vadem militibus factum: qui sibi fictis Epistolis, ac rumoribus illudi, sæpenumero querantur. Nisi Augusto mense adsit, auxilium serum, atque inutile futurum. Ingressum ab Longo-pratensi portâ vitandum, ubi se Hostis validissimè munierit. Quà Corbeiâ in Vrbem itur, minùs diligentes esse Custodias: leuius Præsidium: pontem haud satis munitum. Hic tamen si præcludatur, ductilem esse præparandum, aut simile quodpiam opificium ad transmittendum. Unum esse postremò, quod scribat, & vehementer oret, atque urgeat: ut tam suspiratum, tamque necessarium Subsidium non gradiatur, sed aduolet.*

Terrapieno. Meza luna. Trinciere.

Dum efficacibus hisce literis ad opem quàm citissimè ferendam, Albertum stimularet Portocarrerus, nè cui suarum partium deesset, iussit à Petro Gallego in crepidine terræ mœnibus aggestæ modicum extrui lunatum munimentum. Eodem verò tempore Montenigrius ingentem aggerem duci curabat supra ripas fluminis muros præterlabentis: ut primis munitionibus ab Hoste captis, eidem secundæ obstarent. Is autem impositam portæ turrim iam oppugnabat, multis antè tormentorum ictibus labefactatam. Simulque cuniculo inter turrim, ac mœnia suffosso iniectus ignis tantum ex magnâ ruinâ ruderum superfudit, ut ingressum turris obstrueret, vetaretque nè Subsidium in eam migrare posset ex Vrbe. Qui tamen eam tuebantur Innicus de Otaola, & Signifer Cartera hostilem impetum egregiè sustinebant. At Ferdinandus, & Marchio sollicito

studio

1597. ſtudio curabant, ut rudera illa ſubducerentur, quò pateret aditus in turrim Subſidio. Tantùmque ab omni parte laboratum, ut ſub noctem ingreſſu recluſo, ad eam propugnandam, Hiberni octoginta, totidemque Itali fuerint immiſſi. Verùm poſt dies quatuor eadem turris cum viciná murorum parte in poteſtatem Hoſtium venit.

Galli portæ turri potiuntur.

INTEREA perfertur ad Regem nuncius, Ioannem Contreram exercitûs hoſtici Curatorem (Commiſſarium appellant) cum alijs Præfectis Militum permultis Duaco digreſſum aduentare, ut vias, & Caſtra Gallica exploret. Statim ergo exercitûs curâ Mænio demandatâ, quarto Calendas Septembris veſpere cum Bironio, Equitibusque ſexcentis profectus eſt, ut ijs obuiàm iret: dederatque Aruerniæ Comiti in mandatis, ut ſe poſtridie cum octingentis Equitibus alijs ſequeretur. Præibat ipſe cum centenis Principibus viris. Ponè cum reliquis Montinius gradiebatur. Hoc ordine procedentes pridie Calendas manè, ubi collem aſcenderunt, repentè in conſpectum veniunt Hoſtium, è vicino nemore prodeuntium. Breue inter eos interiectum ſpatium erat: nec detrectari poterat dimicatio. Quare Gallorum numerus longè inferior, virtute, ac generoſitate ſupplendus fuit. Extemplo Rex adactis equo calcaribus, in Hoſtem inuehitur. Sequuntur alij tam animoſum exemplum. Hiſpani tum ſubito, tum audaci eorum occurſu perculſi: ratique tantum pugnandi ardorem non aliunde oriri, quàm ex ingentibus Copijs, quæ Regem ſequerentur; terga illico verterunt, ſeſeque in fugam præcipitarunt, per itineris multum inſectante Rege; donec ad paruum fluuium prouecti, qui prope Corbeiam in Somonam influit; eum rapidiſſimè tranſmiſerunt, latèque diſſipati, vix incolumes peruenere Bapalmam. Vndecim tantum ex eis cecidiſſe feruntur, atque unus Equitum Præfectus: alij pauci ducti captiui.

Rex obſiſtit Hiſpanicis Copiis explorantum venientibus.

FELICIOREM exitum nacti ſunt Ioannes Iacobus Barbiani Comes, & Belgioioſij Dominus, cuius aliàs meminimus; & Emmanuel de Vegâ Hiſpanæ Legionis Tribunus: qui non multis ſecum adductis, ideoque ab Hoſte non obſeruati, tam prope Caſtra ſe inſinuarunt, ut commodè potuerint cuncta explorare, atque ad Albertum referre. Rex verò ad exercitum regreſſus, cum certâ opinione, hoſtiles ſuppetias quamprimùm adfuturas; urgeri opera iuſſit tantâ celeritate, ut pridie nonas Septembris parum abeſſet, quin lunata munimenta caperentur. Sed multò grauius eâdem die detrimentum paſſi ſunt Hiſpani. Namque tentantibus Gallis ex murorum parte, ac munitione,

Lib.4.& 8.

Pars eorum feliciter explorat.

Portocarrerus r...hitens Gallis occiditur.

quam occuparant, in Vrbem se deijcere, dum Portocarrerus cum alijs ad id prohibendum accurrit, ictu sclopeti in sinistro latere percussus, atque ad cor irrumpente plumbeo globo, statim exanimatus est. Cuius mors & funestissima Defensoribus fuit, spe propè omni retinendæ Vrbis unà cum eo amissâ: & ipsis Hostibus ob admirationem virtutis miseranda. In Templo Ambiani maximo, non sine magnifico elogio tumulatus. At reliqui non eo casu consternati, sed ultionis cupidine acriores, Gallorum impetum strenuè sustinuerunt.

...loco præfecti ...mbiano Mó...tius.

INDE ad nouum Vrbis Gubernatorem eligendum Præfecti Militum conuenere. Et quamquam Alphonsus Ribera, qui Mendozzæ copijs præerat, Hispanorum fretus suffragijs, id muneris affectaret; omnium tamen consensu Hieronymus Carafa, Montis Nigri Marchio, toties hîc memoratus, Vrbi præfectus est: Vir non modò claritudine stirpis in Italiâ nobilissimæ, sed suarum quòque virtutum luce spectabilis: & prærogatiuâ ætatis, bellicæque experientiæ, & ob munus militiæ, quod gerebat à Gubernatore secundum, sine cuiusquam iniuriâ cæteris anteferendus. Hic non tam locum obtinens, quàm animi magnitudinem, ac diligentiam repræsentans extincti Portocarreri, iussit Riberam, & Durangum lunata munimenta tutari. Ipse autem cum Friderico Paciotto intermedium aggerem defendendum suscepit: quem ut aggrederentur, duos pariter aggeres ducebant Bironius cum Anglis, Sanlucius cum Nauarris. Dumque his operibus à Militibus cuiuscunque conditionis insudatur; sexto Idus Septembris Sanlucius labores urgens, atque accelerans, improuiso ictu mosqueti lethaliter in capite læsus, ad Castra mortuus refertur. Ingens exercitum, ac præcipuè Regem, ex eius morte sensus doloris affecit: quòd erat cùm virtute, prudentiâque bellicâ insignis, tum bonarum Artium laude conspicuus, & vigore ingenij, suauitate morum, facundiæ lepore, omnibus carus. Ita mors, quæ conditiones Mortalium, & gradus æquis ponderat lancibus; tùm quòque grauem æquauit ab utrâque pugnantium parte iacturam.

Sanlucii cædes Gallis luctuosa.

INTEREA dum Hispanæ vires Ambianensi soluendâ obsidione magnam partem occupantur in Galliâ; Belgij Fœderatæ Prouinciæ, earumque solers Ductor Mauritius, non sibi cessandum in tam dexterâ temporis opportunitate censuerunt, Sapientibus quippè Ducibus idem, quod pilæ lusoribus, usu venit: ut multùm in arte peccare dicendi sint, cùm occasionem, quasi pilam venientem in manus, prehendere negligunt, ac scitè versare. Igitur Augusto mense ineunte Mauritius Exercitum coë-

git

1597. git Peditum decies mille, Equitum duorum millium, & quingentorum; vim quòque bombardarum, & bellici apparatûs quidquid ad destinata opus esset. Eas Copias deduxit in Geldriam: atque in Schenchij Arce substitit. Ibi cum aliquandiu moraretur, varia fuit hominum suspicio, quò demum esset arma conuersurus. Plerique tamen, quod verisimillimum erat, coniectabant, Bergam ad Rhenum eundum. Magni namque momenti eius expugnatio foret, ad Rheni aditum Catholicis armis intercludendum; si quando subsidium ferrent in Frisiam, regiæ ditioni tuendæ, quam Fridericus Comes Thserembergius regebat. Eam ob rem Frater eius Hermannus, qui Geldriæ præerat, satis munierat Vrbem, octingentis Præsidio immissis è suâ Legione Germanis. Neque tormenta bellica deerant: & reliquum instrumentum abunde præparatum. Quinque præterea naues iustæ magnitudinis tenebantur in portu. At Mauritius Hoenloio Comite præmisso, qui Castris locum circa Rhenobergam optaret; sexto demum Idus Augusti eò perduxit Exercitum.

Mauritius parat inuadere Rhenobergam.

Rynsberga.

Hollat.

Archidvx eâ tempestate suppetias Ambianum venire cogitans, anceps animi fuit, utri locorum potiùs opitularetur. Suadebant aliqui, ut Bergam accurreret, eumque tam opportunum Rheni aditum conseruaret: quo amisso, actum iam videbatur de reliquâ ditione regiâ Transrhenanâ. Ipse tamen acerrimo iudicio suo librans utriusque loci momenta, Ambianensem prætulit expeditionem. Sic enim inducebat animum: Ambianum retinendo, solutâque obsidione Gallorum, tantum sibi existimationis accessurum ad eam, quam prælia superiora pepererant: ut facile futurum postmodum esset, quotquot in Belgio perdidisset, loca recuperare. Id quòque menti obuersabatur (quod à magnanimis Ducibus accuratè caueri solet) si moueret contra Mauritium, Hostium sese artibus obsecundare: qui ut Ambiano auerterent Hispanum Exercitum, Hollandica impulerant arma Rhenobergam. Hosticis verò consilijs obuiàm ire, in parte victoriæ censetur. Liberum itaque Mauritio fuit exercitûs aduersi securo, & Præsidijs milite diminutis, instituta feliciter prosequi.

Archidux eius defensioni præhabet Ambiano subuenire.

Vix in conspectum Bergensis agri peruenerat; cùm Bentignius, qui paucis instructus Præsidiarijs vicinum Pagum Alpam custodiebat, eum se tueri non posse ratus, Rhenobergam confùgit. At qui Germanis præerat in eodem Pago, Centurio Snaterus eruptionem in Hostes fieri iussit. Sed cùm hi longè superiores essent, nullo negotio conatos obsistere propulsarunt, lo-

Campana. Gaspar Ens. Grotius. Botereius. Pandart. Haræus. Thuanus l. 119.

Mauritiani Pago, & Insula potiuntur.

1597. *Camerus c. 21. Coloma lib. 11. Reidanus. Bentiuolus.*

cumque ceperunt. Subſequutæ paulatim ſunt reliquæ Copiæ; quarum pars magna ex Anglis: & cum Friſijs Guillelmus Naſſauius acceſſit. Hi omnes paruam Inſulam Bergæ proximam occuparunt. Medium Rheni alueum illa tenet, inferiori Oppidi parti aduerſa. Hæc verò pars longè munitior erat aduersùs oppugnantes. Namque & Arx ibi ſurgebat, & præcelſa lapidea Turris, è quâ duo bellica tormenta, & frequentium Vigilum ſclopeta adiunctam campi planitiem infeſtabant. Lunatum quòque munimentum ante foſſam extructum. Superior contrà pars Oppidi fauere magis conatibus Hoſtium videbatur: tum quòd aqua foſſæ humilior erat: tum quia terra copioſior, ad erigendos aggeres, ad cuniculos ſuffodiendos.

Rhenobergæ positura.

Rinellino.

MAVRITIVS ab omni latere obſidionem iuſſit adornari. Ad ſuperiorem partem longus circùm agger deductus, ac munimentis ſeptemdecim roboratus; quorum unumquodque uno Militum ſigno cuſtoditum, ac binis inſtructum erat bombardis. Ad dexteram Hoenloius, & Solmenſis cum Scotis Caſtra locauerant. Ad ſiniſtram Mauritius ipſe cum Friſijs. In Inſulâ bombardas aliquot diſpoſuerant ex octoginta, quas vexerant. Obſeſſi terreſtri, naualique pugnâ ſe peti cernebant: quandò delatam fluuio proſpectabant Claſſem ingentem. Nè igitur quinque ſuæ naues in poteſtatem Hoſtium venirent; ſubductis bombardis, eas armamentis omnibus ſpoliarunt, ac multis perfoſſas partibus aquis hauriendas reliquerunt. Claſſis paulò pòſt ad Inſulam aduerſo flumine peruenit; fruſtra in eam tormenta diſplodentibus, atque aditum præcludere conantibus Præſidiarijs. Appulſi Hoſtes duos è nauibus colligatis pontes fabricarunt: eoſque ab Inſulâ utrinque ad alteram fluuij ripam applicuerunt: ut facilis Militibus eſſet ultra, citraque flumen tranſitus. Tùm in Oppidum exonerare bombardas cepere ab omni parte: ac præſertim turrem quatere paulò antè memoratam, ex quâ multum detrimenti patiebantur Obſeſſores. Imò ipſomet obſidionis initio, cùm Ludouicus Naſſauius minùs quàm par eſſet, cautè Oppidum obequitaret; excuſſâ inde tormento pilâ perſtrictus in crure fuit, ac vulneratus, à quo tamen vulnere breui conualuit. Magnum quòque ſubijſſe diſcrimen fertur ipſe Mauritius. Diſploſus quippe ex eiuſdem Turris bombardâ ferreus globus, eius cubantis, ac dormientis tentorium traiecit, Sonſeldijque ipſius Aulici primarij, morumque in iuuentute Magiſtri, puluinar afflauit, utrumque tamen innocenter prætervectus. Ita belli pericula, tum frequentia, tum communia ſunt, ut vel magnis impendeant capitibus non unâ victoriâ laureatis.

Caſtrorum hoſtilium diſpoſitio.

Hollandi Oppidũ quatiunt.

Ab Obſeſſis Ludouicus Naſſauius ſauciatur.

Mauritius, & alij periclitantur.

ERV-

1597. *Grotius. Botereius. Thuanus. Campana. Reidanus. Carnerus.*

Ervptionem à Præsidiarijs factam alij Scriptorum negant; alij tam disertè asseuerant, ut subiungant: in eâ Hostium aliquot occisos: & sauciatum, captiuumque abductum unum è Præfectis militaribus Ernesti Nassauij. At Obsessores contra infestam præcipuè turrim tormenta direxerunt, ac tamdiu exonerarunt, donec illius fastigium deturbauere. Multos quòque instruxere sub terrâ cuniculos, ad muros, ac propugnacula euertenda. Postquam verò bombardas omnes ter displosere; deditionem ab Obsessis postularunt. Quibus abnuentibus, siue ut alij scribunt, triduanas poscentibus inducias, vehementior instaurata concussio.

Stratagema, quo lunatū munimentum occupatur.

Interea Guillelmus Nassauius ad lunatum fossæ munimentum occupandum toto animo intentus, hoc artificio voti compos est factus. Militum aliquot præmisit, qui angulum eius imum suffoderent, circumiectamque fossam complerent. Quò verò tuti à Defensorum ictibus essent; tormenta continenter in murorum loricam displodi iussit. Tùm ipse cum alijs irruptionem facere se velle simulans, ubi primùm Hostis eminebat è vallo, eum inde tormentis propulsabat. Quâ specie Obsessis frequenter elusis; qui iam erant parati, Frisij Milites in munimentum se proripiunt, culmen ascendunt, Hoste depulso, locum insident. Turrem etiam uno eodemque impetu cepissent; nisi eam succendere Obsessi maturassent; nullam eam esse præoptantes, quàm Obsessori tantam opportunitatem sese oppugnandi relinquere. Fortè sub eodem munimento antrum erat, quod Rhenobergæ Defensores, in omnem euentum loci ab Hostibus occupandi, nitrato puluere implerant. Casu, an deditâ operâ, incertum, repentè puluis accenditur; viginti ferè Obsessores, qui capto munimento triumphabant, in sublime proripit: & gaudio luctum interserit. Qui verò superfuere discrimini, munitionem illam intrepidè retinentes, aggerem humo congestâ excitarunt, quo se ab Oppidanis tuerentur. At hi cùm iam Hostem in munimento viderent, aggeres mœnibus magis magisque admotos, præparatos ad subruendum cuniculos, instructas acies ad oppugnandum; desperare de rebus suis, atque ad deditionem propendere ceperunt. Accedebat spes omnis Subsidij præcisa. Quamuis enim Geldriâ Oppido, duobus inde millibus passuum distante, cum auxiliaribus Copijs profectus esset Hermannus Thserembergius: Castra tamen Mauritiana tam validè, scitèque munita deprehendit, ut ea perrumpere, aut ullâ parte labefactare, opus inane censuerit. Quare ad paciscendas tandem conditiones ventum est. Hæ fuerunt: *Vt Præsidiarij Mi-*

Fortuita oppugnantiū cædes.

Reidanus.

Rhenoberga deditur Fœderatis.

Milites cum armis omnibus, & fortunis, signisque explicatis migrarent: eâ tamen additâ lege, nè ad tres proximos menses citra Mosam contra Fæderatos Ordines militarent. Oppidanis verò liberum esset, vel abire, vel immorari: ijdemque cum bonis suis consueta priuilegia retinerent. Itaque duodecimo Calendas Septembris octingenti ferè Milites egressi sunt cum Gubernatore Snatero. Eius ignauiæ Milites tribuebant festinatam deditionem: ipse contrà culpam eam reijciebat in Milites tumultuantes. Animaduersum est, eisdem diebus captam à Fœderatis Rhenobergam, quibus fuerat anno superiore Hulstum ab ipsis amissum: sic alternante de more vices, ac damna lucris immiscente belli fortunâ.

1597.

Thuanus.

Baudart.

Huius victoriæ gloria, & utilitas.

In hac expugnatione Mauritius, non solo existimationis incremento, sed ingenti etiam prædâ auctus est: tormentis scilicet æreis quatuor & quadraginta, triginta ferreis: magnâ vi pyrij pulueris, militarique instrumento, quantum satis esset ad Milites supra mille obarmandos. Panni quòque copiam tantam cepere Victores, ut septuaginta millibus aureorum æstimaretur. Ad vestimenta Militum fuerat is congestus: cùm soliti sint Hispani Regis Administri materiem illam pro parte stipendij distribuere, non sinè magno compendio Mercatorum. Quamquam nè in manus Hostium præda integra perueniret; pars magna fuerat in puteos, fossasque demersa, eâque ratione corrupta.

Campana. Carnerus.

Præsidiũ Rhenobergæ accipitur à Geldriensi. Vnde tumultus.

Qvi discesserant Milites, Geldriam perducti sunt. At Geldrienses, quibus vel impositum alere Præsidium graue erat; nouos accipere Milites, occlusis portis, renuerunt. Verùm Præsidiarij aut charitate sociorum eiectorum adducti, aut animo sese magis tam contra Hostes, quàm in Ciues amplificato numero roborandi; inuitis Ciuibus, imò ut aliqui tradunt, etiam Centurionibus suis, portas nouis Copijs patefecere. Ijs autem receptis, crescente cum viribus audaciâ, statim tumultuari ceperunt, ac dudum debita sibi stipendia procaciùs flagitare. Hermannus Comes, qui Geldriæ Prouinciæ Gubernator erat, uti diximus, cum alijs Militum Præfectis eos compescere, & continere in officio conatus est. Sed ut vulgi furor, ac præsertim militaris, nonnisi vi, ac robore maiore comprimitur: Hermannum ipsum rectiora suadentem Oppido exegerunt: Præfectorumque alios expulere pariter, alios in custodiam detruserunt. Et quia deterius exemplum sequi in procliui est: & contagiosa res, vitium, proxima quæque corrumpit: Vacthendonchæ Præsidiarij, non multùm inde remoti, tumultum ob eamdem causam excitarunt. Eijciendo tamen Gilenio Præfecto pepercerunt: quòd ipse cautior in rem suam, illorum Partibus præstò se futurum

Quem imitatur Vachtendonchæ Præsidium.

pro-

1597. promisit. Vbi hæc accepit Mauritius, nouam, quæ se offerebat, lucri occasionem arripere nil moratus; ad Geldrienses seditiosos misit, qui renunciarent: si id Oppidum vellent in manus tradere Fœderatorum, quadruplex eos ipsis stipendium persoluturos. At honoris cura, quæ præ cæteris in animis militaribus dominatur, non siuit eos priorem culpam longè grauiore flagitio cumulare.

Mauritius Geldrienses incassum sollicitat.

INTEREA occupatæ à Fœderatis Rhenobergæ fama peruenit ad aures Ernesti Coloniensis Archiepiscopi, & Cæsarei Septemviri; in cuius ditione id Oppidum erat, quamuis Hispanico Præsidio custoditum. Igitur statim Legatos ad Ordines misit, qui rem suam repeterent. Responsum eorum nomine datum ferunt huiusmodi. *Rhenobergam ab Hispanis antea occupatam, tantum sibi, ac Frisiæ suæ attulisse detrimenti: tantique stetisse illam ab eorum manibus vindicare; ut non tam subitò de eâdem missâ faciendâ sit cogitandum. Neque deesse in proximo eius aliquandiu retinendæ recentissimum exemplum: cum videant, Bonnam, & Nouesium eiusdem ditionis Coloniensis Vrbes, ab Hispanis semel occupatas, nondum restitutas. Nè igitur deterioris esse conditionis Archiepis. opus velle Ordines Belgij Fœderatos, quàm infensissimos ipsorum Hostes. Ad agendum de restitutione illâ opportuniora tempora expectanda.* Ita Coloniensi Septem-viro responsum à Fœderatis. Mauritius diebus paucis Rhenobergæ moratus, ad quietis aliquid Militibus indulgendum; refectis utcumque, quà disiecta erant, Oppidi mœnibus, Castrorum munitionibus euersis; præsidio relictis tribus Equitum, sex Peditum signis, Scæphioque præfecto, Meursam versùs mouit. Nos verò ad Ambiani obsidionem reuertamur.

Septem-vir Ernestus de Rhenoberga queritur cum Fœderatis.

Eorum responsio.

POSTRIDIE, quàm nouus Gubernator electus fuit Montenigrius Marchio, cuniculum effodientes Galli, alium cuniculum Hostium offenderunt; eoque potiti sunt. Quem, ut magni ad defensionem momenti, statim recipere conatu summo studuit Gubernator. At quod apertâ vi non potuit, artificioso inuento extortum est. Magnanimus enim eiusdem Miles (Cæsar Benettus appellabatur) ad interioris cuniculi fauces clypeum coniecit validum ad ictus mosqueti retundendos; eumque multis arenæ aceruis aggestis constipauit. Tùm adiuuantibus socijs murum erexit altitudinem cuniculi æquantem. Paruum in eo foramen relictum erat; ex quo sclopeta continenter displodebant. Indè madefactis paleis ignem admouentes, eumque ingenti folle ventilantes, tantum fumi excitarunt, ut Hostem cuniculum deserere tandem coëgerint. Ob frequentes tamen cuniculos, quos ab Hostibus præparatos passim deprehendebant,

Cauar mine.

A proua di moschetto.

Stratagema, quo Ambiani D.fensores cuniculum ab Hoste recuperât.

Ob-

Obſeſſi vehementer erant animis conſternati: ut qui prope mœnia tutò conſiſtendi ſpatium vix reperirent: iamque res ſuas inclinari magis magisque in dies animaduertebant. 1597.

At Rex Henricus auditâ Portocarreri Gubernatoris morte, ſperabat de Succeſſore multos Competitores inter ſe (ut fieri ſolet) non facilè conuenturos: atque in eis contentionibus opportunitatem ſibi maximam fore, Obſeſſos inter ſe quòque pugnantes opprimendi. Iuſſit itaque triginta bombardis mœnia, turres, propugnacula concuti; atque impreſſionem in Hoſtes validiſſimam fieri. Et iam duabus turribus portam cuſtodientibus ad terram ſtratis, & magnâ mœnium parte dirutâ, in Vrbem Galli irrumpebant; cùm præter opinionem obiectum aggerem inuenerunt ex humo, ramalibus, & lanæ cumulis coagmentatum; quo ſe Obſeſſi multos dies tutati ſunt. Nè qua verò Ambiani recuperandi via intentata relinqueretur; decimo octauo Calendas Octobris Bironius Regis nomine deditionem ab Gubernatore poſtulauit; cum diceret: *Satis eum diu feciſſe muneri ſuo: neceſſitati penè poſtremæ iam parendum: quod vitio verti nemini poſſet*. Cùmque ab generoſo Principe nil eſſet impetratum; Rex magis irritatus repulsâ, iuſſit extemplo, tribus tormentis quaſſari murum exteriori munimento contiguum, portamque tegentem, quem aurem appellant: eodemque tempore nouem alijs turrem portæ impoſitam concuti: ut his defenſionibus portâ nudatâ, poſſent Galli aſſiduis in eam ictibus directis vetare, nè Subſidium inde ad propugnaculum exterius egrederetur.

Galli in oppugnatione progrediuntur.

Deditionem poſcunt, ſed fruſtra.

Orecchione.

Rivellino.

Hoc periculum proſpiciens Monte-nigrius, eò ſtatim præmiſit cum centuriâ Militum Franciſcum ab Arcu. Vix hi fuerant ingreſſi; cùm è ſubiecto cuniculo erumpens flamma munimenti aurem illam ſuccuſſit, ac ſtrauit. Tùm in detectam portam triginta bombardarum frequentata concuſſio tantum ruinæ ſparſit, & coaceruauit: ut porta ipſa ſuis ſe laceris partibus obſtruxerit. Quo proſpero euentu alacriores Galli duobus alijs cuniculis, eidem munimento ſubiacentibus, ignem admouerunt. Eorum alter in angulo eius medio, extimoque ingentem duxit hiatum: alter propugnaculi partem portæ aduerſam ita diſiecit, ac diruit, ut per rudera ſolo æquata propè pateret via vel ipſis curribus ad aſcendendum. Igitur hinc ſubitò Galli, illinc Angli, quâ ſibi duplicem aditum ſtrauerunt, ad oppugnandum certatim irrumpunt. Arcus cum ſocijs partim Hiſpanis, partim Vallonibus eò reſiſtit animoſiùs, quòd omnem Subſidij ſpem ſibi præcluſam videt. Vltimum quippe malorum, deſperatio, id habere videtur boni, quòd metum omnem profligat.

Maior Gallorum impreſſio.

Gu-

1597. *Trinciera della cortina.*

Gubernator in tanto discrimine circumuentos aspiciens suos, cum plerisque Defensorum ex loricâ mœnium mosquetis, sclopetisque in Hostem continenter displosis, illos iuuare nitebatur, quandò aliâ ratione non poterat. Conflictus atrox, atque utrinque cruentus obstinatè perdurauit ab secundâ pòst meridiem horâ ad primam noctis; cæsis è Defensoribus multis, sed ex Oppugnatoribus longè pluribus: tum quòd illi situ superiores erant: tum etiam quia plus eorum intererat vitam tueri, quàm horum eam adimere.

Actis, & diuturna dimicatio.

INTER hæc cùm Obsessi diu, multùmque laborassent ad portæ ruinas, ac rudera submouenda; tam amplum demum aditum patefecerunt, ut ex eo potuerint per subterraneam viam, nondum Hostibus compertam, Subsidium in propugnaculum transmittere. Imò Gubernator ipse cum Riberâ, Durango, alijsque Præfectis Militum eòdem clam commigrauit: & socios fessos, saucios, ad extrema redactos in Vrbem cum Arco reduxit; eorum loco recentibus substitutis Militibus, quibus præfecit Sangrium, & Durangum: Fridericum verò Paciottum ibidem reliquit, ut diligenter inspiceret, si quà posset semirutum propugnaculum refici, & communiri.

IN has perducti tetram angustias erant Ambiani Defensores: cùm postridie huius conflictûs primâ luce Vigil, qui in summâ turre templi maximi excubabat, Archiducis Exercitum aduentantem procul agnouit. Extemplo tam faustus nuncius per Vrbem lætis clamoribus euulgatur. Redeunt animi paulò antè deiecti. E summâ desperatione fit gradus ad certam obsidionis soluendæ spem. Ita nempe constituti naturâ sumus, ut ex altero extremorum facilè migremus in alterum: medium, in quo sita virtus est, non facilè teneamus. At Montenigrius, uti Moderatorem aliorum decebat, non in securam lætitiam effusus inaniter fuit: sed ut venienti fortunæ occurreret, eique obsecundaret; experienti animo prouidens, tam vicinos exercitus facilè congressuros; opportunis locis tormenta disponi iussit, ut Gallos ab tergo infestarent: Militesque trecentos paratos esse voluit, ad Hostes ex eâ, quam occuparant, mœnium parte pellendos.

Archiducis cum Copiis aduentus.

Montenigrii prudentia.

Campan. lib. 5. Gaspar Ens lib. 18. Boter. l. 4. Turtura lib. 22. Thuanus l. 118.

IGITVR Archidux iamdudum persuasum habens, Ambianum retinere plurimùm sua, reique Hispanæ interesse; ad eam Vrbem obsidione liberandam, quantumcumque potuerat, Copiarum, pecuniæque contraxerat. Verùm in utroque multum insumendum temporis, multæ difficultates superandæ. Illud quòque non parum ab hac expeditione retrahebat, quòd Belgæ Fœderati occasionem de more captantes, regiam ditionem mul-

tis partibus inuadebant, atque in Frisiâ præsertim, Brabantiâque maioribus quotidie progressibus augebantur. Vicit tamen omnia susceptæ ponderis tanti prouincia: siue quòd ita placitum fuerit Philippo Regi, seu quòd ipse Albertus ad ea tutanda propensior esset, quæ suis fuissent auspicijs comparata: an etiam aliquâ ductus ambitione tantum Regem, quantus erat Henricus, totque bellicis laureis insignem, bello experiundi, & si Deus daret, ex illâ obsidione cum omni militante Galliâ repellendi?

Causæ cur maluerit Albertus Ambiano succurrere.

1597. Carner. l. 12. c. 18. 19. 20. Coloma lib. 10. Cather. l. 15. Bentiu. l. 4. Bussieres l. 23.

HAC ergo spe animatus, ineunte Septembri Duaco cum Exercitu, magnoque ad prælium apparatu digressus, Atrebatum venit. Inde Auennam Comitis, quatuor leucis Atrebato, unâ Dorlano distantem, Castra mouit. Id Oppidum Exercitui lustrando elegit. Recensebantur in eo viginti Peditum, quatuor Equitum millia. Constabat Peditatus Hispanis quater mille, Italis ter mille, sex Germanorum millibus, septem è Vallonibus, Burgundionibus, Hibernis. Equitatus mille quingentos Belgas Cataphractos continebat: aliosque bis mille quingentos Hastatos, Loricatos, Sclopetarios, è Nationibus diuersis. Supremus Castrorum Præfectus erat, post Rosnæum extinctum, Petrus Ernestus Mansfeldius iam octogenarius, tot expe ditionum Dux, ac tam bene de re Belgicâ meritus. Cataphractis præerat Solræ Comes, magnæ existimationis in Belgio Princeps: Equitatui reliquo Franciscus Mendozza Classis Aragonicæ Præfectus; vulgò Almirantem vocant.

Numerus Copiarum, cum quibus profectus.

Duay. Arras. Auene del Conte. Far piazza d'arme. Huomini d'arme. Lancie. Corazze. Archibugieri. Maestro di Campo Generale. Di Sora.

IBIDEM de totâ gerendæ rei ratione Senatum bellicum habuit Albertus. In eo primùm auditi sunt, qui ad hostilem exercitum explorandum præmissi fuerant; partesque suas dextrè peregerant Belgioiosus, & Vega. Tùm illud in disquisitionem venit: quâ potissimum viâ pergendum esset, ad Subsidium in Vrbem introducendum, vel ad Gallos ab obsidione submouendos. Erant qui dato antea per literas à Portocarrero consilio subscribentes, suaderent: *Vt Somonam fluuium prope Corbeiam trajciendo, parte illâ, quæ spectans Galliam, ab Rege circumsessa non fuerat, exercitus traduceretur. Nam si quid obicu ab Hoste interponeretur; tam leue id futurum aiebant, ut à tantis Copijs superari nullo negotio posset. Vbi verò ingenti Subsidio fuisset Ambianum valde corroboratum; Regios conatus in irritum, appetente præsertim hyeme, casuros. Neque tùm ullam necessitatem iusto prælio cum Hoste congrediendi, exercitum in discrimen obijcere coacturam.*

Consultatio de ratione subueniendi.

Consiglio di guerra. Somma. Corbia. Venir' à giornata.

ALII contrà re diligentiùs perpensâ, iaciebant in medium: *Flumen transmittere, & regionem adire desolatam, ac locis hostilibus circumseptam; quid esse aliud, quàm ultro sese in summum discrimen*

men

1597. *men adducere? Quippe si Rex, qui prouidè fluuij aditus omnes iusserat custodiri, pedem inde referre prohiberet: aut rerum omnium penuriâ pereundum; aut in extrema, ac desperata consilia præcipitandum.* Hæc Principibus exercitûs potior visa sententia persuasit, ut Dorlanensi viâ Copias aduersùs Castra Gallica promouerent: Namque euenturum facilè rebantur, ut Rex contra Hostem tam validum cum viribus ferè omnibus ingruendo, partem aliquam minùs munitam relinqueret, quâ perrumpere Subsidium posset, atque Ambianum intrare. Igitur postridie Idus Septembris Dorlanum proficiscitur Albertus: ibique magnam congerit commeatuum vim, tum ad exercitum alendum, tum etiam, si quis detur aditus, ad inuehendum in Vrbem.

Archidux Dorlanum contendit.

Ordo, quo mouetur Exercitus.

Coloma lib. 10.

Decimo octauo Calendas Octobris, primâ luce Hostem versùs prouectus Exercitus. Carolus Coloma, qui Exercitûs ipsius Austriaci è præcipuis Ductoribus unus erat, in eâ, quam hispanicè, & egregiè scriptam reliquit de bello Belgico, Historiâ, hoc ordine deductas Copias tradit. In exercitûs fronte Equites leuioris armaturæ ducebat supremus eorum Moderator Franciscus Mendozza, Classis Aragoniæ Præfectus; eiusque Locum-tenens Ambrosius Landrianus: Cataphractos verò Philippus de Croy Solræ Comes. Sequebatur Agmen Volans bis mille Militum ex omni Legione, ac Natione, Didaco Pimentello Ductore. Proximus erat Peditatus in tres acies diuisus. Primam agebat Aloysius Villarius ad sex hominum millia, è suâ Legione, ex Italis Alphonso Aualo subiectis, è Vallonibus Buquoij Comitis, è Germanis Eslegrij. Hanc ipsam aciem anteibat Albertus Archidux cum Equitatu sui corporis custode, atque Aulicis omnibus. Secundæ pari numero præerat Aloysius Velascus, in quâ erat eius Hispana legio, & Germanicæ Comitum Sulzij, & Bilij, ac tres aliæ Vallonum. Carolo Colomæ commissa tertia fuit, è suâ Legione Hispanorum mille, ac trecentorum, è Germanis Barbanzonij Domini, Barlotæ Vallonibus, Burgundionibus Varassij Comitis iunioris, Hibernis Guillelmi Estenleij. Qui omnes sena quòque millia explebant. Latus exercitûs dexterum fluuius Somona muniebat: sinistrum carri impedimentis onusti terni pariter longo ordine dispositi, bombardis mediocribus interiectis. Alijs carris impositi pontones, seu cymbæ vehebantur, ad pontem construendum, quo flumen traijceretur, ferreturque Ambiano subsidium ex parte Galliæ minùs custoditâ. Controuersum fuit, an in quâuis acie dexterum cornu (qui locus honorificentior) tenerent Hispani Pedites: an alternis aliæ quòque Nationes. Visum Archiduci æquius, ut eum locum obtinerent perpetuò Hispani,

Almirante.

Huomini d'arme.

Terzo.

Battaglioni.

Guardia.

Bagaglio.

 spani,

ſpani, tum ob notam ipſorum virtutem, ac diſciplinam militarem; tum ad vitandam in Ordinibus quotidie mutandis confuſionem. Atque ita conſtitutum in poſterum. 1597.

Rex Henricus interea Ducum Niuernenſis, ac Mompenſerij cum ſuis Copijs acceſſu, adeo Exercitum auxerat; ut Peditum recenſeret octodecim, aut viginti millia, Equitum ſupra octo millia. Circumiectam Corbeiæ, & Piquinio regionem validis communierat Præſidijs, ut traiectum fluminis impediret. Cùmque iam propè Archiducem adeſſe cognouiſſet; ex Bironij conſilio decreuerat cum omni Equitatu ei obuiàm ire. Quippe tam virtute, quàm numero Equitum longè ſuperiorem ſe intelligens, optimum factu ducebat, eorum occurſu procul arcere Hoſtem ab ſuo Peditatu, quo ſe inferiorem probè norat. Eo verò auxiliari Exercitu repulſo, dubitandum non erat, quin extemplo Ambianum, omni ope deſtitutum, rediret in poteſtatem.

Henricus Rex ſtatuit præliari cum Archiduce.

Dum tamen ad Hoſtem inuadendum ſe Rex accingit, Mænius Dux interuenit. Hic ſuſceptâ deliberatione cognitâ, elatâ voce non dubitauit Henrico pronunciare: *Qui tale Regi conſilium dediſſent, eos ignorare Hoſtis conditionem. Aduersùs tantum Exercitum ex Milite veterano ſolum Equitatum in certamen educere, perinde eſſe, atque omnes Copias, viresque Gallicas in certam perniciem dare. Quid enim acturos Pedites tutamento Equitum deſtitutos? Quorſum Caſtra tamdiu, tamque validè communita; ſi potiore Defenſorum parte nudarentur, quo tempore Hoſtis adeſſet, contra quem eſſent munita? Eò confluxiſſe cum ſuo Rege, ac Domino Galliam propè uniuerſam, non ut hoſtiles acies prouocaret in campum: ſed ut Vrbem ſuam Ambianum ab doloſis raptoribus apertâ obſidione, atque oppugnatione recuperaret. Quorſum fortunam belli ubique ancipitem, incertamque, ſed in campeſtri prælio vel maximè, nullâ urgente neceſſitate, tentare: Regnumque totum unius conflictûs alea committere?* Suſtinuit ad hæc audita ſuſceptum impetum Rex; eumdemque Ducem compellans: *Quid ergo agendum* (inquit) *exiſtimas? In eo, quod bene cæpimus, perſiſtendum*: adiecit Mænius. *Caſtra intra ſuos aggeres, ac munitiones in tuto continenda. Aggrediendi curam, Obſeſſoresque loco mouendi Archiduci reſeruandam. At enim* (ſubdidit Rex) *traijciet Hoſtis fluuium, ſubſidiumque inferet in Vrbem. Securo, Rex, animo eſto*: reſpondit Mænius. *Nec fluuium ille tranſmittet, nec perrumpet hos aggeres.* Dum hæc tantâ libertate loquendi, & quaſi auctoritate proferret Mænius: fremebat indignatione Bironius, naturâ præceps, & ad conſilia audaciora procliuior; quæ ſuaſiſſet ipſe, ab alio damnari palàm ægerrimè ferens; cùm præ-

Diſſuadetur à Mænio Duce.

ſertim

1597. sertim Exercitûs imperium accepisset, secundus ab Rege. Huius tamen præsentis reuerentia peruicit, nè quid acerbiùs aut loqueretur, aut ageret. Rex verò Mænij consilium salutarius ducens; eidem curam Exercitûs demandauit. Is continuò mille quingentis Peditibus, quibus præerat Vicus, trans fluuium missis imperauit, ut Templum in eâ ripâ situm, passibus mille & amplius Ambiano distans, statim occuparent, & communirent. Longum præterea tractum riparum à frequentibus Militum cateruis custodiri iussit. Ipse autem Longum-pratum adiuit, ut id aduersùs vicinum Hostem firmaret validiùs. Reliquus Peditatus per varia munimenta distributus: Equitum acies sub aggeribus explicatæ.

Et Rex assentitur, ipsumque præficit Exercitui.

At Archidux ad Cœnobium cognomento Betricurtium sub noctem peruènit: atque in eâ regione cum omni pernoctauit Exercitu: suique aduentûs indices Vrbi, bombardas displodi iussit uniuersas. Montinius, qui cum Gallis Velitibus perpetuò vias percursauerat, in Hostium conspectu, ad sua rediit Castra nocte intempestâ. Certiorem Regem fecit loci ab Hoste occupati: postridie coràm adfuturum monuit: utque suos interea, equos bidui decursu, ac laboribus fessos quiete reficeret, ad stationem recessit. Rex autem, cuius imperatoriæ sollicitudini satis non erat res alienis oculis explorasse, ut suis ipse clariorem hauriret notitiam; cum Equitum maiori parte progressus est. Quibus cum Archiducis Equites venissent obuiàm; acris inter utrosque dimicatio aliquamdiu exarsit, neutrâ tamen parte alteram superante. Ad sua deinde Castra ordine rite seruato cum suis remigrauit Henricus.

Equites utriusq; Exercitus dimicāt.

Die decimo septimo Calendas Octobris, qui proximè sequutus est, elapsâ post meridiem horâ, Hispanici Exercitûs acies primæ Gallis apparuere: quæ cum fluuium duabus supra Ambianum leucis vado transissent, Piquinium ad dexteram prætergressæ, flexoque ad læuam itinere, Longum-pratum rectâ petere videbantur. Quamobrem imbellis turba Lixarum, & Calonum, aliorumque, qui commodam eam sedem obtinebant, inde se præcipiti fugâ proripuere, atque ad Castra conuolarunt. Quod ubi viderunt Pedites Galli, rati Montinium cum suis ab Hoste profligatum, fugere (neque enim nocturnum eius reditum omnes norant) ipsi quòque vehementer exterriti, munimenta deseruere, tam irreuocabili fugâ, ut neque Comes Stabuli, neque Dux Espernonius eos sistere potuerit, quò minùs cum Signiferis, qui fugientibus præibant, effuso cursu contenderent fluuium versùs, eâ viâ, quæ ducit Abbatis-Villam.

Gallicus Peditatus ex errore fugit.

HANC

1597.

Hanc fugam ubi Volans Archiducis Agmen, quod in conspectum iam venerat munimentorum, animaduertit; statim ad arma conclamare, & præcinere victoriam. Imò plerique Militum Præfecti, ac Mendozza, & Solræus præ cæteris, Albertum adeunt: persuadere conantur, ut in eâ trepidatione Hostem inuadat; neque tam commodam vincendi opportunitatem elabi sinat. Verùm Mansfeldius, quantò grauior æuo, rerumque experientior, tantò maturior consilij; alijque pauci bellandi veteres, contrà sentire, ac dicere. *In hostilia munimenta tam validè firmata irrumpere manifestam esse temeritatem. Excitatum in eis tumultum ex aliquâ fortè re natum esse, cui facilè adhibere possint Galli remedium. Si prodiret inde Hostis, & certamen offerret, cum spe felicis exitûs accipiendum. At Hostem intra suas munitiones præparatum, instructumque aggredi velle, nihil esse aliud, quàm Exercitum florentissimum in certum discrimen, ac Belgium uniuersum in luctuosum exitium obijcere.* His adductus, quæ saniora consilia rebatur, Albertus cautè progrediendum censuit, & antequàm ulteriùs moueret, Hostium statum accuratiùs explorandum. Quamquam per uniuersum Exercitum eam increbuisse ferunt opinionem: si tùm Archidux, quo par erat, ardore Gallos inuasisset; facile futurum illi fuisse metu consternatos, & confusione præpeditos fundere, ac delere. Quo facto & summâ cum laude Ambianensem soluisset obsidionem: & consequutus victoriam fuisset cum maximis quibusque comparandam, quas à multo tempore arma Hispana de Gallicis reportassent. Ita plerumque cautior æquo sententia Seniorum, ea fortunæ dona corrumpit, quæ liberaliùs in bello profundi videntur alacrioribus animis Iuniorum.

Archidux ad pugnandum incitatur.

A Mansfeldio cohibetur.

De ea re communis opinio.

Dvces interea Niuernensis, ac Mompenserius Ordinibus Equitum, qui primam tenebant aciem, explicatis, aggerum aspectum obstruxerant; eâdemque solertiâ Tormentarij bombardas sinè intermissione displodebant: ut obstaculum illud, & euolutus ex his fumus impedirent, nè perturbatio Militum ab Hostibus cerneretur. Per idem tempus Bironius effusis habenis ad fugientes Pedites accurrens, monet; falsos eos animi fuisse, qui crederent, Hostes aggredi Castra voluisse: intentoque digito monstrat, adhuc eos procul in medio Campo persistere; neque audere Gallicam virtutem lacessere: atque ab Equitatu præsertim pro Castris exposito, notæque strenuitatis, malè sibi formidare. Sic eos in suum quemque destitutum locum reuocauit.

Gallorum strategema.

Bironius fugam suorum sistit.

Haec inter Montenigrius fugam illam prospiciens ab Vr-

be,

1597. be, & optimam ratus Hostem ab alterâ quòque parte inuadendi occasionem, mediumque inter agmina socialia concludendi; erupit cum ingenti suorum numero; eosque adortus est aggeres, quos Galli extruxerant ad fossam, atque ex aduerso suarum munitionum. Sed Nauarros inuenit in eorum custodiâ constantes, & paulò inferiùs Heluetios in suis pariter excubijs immotos, atque peruigiles. Totus igitur ille dies varijs dimicationibus absumptus est, sapienter eas conseri iubente Rege, ut illis Hostis occupatus, ab ulteriore ad Castra Gallica progressu retardaretur. Ea namque aggrediendi rursus cupido incessit alacriores Hispanici Exercitûs Præfectos, ac per eos ipsum Archiducem. Verùm peritissimi quique rerum bellicarum asserebant: priùs oppugnandum esse tam frequentem, ac strenuum Equitatum pro munimentis dispositum, magnâque tormentorum vi communitum: quem superandi nulla spes erat. Ipsos etiam aggeres, atque interiecta passim propugnacula ostentabant tam valida, tamque eminentia, ut nullæ munitiones à compluribus annis visæ forent robustiores. Ex eis Henricus displodi bombardas continenter mandauit, tanto Hostium detrimento, ut ex loco viciniore, quem ceperant, Castra mouere necesse habuerint, atque in alium recedere, quo tutiùs tegerentur.

Montenigrii eruptio.

Rursus Alberto suadetur pugna, & dissuadetur.

Nox interea intercessit: ibidemque cum Exercitu moratus est Archidux: atque in bellico Senatu decreuit: ut postridie Buquoius cum mille Vallonibus pontem ex nauibus imponere fluuio conaretur: non tamen hunc Exercitus antè transmitteret, quàm occupatum esset Longum-pratum: ut illac pateret aditus regressuro. Quare decimo sexto Calendas, Buquoius cum suis, multisque nauibus supra carros impositis ad flumen accessit. Qui verò in ulteriore ripâ dispositi a Mænio fuerant, atque in Templo se munierant, diu, ac validè eius conatibus obstiterunt. At Fabritius Santomangus cum trecentis Militibus, traiecto scaphis fluuio, Templum illud inuasit, pulsisque Gallis tenuit. Ita demum impositus pons aquis fuit.

Buquoius fluuio pontem imponit.

Archidvx ut Longum-pratum expugnaret, iussit Volans Agmen Militibus augeri: quandò ipsum omnium primum volebat ad oppugnandum irrumpere. Et huius quidem loci occupandi consilium optimum habebatur: tum quòd illac subsidium Ambianum immittere tam certum, quàm tutum erat: tum etiam, quia multis potitus fuisset Albertus nauibus Hostium commeatibus onustis, quæ Abbatis-Villâ venerant ad Exercitum. Sed enim eiusdem consilij vana fuit, quia sera, exequutio. Principio quippe cùm Rex ad aggeres propugnandos omnem

Longi-prati occupatio celeranda.

1597.

omnem ferè vim Militum aduocaſſet, Longi-prati cuſtodia infirmior erat, & facilè ſuperanda. At poſtquam eum locum Mænius non modò frequenti Milite, ſed circumducto quòque aggere corroborauit: ſpem omnem Hoſti eripuit expugnandi.

Progressvs tamen Archiducis Exercitus propius Longum-pratum, continenti diſploſione tormentorum viam ſibi per disiecta obſtacula faciebat. Gallus ex aduerſo ſuas exonerabat bombardas, quarum ſeptem longiores, quæ à colubris denominantur, in tumulo diſpoſuit ad terga primi ſui agminis ſito. Hæ tam certis ictibus feriebant, ut bis iumenta percuſſerint, quæ lecticam Archiducis geſtabant: ideoque coactus is fuerit equum aſcendere. Multum quòque ab illis detrimenti paſſus Hiſpanicus Equitatus. Inter ipſos verò utriuſque Exercitûs Equites crebræ pugnæ commiſſæ. Dumque inter Loricatos, & Sclopetarios res erat, animaduerſum fuit, ſuperiores ferè Gallos eſſe: at ubi procedebant in prælium vel Belgæ, vel Burgundiones Cataphracti, Equites Gallos haſtarum ictibus cedere. Quod ut vitaretur damnum Gallicæ præſertim Nobilitatis; Rex ipſe primos Ordines adiens, imperauit, ut Loricati non coniuncti, conglobatique, ſed ſparſim, atque inter ſe ſpatio interiecto pugnarent. Ita factum, ut haſtarum ictus, cùm ſolidum, denſumque obicem non inuenirent, in vanum plerumque reciderent. Decreuerat etiam Henricus, ſi Longum-pratum aggrederentur Hiſpani, prælium omnino iuſtum cum iiſdem inire. Quare uniuerſum iuſſit Exercitum quadrato agmine procedere: Comitemque Stabuli cuncta ad præliandum diſponere: duo quòque tormenta ita collocari, ut hoſtilium Copiarum latera concuterent. At Albertus ubi ex aduerſo poſitos vidit Exercitus, in veſtigio ſtetit: cùmque à bombardis Hoſtium magis lædi ſe videret, quàm Hoſtes à ſuis, in vicinam ſeceſſit vallem: neque diſcrimen belli per eum diem tentandum exiſtimauit.

Colubrine.

Vaſti conflictus.

Corazze.
Archibugieri.
Huomini d'arme.
File.

Henricus Rex parat ſe ad præliandum.

Giornata campale.

Nocte ſubſequutâ Rex Mænio, Sanpaulioque mandauit: ut cum Exercitu coram Hoſte in procinctu ſtarent: Bironio, ut Longum-pratum tueretur: Vico, Boſerioque, ut cum ſuis Equitibus impedirent, nè Buquoius flumen traijciens, ſubſidium in Vrbem ferret. Albertus verò Principes viros, Militumque Præfectos in Concilium bellicum euocauit. De ſummâ rerum ad eos retulit. Quid conſilij capiendum in tam ancipiti ſtatu, rogauit. Suadebant alij, ut omnino Longum-pratum oppugnaretur. Eo quippe ab tanto Exercitu facilè capto, viam patere ſatis expeditam ad Ambianum ingenti Subſidio firmandum. Alij contrà: *Locum eum,* aſſerebant, *& difficilè ob vicinum*

Archiducis conſultatio de Lógoprato aggrediendo.
Suadetur.

Diſſuadetur.

Exer-

1597. *Exercitum occupari posse, & difficiliùs retineri; cum adeò aggeris magni bombardis obnoxius esset à fronte, atque ab lateribus; ut inde facilè possent cum haud levi iactura & Militum, & existimationis propulsari. Ipsum verò aggerem, ac munimenta tot mensibus extructa, & roborata, tam strenuè pro gloriâ Regis, ac salute regni defensa, invadere plusquàm temerarium esse. Neque diutius ibidem commorari Exercitum posse, nè alimenta deficerent. Nam & Atrebatum, aliaque Artesia loca, unde convehi potuissent, multùm illinc distare: & circumiectam regionem ad quindecim leucas omni tam equorum, quàm hominum pabulo carere. Quod si etiam abundasset, assiduis hostilis Equitatûs percursationibus interclusum iri. Eam in digressu primo fuisse mentem: aut subitò subsidium inferre, si liceret: aut, id si fieri non posse constaret, subitò retrocedere; & magnis commeatibus obsessa Urbi destinatis, ad alendas in reditu Copias uti. Quare nullam in medio interponendam moram: aut Hostem aggrediendum, aut inde migrandum.* Posteriorum sententia visa potior Archiduci, & prudentissimo cuique Exercitûs Principi. At è duobus consilijs in eâ postremò propositis, quia primum nimis periculosum videbatur, alterum amplexi.

Albertus abire statuit.

Mirus ordo in recessu.

IGITVR orto mane, indicta receptio fuit per eadem, quæ facta fuerant veniendo, vestigia. Ordo autem in regressu prudentissimè institutus. Namque agmen, quod ultimum fuerat, conversâ fronte primum erat: & quod steterat in principijs Agmen Volans, Exercitum concludebat. Hoc verò cum Hastatos accepisset in medium, atque ab utroque latere directas haberet Mosquetariorum alas, lunatam in speciem sinuabatur. Quo fiebat, ut qui illud invadere tentarent, statim ingenti mosquetorum procellâ obruerentur: quique ab hac incolumes accederent propiùs, firmissimum offenderent Militum robur, qui ferociter hastas vibrantes, formidabilem facerent impressionem. Quòd si qua etiam turma in alas inveheretur; extemplo cohortes Equitum Melzio, Landrianoque subiectæ auxiliares accurrebant: ac duabus Hastatorum cateruis, quarum latera sclopetarij Equites stipabant, hostilem impetum strenuè sustinebant, donec Mosquetarij novos ictus pararent. Hastati, sinistro humero hastâ incumbente, lento passu gradiebantur: atque ad minimum quemque tympani pulsum, faciem convertebant. Tot videbantur leones, uni vi necessitatis cedentes.

Maniche.

Carabine.

Recessus Hostibus inoffensus.

VBI eorum receptus cognitus est ab Gallis, Regique nunciatus: is, ut insalutatos recedere Hospites minimè pateretur; duas instruxit Equitum acies, ab alijs duabus Sclopetariorum vallatas; quibus Hostium terga insectaretur, ac premeret. Sed

quando tam ſapienter diſpoſitus ordo migrandi animaduerſus eſt; inanem cenſuerunt omnes aggrediendi laborem. Soli Velites aliquid periclitari voluere : ſed malo, damnoque ſuo. Cùmque poteſtatem impetraſſet Montinius eorum Ductor, Hoſtem multis eodem tempore partibus inuadendi; ſtetit Exercitus in veſtigio, tantamque ſclopetorum copiam exonerauit: ut illi terga vertere, in orbem ſe conuoluendo, coacti ſint. Vnàque Sclopetarij Equites ex utroque latere prodeuntes, eoſdem propulſauere ad acies uſque Gallici Exercitûs : quæ ſenſim inſequebantur Hoſtem, non ut ei, ſed nè ſuo nomini detrimentum inferrent. E Gallis Velitibus cæſi quadraginta, plures vulnerati.

His demum obicibus expeditæ, ſuum celeriùs continuarunt iter Archiducis Copiæ. Verùm ad fluuium tranſmittendum cùm perueniſſent; Rex cum omni Equitatu progreſſus eſt, ut videret, an opportunitas loci anſam præberet aliquam hoſtiles Copias perturbandi. Id periculi Albertus & ſapienter proſpexit, & generosè amolitus eſt. Iuſſit enim, ut Volans Agmen repentè frontem Gallis obuerteret, inque mediâ ſubſiſteret viâ: donec traijceret Exercitus uniuerſus: tùm ut ipſum aquam (quæ genuum tenus pertingebat) vado tranſmitteret. Hæc receptionis forma mirabilis, nuſquam interruptis Ordinibus, nullâ interiectâ morâ; tantum apud ipſos Hoſtes merita, & conſecuta eſt commendationis, & gloriæ: ut publicis eorum acclamationibus tùm fuerit celebrata, & memorandum illud præconium ab ore Magni Regis Henrici expreſſerit: *Nuſquam gentium Milites eſſe, qui tam ſcitè ſe gererent. Si Peditatum illum Equitatui ſuo adiunctum haberet: non vereri ſe bello laceſſere Orbem terrarum uniuerſum.* Sic animæ magnæ, quæ materie laudum in ſeſe abundant, magnificas laudationes nè Hoſti quidem negant, aut inuident: & virtus, quamuis infelix, modò conſtans, ijs etiam placet, quibus nocet.

Eius ordo laudatus ab Hoſtibus.

ARCHIDVX cum Exercitu Dorlanum versùs perrexit: deinde Atrebatum ſe recepit. Per literas verò à puero quodam occultè perlatas Montenigrio ſignificauit: ut, quandò ſubſidium in Vrbem inferri nullâ viâ potuiſſet, quàm poſſet optimis conditionibus deditionem faceret: reſiduumque Militem ad fortunatiora reſeruaret. Eumdem ob rem fortiter geſtam commendabat: & præmium pollicebatur. Nec multò pòſt Henricus Rex miſit Ambianum, qui ſuo nomine diceret. *Se quidem ægerrimè compelli ad tam generoſos Bellatores internecione delendos, ob contumaciam Vrbem ſibi ſuam non reddendi. Hortari, ut ſaluti, rebuſque ſuis maturè conſulerent. De ſubſidio iam deſperatum. Conditiones ab ſe*

Ambiani deditio ſuadetur ab Alberto, urgetur ab Henrico.

am-

1597. *amplissimas concessum iri, si statim Urbem dederent*. His acceptis Montenigrius Præfectos Militum euocauit in Concilium. Luem in Vrbe grassantem ob oculos posuit: numerum Defensorum exhaustum: bellicum instrumentum ferè nullum: Hostem in fossâ, ac dirutis munimentis: Subsidium reuocatum: extremam rerum omnium desperationem. Reliquum esse nihil, nisi cum Hoste conditionibus, quantùm liceret, æquis pacisci. Archiducis etiam super eodem literas recitauit. Ab nemine dubitatum, quin extemplo facienda deditio. Quò tamen existimationi publicæ fieret satis; priùs ab Rege petitum, ac facilè impetratum; ut ad Albertum duo mitterentur, qui eâ de re responsum eius referrent. Missi Fridericus Paciottus, atque Andreas Ortitius assensum Principis retulerunt.

Suadetur à Montenigrio.

IN deditionem ergo his tandem conditionibus conuênit. *Ut Portocarreri, aliorumque in obsidione occisorum tumuli nè mouerentur, aut inscriptiones delerentur: liceret tamen Hispanis ad arbitrium cadauera eorum transferre. Ut Milites omnes migrarent cum armis, atque impedimentis, explicatis vexillis, tympanis, tubisque sonantibus, quadrato agmine: cum carris quòque ab Rege commodatis ad ægrotos, ac res domesticas Dorlanum usque transuehendas. Quòd si quis ægrotus, vel saucius in Urbe persisteret; & cum eo benignè ageretur, & quandocumque liberet, sineretur discedere. Ut sumpta in Urbe medicamenta Militibus condonarentur: atque etiam sclopetorum globi bis mille pondo à Ciuibus accepti, & iam absumpti. Ut captiui utrinque sine redemptionis pretio dimitterentur. Ut Ciues nouis haud premerentur oneribus: sed tanquam sui Principis in fide constantes haberentur: cui tamen fidelitatis iusiurandum instaurarent. Quòd si quis Milites sequi vellet, integrum ei esset. Ut sex diebus proximè consequentibus agerentur induciæ: intra quos dies nisi bis mille hominum subsidium acciperent, Urbis facerent deditionem. Interea tres Militum Præfectos, Hispanum, Italum, Vallonem obsides darent.* Harum conditionum exemplum ad Archiducem perlatum, ab eodem ratum habitum fuit.

Ampla conditiones, quibus fit.

SEPTIMO Calendas Octobris, qui dies sacer erat Diuo Firmino Ambianensi Episcopo primo, & Martyri, Vrbisque Patrono, egressi sunt Ambiani Defensores, hoc est mille octingenti Pedites, Equites quadringenti. Quibus omnibus præibat Montis-Nigri Marchio militaribus comptus insignibus, feroci insidens equo, imperatorium baculum manu gerens. Medium eum exceperant honorificè Comes Stabuli, & Bironius, ut ad Regem deducerent. In comitatu habebat è suis Equites centum triginta, Peditumque tantumdem. Non victum excedere Vrbe dice-

1597.

res, sed eam intrare victorem. Adeò non euentus, plerumque fortunæ obnoxius; sed bene gestæ rei conscientia à Viris sapientibus æstimatur. At ubi ad explicatam ingentis prati planitiem peruènit; in quâ Rex cum uniuerso Exercitu in acies disposito eum præstolabatur: extemplo deponit baculum, equo descendit, regium genu exosculatur: altâque voce, ut à multis, qui aderant, auditus fuerit, testatus est: *Reddere se Vrbem in manum Regis bellatoris; quandò Regi suo non placuerat subsidio mittere Præfectos Militiæ bellatores.* Quasi vellet his verbis significare: si Copiæ auxiliares Hispanorum vel viam fluuio ulteriorem institissent: vel opportunitatem pugnandi, quam sors obtulerat perturbatione Gallorum, arripuissent; soluendam omnino ab eis fuisse obsidionem. Responsum ad ea Rex dedit. *Satis ipsi esse debere, & Vrbem propugnasse, ut bellatorem: & eam in legitimi Regis potestatem restituere cum honorificentiâ bellatoris.* Alias quòque significationes humanitatis regiæ tum eidem exhibuit, tum cæteris Militum Præfectis, quos singillatim notos voluit habere de nomine. Omnes denique cum acclamatione uniuersi Exercitûs benignè dimissi, ac Dorlanum tutò perducti.

Catherinus.

Regius in Vrbem ingressus.

INTRAVERE Victores Ambianensem Vrbem, illamque admodum exhaustam Incolis inuenerunt: quòd multi obsidionis tempore pulsi fuerant: plures sponte recesserant: alij contagione absumpti: nec pauci cum Hispanis abiere, veriti nè, quòd horum Partibus studuissent, perpetuò suspecti Gallis essent. Primi omnium ingressi sunt Ambianum Henricus Montmorencyus Comes Stabuli, qui Vrbem Regis nomine in potestatem accepit, & Bironius, & Hercules Roanus Mombazonius Dux. Secundùm hos inuectus est Rex, qui ante omnia voluit, maximum Templum adeundo, religionis suæ specimen dare. Tùm Vrbis mœnia multis partibus diruta refici iussit, ac munimenta vel euersa, vel labefactata redintegrari. Arcem quòque non minùs ad Ciues in fide retinendos, quàm ad arcendos Hostes designari, & quamprimùm extrui mandauit.

Incendium repentinum in Castris Regiis.

POSTRIDIE res euènit, quæ si dies aliquot præcessisset, magnum Gallicis rebus discrimen creasset. Quippe repentè (& quâ ex origine ignotum) tantum in regiâ statione exarsit incendium; ut breui spatio temporis tentoria conflagrarint uniuersa. Nihil tamen damni hominibus intulit, aut impedimentis; utrisque paulò antè submotis. Festos potiùs ignes interpretata sunt festiua, ut semper, Gallorum ingenia, vel in argumentum lætitiæ ob reportatam victoriam, vel in omen felix paulò post sanciendæ inter duos Reges maximos pacis. Quorum alter, hoc

est

1597. est Henricus, non diu moratus est Ambiani, tum ad vitandum adhuc sæuientis periculum luis, tum ad Archiducis vestigia persequenda.

Archidux Monte Hullino potitur.

Antequam Atrebatum se conferret Albertus; Mendozzam misit cum idoneo Equitum, Peditum, ac tormentorum apparatu ad Montem Hullinum expugnandum. Vnum id Oppidum in Agro Caletensi, adhuc erat Gallorum potestati subiectum. Eiusque Præsidiarij Sancti Audomari Oppidi ditionem, aliosque Artesiæ fines crebris excursionibus infestabant. Opinione, ac spe faciliorem expertus est eam expeditionem Mendozza. Quamuis enim locus positione, manuque munitus, propugnari diutius potuisset; Arcis tamen Præfectus uniuersi Exercitûs terrore fortasse consternatus; ubi Hostem vidit aggeribus septum, ac bombardas fulminantes, tertiâ die deditionem maturauit; vehementer in eum excandescente Henrico Rege, qui iam subsidium inferebat.

Lib. 7.

Hic verò postquam Ambiano validiùs muniendo opportuna dedit mandata; eiusque gubernationi præfecit Dominicum Vicum in Cameraci defensione spectatum, Dorlanum aggredi in eo fortunatorum euentuum articulo, militarisque alacritatis ardore decreuit. Sed antea salutandum sibi, per iocum dixit, Archiducem Albertum, qui ab itineris laboribus (an etiam ægritudine animi ob rem improsperè gestam?) languebat Atrebati. Quare magno animo, magnisque viribus eò usque procurrens; aliquot mosqueta displodi contra Vrbis prætorium iussit. Hæ nempe sunt militares salutationes: quibus ibidem commoranti exercitûs parti aliquid terroris incussit. Verùm inde statim digressus, Castra ad Dorlanum posuit eodem plane loco, quo posuerat Fontanus, quando Vrbem cepit. Paucos ibi dies perstitit Rex, crebris velitationibus lacessens Hostem. Et quòd autumnales pluuiæ ingruentes ad Vrbem aggeres duci prohibebant: atque ad obsidionem ponendam pauciores iusto Milites erant, ijque ab recentibus belli laboribus fessi, & quietis indigentes: Archiducisque subsidium adeò vicinum erat, atque in promptu; abstinendum ab eo molimine duxit id temporis: ac per illos fines Copijs distributis, Lutetiam Parisiorum se recepit. Magnis ibi acclamationibus Populi illius innumerabilis exceptus est, resonantibus undique præconijs Henrici verè Magni Regis, & Ducis: qui tam arduam obsidionem tam fortunatum ad exitum perduxisset: Subsidium tanto conatu coactum, diligent âque deductum, tam fortiter propulsasset: Vrbem denique utilitatibus, ac tutamento Galliæ tam opportunam gloriosissimè recepisset.

Rex Henricus excipitur magno plausu Lutetiæ.

AL-

1597.

ALBERTVS verò, qui Dorlanensi oppugnatione auditâ, ingentem Militum numerum eò mittere in subsidium, Mendozæ ductu, destinauerat: ubi rem ad irritum cecidisse accepit; in Flandriam Prouinciam migrauit. Belgæ namque Hispano subiecti, ac præ cæteris Flandri, cùm tam florentem Exercitum in procinctu viderent; nusquam impendendum accommodatiùs censebant, quàm ad expugnandam Ostendam. Itaque & vires suas omnes, & pecuniæ vim ingentem eum ad finem offerebant. Illud quòque cum primis momentum rationis iactabant: magnos progressus, quos in Frisiâ Mauritius faciebat in dies, eo diuerticulo retardatum iri. Cum ergo Brugis Archidux moraretur, ad locum perlustrandum, ac rei gerendæ conditiones explorandas, Principes aliquot Viros cum sex ferè millibus Militum ex omni gente transmisit. Imò alienâ diligentiâ non faciens sibi satis; suis ipsemet oculis inspectare semel, atque iterum voluit uniuersa. Atque in eam demum sententiam cum prudentioribus iuit: non esse tantas vires absumendas in opere minimè successuro. Oppidum quippe naturâ atque arte validè munitum erat: neque inferendum mari subsidium poterat impediri. Naues enim in portu demergere, quod ei prohibendo cogitauerant, non licere constabat. Imò paulò antè missum ab Hollandis Militum, aliarumque rerum subsidium, nihil obsistente Hoste vicino, ingressum erat. Hispanici contrà exercitûs ferè ducenti in solâ re explorandâ perierunt. Quare iam exeunte Nouembri nil sibi tentandum aliud Archidux existimauit. Duo tantùm in eis finibus construi munimenta iussit, quæ Hostium excursiones coërcerent: atque inde Bruxellas reuersus est.

Archidux Ostendi aggredi omittēs, Bruxellas redit.

DE

DE
BELLO BELGICO
LIBRI DECIMI
SVMMA.

MEurſam inuadit Mauritius. Arcis Mutilianę conditor Italus. Meurſæ obſidio. Poſt breuem defenſionem unà cum Arce deditur. Grollam quòque Mauritius obſidet. Ab ignibus iactatis damna. Eâ demum potitur. Breſortij deſcriptio. Ingenioſa pontium fabrica. Breſortium oppugnatur ab eodem, & capitur: Arx deditur. Repentinum in Oppido incendium. Mauritius breui tempore potitur Enſchedâ, Otmarſiâ, Oldenſaliâ, Lingâ. Huius poſitura, munitioque. Eius ditio victori donata. Clemens Octauus paci ſtudet inter Hiſpanos, & Gallos. Ideo Mediceum Cardinalem legat in Galliam: hic in Hiſpaniam mittit Miniſtrum Generalem Franciſcanorum. Rex Hiſpanus, & Archidux Albertus in pacem propenſi. Veruini tractationem ineunt Adminiſtri Pontificis, & Regum Delegati. Conditiones pacis agitantur. Diſſuadetur hæc Henrico ab Anglis, & Hollandis. Facta tamen (quamuis vulgata ſeriùs) communi plauſu. Hiſpanus Rex Iſabellam Filiam Coniugem deſtinat Alberto Archiduci cum Belgio in dotem: & quibus de cauſis. In Regio Senatu diſceptatur eâ de re in utramque partem à Comite Fontano, & Caſtelli Roderici

Mar-

Marchione. Vtriusque Concio. Coniugium decernitur. Eius conditiones. Regis literæ ad Belgas suos. Horum responsio. Albertus in suo Belgico Senatu deponit purpuram, & cum iuramentis mutuis init principatum. Obtrectant Fœderati. Tumultuantur Præsidiarij Arcis Antuerpiæ, & Liræ: sed mox sedantur. Alberti loco præficitur Belgis Andreas Cardinalis Austriacus. Cum gaudio excipitur. Narratio generosæ, ac piæ mortis Hispani Regis Philippi Secundi. Morbi acerbitas, ac diuturnitas. In doloribus, atque obitu prænunciato magnanimitas. Triduana confessio. Frequentes, & varij pietatis actus. Insignis præparatio ad sacram unctionem extremam. Salutaria Filijs monita. Moritur, dum pro eo canitur Sacrum. Laudatur à Pontifice. Eius virtutes, felicitas, infortunia.

DE

DE
BELLO BELGICO
LIBER DECIMVS.

1597. Murs. Di Cleues.

Mauritius Meursã inuadit.

MAVRITIVS Rhenobergâ potitus, ut antè diximus, Meursam arma conuertit. Est autem hoc Oppidum in Cliuiensi ditione: sed ante annos undecim ab Hispanis captum, adhuc retinebatur, Senatûs Cliuiensis permissu. Priùs quàm eò Mauritius perueniret, quosdam misit è suis ad Arcem Mutilianam euertendam. Camillus Sacchinus Italus eam condidit (unde & vulgò Camilli Arx appellata) quo tempore ab Alexandro Farnesio Belgium gubernante Meursæ præfectus fuit. Cuius rei argumento est inscriptio in quâdam eius parte inuenta, quæ ut ab alijs exscribitur, rudis, ac barbara ita se habet. *Ego Camillus Sacchinus hanc inexpugnabilem Arcem cum virtute animi, & propriâ pecuniâ fundaui Anno salutis M.D.LXXXVII. militans sub Alexandro Farnesio in seruitio Regis Catholici.* Camillum hunc Meursam diutius rexisse tradunt: eamque Arcem excitasse: Oppidumque validè admodum muniisse: quasi eam sibi sedem perpetuam, & Meursensem omnem Comitatum affectaret. Hic nempe diuturnæ administrationis fructus est, ut plerumque degeneret in dominatum. Extincto Parmensi Duce, cùm Italicum nomen in Belgio de pristino splendore multum remittere visum est; euocatus in Galliam Camillus, ibi suo fato perijt. In Meursensi verò gubernatione successit Andreas Miranda Hispanus, qui Arnoldum Bucopium Mutilianæ præfecit. Is ubi Mauritium Rhenobergæ victorem audiuit contra se aduentare, exiguo diffisus loci Præsidio, Arcem deseruit, relictis præ festinatione commeatibus, ac duobus, tribus-ve tormentis. Eamdem Mauritius æquari solo mandauit. Antè verò, quàm propius Meursam accederet; Mirandam per literas monitum voluit: *Solam se Arcem petere. Illam quantâ vi posset maximâ tueretur. Oppidum tanquam neutri Partium addictum, & sacri sub Imperij tutelâ, lædere ipse quòque abstineret. Sin damni quid illud pateretur, in ipsius caput recasurum.* Ad hæc Miranda respondit. *Oppidum suæ fidei creditum ab suo Rege. Ad idem regio nomini conseruandum omnia sese in oppugnantium exi-*

Hugo Grotius histor. lib.6. Haræus anno 1597. Thuan. lib. 119. Reidanus l. 14. Gaspar Ens lib.18. Hist. Guill. Baudart. Polemogr. Par.2.

Arcis Mutilianæ Conditor.

Meursæ Gubernator.

Miranda Meursæ Gubernator.

Baudart. Colonia. Reidanus.

Mauritius Meursæ Arcê postulat frustra.

tium moliturum. Quòd si è re foret Regis sui illud delere, licèt proprium esset, ei se flammas iniecturum. Tam animoso responso Mauritius magis ad pugnam irritatus, quinto Calendas Septembris Castra ad Meursam ponit. Numerabantur in eis signa Peditum sexaginta, una & viginti Equitum turmæ. Bipartitò distributis Copiis Oppidum cinxit. Ad portam, quam Templariam dicunt, ipse stabat Mauritius cum Guillelmo Nassauio, Solmensi Comite, & Peditum signis nouem supra quadraginta, atque uniuerso Equitatu: ad portam verò noui Oppidi Clutingius, & Duuenuordius cum reliquo Peditatu.

1597.

Obsidetur Meursa.

Gasper Ens. Grotius. Haraus.

ADVENTANTI primùm Hosti, eruptione factâ, obuiàm iuit præsidiarius Miles: manusque cum eo strenuè conseruit: ac Templum quoddam, extra mœnia situm, ad vesperam usque tutatus est ab Oppugnantibus Frisijs. At in horum subsidium superuenientibus Scotis, repulsi tandem in Oppidum fuere Præsidiarij. Inde tamen cùm tormenta displodere non cessarent, eâdem primâ obsidionis die aliquot ex Hostibus, atque inter eos Centurionem Scotorum Vaddelium strauerunt. Interea cuniculos effodi Mauritius iussit, qui posterâ nocte perducti ad fossam Oppidi sunt. Hæc cùm neque lata admodum esset, neque profunda, magnam victoriæ spem Obsessoribus dabat. Iam verò ad oppugnationem admouendam, in procinctu Mauritius esse voluit Frisiorum signa quinque prope lapideam, ut appellant, portam: quatuor Scotorum, & duo Germanorum ad Templariam: Anglorum quatuor in medio utriusque interuallo. Duodecim quòque bombardas disponi mandauit, quibus acris Calendis Septembris concussio fieret. Quia tamen ingruentes perpetuò pluuiæ cœpta opera perfici prohibebant; unâ, atque alterâ die à verberatione cessatum. Cuius cessationis impatiens Mauritius, iunceos pontones parari iubet, quibus Oppidi fossa transmittatur: & promptos esse Milites, ut muros inuadant, cùm primùm Defensoribus bombardarum vi spolientur.

Eruptio propulsata.

HAEC dum Hostis molitur, Oppidi Gubernator Miranda pyrio puluere se destitutum videns, Tympanotribam ad Mauritium mittit, qui suo nomine triduum induciarum petat, & Obsides mutuò dandos, ut interea de deditione inter se conueniant. Induciæ negatæ: concessi Obsides, per quos constituta deditio. Tertio Nonas Septembris egressi sunt Oppido Milites octingenti quadraginta, consuetis, ac sæpiùs memoratis sese dedentium conditionibus; & quadraginta curribus ad res conuehendas à Victore commodatis. Campestre quòque tormentum unum secum pertrahere permissum: ita flagitante Mirandâ, &

Tamburino.

Meursa cum Arce Mauritio deditur.

per

1597. per iocum submonente Mauritio, nè illo magnam aliquam Vrbem expugnarent. In Arce verò repertæ bombardæ undecim, earumque sex maiores: pulueris autem nitrati, aut commeatuum nihil. Præfectus Oppido simul, atque Arci Gistellius, Solmensis Comitis Locum-tenens, cum duobus Peditum signis præsidio relictis.

MAVRITIVS intra mensem unum tribus Oppidis feliciter potitus, & quatuor supra quinquaginta tormentis, quorum undecim maiora muris quatiendis idonea, & nauibus plurimis, alioque bellico apparatu; iam Rhenum patefecerat omnem Fœderatis suis. Paucis itaque diebus Meursæ commoratus, rebusque ibi dispositis, ad reliquam regionem subigendam animum, operamque conuertit. Vt Militem ad hyberna reduceret, & anni tempestas hyemi proxima, & pluuiæ frequentes hortabantur. Verùm ab recentibus victorijs alacritas maior tam Ducis, quàm Militum; ac tempus illud, quo fortunam adeo sibi experiebatur addictam, atque arridentem; ut bene cœpta prosequeretur, euicere. Igitur Copijs iterum lustratis, sex millia Peditum, Equites mille & quingentos numerauit. Nauticam præterea turbam habebat ingentem, quæ marinis obdurata periculis, neque bellica reformidabat; & pertrahendis, disponendisque tormentis valdè erat accommodata.

Mauritius Grollam obsidet.

Gaspar Ens. Grotius. Baudart. Hareus. Thuanus. Coloma. Reidanus.

HOC instructus Exercitu Mauritius sexto Idus Septembris per impositum pontem prope Orsoyam Rhenum transmisit. Postridie Luppiâ quòque flumine traiecto, paruis usus itineribus, ad Grollam Castra tertio Idus posuit. Præerat Oppido Ioannes Stirumbius Limburgensis Comes cum Peditibus octingentis. Sub ipsum autem aduentum Hostium, tres Equitum turmæ subsidiariæ eòdem inductæ. Neque id incommodum Obsessori: cui magis expediebat, hostilem Equitatum includi mœnibus, quàm ad infestanda itinera circumire. Cauendum tamen ab eiusdem eruptionibus; & validiùs Castra munienda. Stirumbius, ubi primùm ex hybernis moueri Fœderatorum Copias accepit; munitiones Oppidi roborauit: sesèque, ac suos ad belli discrimina diligenter instruxit. Quare difficilis admodum, ac diuturna futura obsidio videbatur.

Castrorum munitio.

NIHIL tamen propterea retardatus Mauritius, duo principio munimenta erigi iubet: alterum ad Occidentem Solem, ad Meridiem alterum; eaque inter se aggere perpetuo ducto continuari. Quæ omnia unius spatio noctis peracta; octingentis Militibus in labores, bis mille in eorum præsidium peruigilantibus. Interdiu verò, quæ properata per tenebras fuerant, diligentiùs

Tt 2 ab-

absoluta. Nocte proximâ alia duo propugnacula ad Ortum Solis, atque ad Septentriones extructa: eademque firmata per diem, & subterraneo meatu intercedente coniuncta. Sic ab omni latere Oppido circumuallato, propiores aliæ munitiones, Militum quingentorum capaces, coercendis eruptionibus fabricatæ. Vt verò Mauritius alacritati suorum etiam spe præsentis lucri stimulos adderet; florenos centum pollicitus est ijs, qui primi aggere ad fossam peruenirent. Id præmij Frisij præripuere. Cùmque certatim alij omnes præire socijs adniterentur; eo sagaci consilio consequutus est Princeps, ut cæteri quòque opera celerarent. Ijs etiam qui cuniculos effodiebant, dena florenorum millia promissa; superadditâ primo, secundo, tertio, qui præ reliquis opus absoluerent, certâ mercede. Quare contentione maximâ septem locis acti. Præmium quippe Militibus inter pugnandum datum, quædam videtur pars anticipata victoriæ.

1597.

Mercede Milites animat Mauritius.

Dvm inchoarentur cuniculi, Mauritius ad Oppidum Tubicinem misit, qui deditionem postularet. Respondère non sine indignatione Obsessi: *Praeproperam eam esse petitionem. Tunc opportuniorem futuram, cum supra mænia Hostis esset*. Repulsâ ferocior Miles in opera incumbit. Mauritius fossæ aquas deriuari aliò iubet, fossamque compleri. Ignitis quòque globis, seu pyrobolis, quorum insignis opifex aderat Ioannes Bouerius, pugnatum in Oppidi ædificia. Horum ad quadraginta octauo Calendas Octobris conflagrarunt. Postridie eodem artificio simile excitatum incendium. Et nisi tempestiuè ad mœnia Milites accurrissent, uniuersum fuisset Oppidum flammis absumptum. Iam è cuniculis unus fuerat ad muros perductus. Iterum deditio à Gubernatore postulatur. Is tridui spatium poscit, quo per literas moneat Hermannum Comitem Thserembergium, Geldriæ Prouinciæ Præfectum. Mauritius contrà: *Maturato opus esse. Post triduum fortè vix unum ex Obsessis superstitem fore*. Quod ut re comprobaretur, admotum cuniculum sub propugnaculo iussit puluere tormentario referciri, exitusque omnes obstrui; tùm alios quòque cuniculos promoueri. Et quasi satis non esset subterraneis ignibus cladem denunciatam moliri; missilibus quoque flammis in Oppido rursus incendium excitatum. Imò, quod miserabilius erat, igni extinguendo non suppetebant aquæ, arescentibus puteis, ex quo fossa fuerat exinanita. Quare cùm increbescerent mala, remedia destituerent; consternati tandem animis Defensores deditionem faciunt. Conditiones fuere; ut Præsidiarij trans Rhenum migrarent, atque in tres proximos menses armis aduersùs Fœderatos abstinerent. Equi etiam Equitibus

Trombetta.

Missilium ignitorum vis.

[...]roliæ deditio.

1597. tibus denegati primò, sed mox Mauritij benignitate concessi. Quarto Calendas Octobris Oppido excesserunt. In his erat Budbergius cum Equitibus octoginta: quibus impedimentorum currus centum viginti succedebant. Tum Sancius de Leuâ, quinquaginta tribus Equitibus stipatus. Agmen claudebat ipse Limburgensis Comes Stirumbius cum duodecim Cohortibus Peditum. Omnes numero Milites ferè mille. Oppidum ingressus Mauritius perpauca reperit, & minora tormenta, bellici verò instrumenti nihil. Cùmque non multùm diu ibidem quieuisset, felicitate temporis uti sciens, Brefortium Militem rapit.

Mauritius Brefortium inuadit.

MODICVM ambitu, sed praeualidum situ Zutphaniae Oppidum Brefortium est, ante annos quadraginta mœnibus, fossâque accuratè munitum. Paludibus undique cingitur, velut ampliore fossâ naturae. Duplex tantùm aditus obijcitur, aggere gemino super aquis erecto: quorum alter curribus, equisque peruius; alter peditibus viam praebet. Consurgit Arx ad latus, ad quam ex Oppido dumtaxat angusta semita perducit. Haec omnia Defensoribus magnam sese tuendi fiduciam dabant; cùm caeteroqui numero paucissimi essent, nempe haud supra ducentos. At Mauritius, ratus vel solo terrore nominis, & locorum in proximo subactorum recenti exemplo, hunc etiam sibi ultro venturum in manus; vix Castra locauerat, ac tormenta disposuerat, cùm postulari iussit deditionem. Responsum fuit à Damiano Gardotto Lotharingo, qui Praesidium regebat. *Nè sibi persuaderet Hostis, rem esse cum Grollanis. Se pro fide in suum Regem, ac loci defensione, ad extremum usque spiritum pugnaturos.* Quamobrem vim adhibendam, atque ad opera nauiter incumbendum curauit Mauritius.

Iidem Historici

AC primò, ut circumiectarum paludum obicem superaret; admoueri pontes iussit, quos secum in eum usum prouidè circumducebat. Hi verò (uti valde solertia sunt ad machinamenta fabricanda Belgarum ingenia) contexti in hunc modum erant. Binae trabes, decem, aut plurium pedum longitudine, abiegnis asseribus fuerant suprà, infràque contignatae, adeo ut machinae latitudo quinos homines caperet ex aequo dispositos. Singulis erant angulis rotulae subiectae, quibus in omnem partem moles facilè volueretur. Inter duas contignationes cauitas media subere complebatur. Vtrinque funes pendebant, ut quàcumque Milites vellent, machina pertraheretur. Ad extremum pontem ferreae fibulae defixae, principio verò adiecta foramina: quibus adminiculis alter alteri pontium, prout loci postulabat conditio, necteretur.

Vectibilium pontium artificium.

Hoc

Hoc artificio, alijsque machinis paluſtris agri difficultatibus ſuperatis; ita progreſſi ſunt Obſeſſores, ut iam tormenta poſſent ad muros quatiendos diſponere. Quò verò tutiùs aggerem quòque perducerent (quando terræ ad ſe tegendum penuria erat) iuſſit Mauritius corbes ramis, ac frondibus arborum refertas opponi in ſpeciem tantùm, atque ad Hoſtem fallendum. In his operibus feſtinandis, parem oſtentarunt audaciam Nautici homines, dum bombardas pertraherent, atque Aurigæ, dum virgultorum conueherent faſces, aliamque materiem: utrique à diſploſis continenter ex Oppido tormentis ſecuri, non tuti. Multi quippe globis eorum icti ſternebantur. Mauritius quòque ſuas omnes bombardas ter exonerari mandauit. Tùm, quaſi tertio dato ſigno, deditionem iterum poſtulari. Obſeſſi per contemptum, ſpatium ad deliberandum de ſummâ re popoſcerunt horarum ſaltem quatuor & viginti. Præfidentes namque eâ re potiſſimùm erant, quod, etiam ſi propugnacula, & mœnia diruerentur; aquæ ipſæ latè circumfuſæ futuræ eſſent pro muris, ac munimentis, contra quæ bombardæ nihil poſſent. At non animo reputabant, cum eâ ſibi gente negotium eſſe, quæ aquis innata, earumque domeſtica, ac tanquam cum illis quòque Fœderata; pro ſe, non in ſe pugnantes eaſdem habet. Et ſanè ſi marinos homines natura ferret, eos crederemus Hollandos. Pontibus igitur, quos modò memorauimus, nauium inſtar innatantibus propius Oppidum ſucceſſit Miles.

Aliæ machinæ.

Ad Orientem Solem lunatum erat munimentum tuendæ portæ præſtructum. In illud è Solmenſis Comitis Caſtris tormenta diſploſa: mox à Scotis Militibus inuaditur, atque occupatur. Nec multò pòſt, quæ Brederodio parebant, Copiæ lunatum aliud propugnaculum, portæ alteri ad Occaſum Solis obiectum, expugnant. Non idcirco tamen exterriti Defenſores, adhuc tormenta diſplodere: ſaxa iacere: omni ope ſe, locumque tutari. At Hoſtis vehementer iratus, quod unum Oppidulum felicem victoriarum curſum tamdiu retardaret; tantâ vi, aut furore potiùs exonerare omnis generis tormenta cœpit: ut nulli ſupra mœnia efferre caput tutò licèret.

Obſeſſores munimenta capiunt.

Iam verò Exercitus uniuerſus, viâ undique per aggeres patefactâ, imminere Oppido quaſi funditus euertendo videbatur. Adeòque inuicta illa conſtantia Defenſorum aliquando fracta eſt; & cedere neceſſitati ultimæ coacta. Igitur prodire ad Hoſtes Tubicinem iubent, qui colloquium ad deditionem petat. Hic è mœnibus vix extulerat caput, cum penè illud immiſſus globus abripuit. Surdæ omnium aures ad ipſas ſe dedentium voces. Furor

1597. tor ob pertinaciam, dolor ex tot Commilitonibus amissis, qui plures in uno Brefortio, quàm in cæteris simul Oppidis expugnandis, cæsi; ad internecionem sæuire compellebant. Ipse Mauritius, qui mallet Oppido pleno Ciuium, quàm vacuis mœnibus potiri, frænare militarem impetum, furiasque nequibat. Obsessi, ut extremam perniciem vitarent, nihil non agere. Impositos hastis pileos, deditionis argumento, sustollere: imbellem sexum è loco superiore cum omnibus ad misericordiam implorandam gestibus, artibusque producere. Sed cuncta nequicquam apud animos & Militum, & Nautarum: qui mortem, ut ferè semper ob oculos habent, tam in se, quàm in alijs, nihili faciunt. Ergo non tam prædæ cupiditate, quàm cædis rabie in propugnaculum enituntur: inde se in Oppidum truculenti effundunt, omnia stragis, & sanguinis impleturi. Quod ubi conspexere Oppidani, rapidâ se fuga in Arcem recipiunt. Hostis per Oppidum uniuersum ad prædam discurrere. Ea fuisse fertur opima, quod in eum locum, tanquam omnium tutissimum, finitimi Populi optima quæque comportarant.

Sera deditio non accepta.

Oppidani in Arcem fugiunt.

INGRESSVS paulò pòst Mauritius, quantùm potuit, cædem inhibuit: incendiaque ab ignitis missilibus excitari cepta restingui iussit. Tum Arcis deditionem postulauit. Eam Præsidiarij, atque Oppidani sine ullâ conditione fecerunt, se totos Victoris arbitrio permittentes. Mauritius vitæ quidem omnium parci voluit: sed grauem pecuniæ multam indixit. Quia tamen nocte proximè subsequutâ, vel Militis cuiuspiam occulta scrutantis imprudentiâ, qui face destitutus, stramen in usum luminis accendisset, vel ex aliquo ignito globo nondum oppresso, nouum in Oppido exarsit incendium, adeòque latè manauit, ut ædes ferè omnes absumpserit; commiseratione tactus, multum pecuniæ condonauit. Eam verò ipsam, quam exegit, Militibus, ac præcipuè saucijs diuisit. Diebus paucis eorumdem quieti concessis, decimo quinto Calendas Nouembris Enschedam mouit.

Illa deditur.

Rendersi à discretione.

Fortuitum incendium.

Isel.

EXIGVVM id quòque Oppidum est trans Isalam fluuium, in eâ regione situm, quam Indigenæ Tuentiam appellant. Multos ibi annos præfuerat Marius Comes Martinengus; illudque duplici munierat fossâ, septemque propugnaculis se mutuò defendentibus. Angusta hæc tamen fuisse tradunt, & contra Oppugnantes inualida; ac multò minùs ad sustinendum impetum tanti, ac toties victoris Exercitûs valitura. Præsidiarij, quos tunc regebant Vasquius, & Grosfeldius Centuriones, Hosti deditionem poscenti responderunt: Non ante se illam facturos, quam tormenta vel in conspectum darentur. Extemplo præter ipso-

Mauritius Enschedа potitur.

rum

rum opinionem admota, Oppidum dedere coëgerunt. Itaque decimo quarto Calendas Nouembris duæ Militum Centuriæ, pactæ, trimestri spatio citra Rhenum arma se minimè laturas, cum omnibus, quæ asportare secum poterant, digressæ sunt in Brabantiam.

1597.

Oldensaliam obsidet.

PERGENS Mauritius suarum victoriarum nectere catenam; Oldensaliam, mille ferè passibus Enschedâ distantem, postridie traduxit Exercitum. Tuentiæ primarium id Oppidum est, formâ rotundum, duplici muro, triplicique fossâ, & nouem propugnaculis munitum. Quo primùm die Miles eò accessit, figendis tabernaculis vacauit. Tùm collem proximum tenuit: aggeremque quatuor ex partibus ad extimæ fossæ crepidinem perduxit. Neque contentus Mauritius singillatim potiri Oppidis; indignumque ratus, eorum uni expugnando vires omnes impendere: dum Oldensaliam obsideret, Solmensem Comitem cum parte Copiarum Otmarsiam, in vicinum aliud Oppidum, misit; ex quo frequentes erant in finitimas Fœderatorum Vrbes Hispanorum excursiones. Postulata primùm, nec impetrata, Otmarsiæ deditio. Mox ubi maiora tormenta ter fuere displosa, deditur Oppidum eisdem, quibus Enscheda, conditionibus. Multa circùm ab Hispanis extructa munimenta rusticorum hominum operâ; eorumdem cum ingenti lætitiâ solo æquata.

Per Solmensem Otmarsiam capit.

OLDENSALIAM interea premebant Obsessores, atque ignitis præsertim missilibus infestabant. Quorum tantus terror Oppidanos inuasit, ut post quartum obsidionis diem, bombardis nondum admotis, Præsidiarios vel precibus, vel minis adegerint ad petendum colloquium, ac deditionem faciendam. Quare octauo Calendas excessere, vexillis explicatis, Præsidiarij quadringenti, vel, ut alij tradidere, quingenti.

Oldësalia quòque potitur.

VNVM iam in eâ Transrhenanâ regione Oppidum Hispano custoditum supererat, Linga. Id in extremo Belgio, ultra Benthemensem Comitatum, ad Amasim fluuium situm, quatuor in ditione Pagos circumiacentes habet. Duplici murorum ambitu, duplicique fossâ circumseptum, Arce quòque adiectâ, & propugnaculis quatuor instructâ, communitur. Fridericus Comes Thseremberigius Lingam eo temporis, Hispani Regis nomine, moderabatur: adiunctumque Præsidium habebat Militum sexcentorum, atque unius Equitum turmæ, non sine copioso generis omnis commeatu. Is antequam obsideretur, cuiusdam Hollandorum transfugæ suasu, lunatis munimentis Oppidum cinxit: suburbanas ædes, ac præsertim ingentes Pastorum caulas, in quibus commorari aduentans Hostis poterat, exussit:

Lingæ situs, & munitio.

Iidem Scriptores.

ut

1597. ut propterea necesse hic habuerit Oppido procul in vicinis Pagis hospitari; quando tentoria hyemantis anni inclementiam haud satis defendebant. Castra communienda non erant Obsessoribus, quia nullus è proximo venturi Subsidij metus. Aggeribus tantùm, ac munitionibus Oppidum circumcludendum, contra frequentes, ac validas eruptiones. Neque his modò, sed & displosis assiduè tormentis multum detrimenti Hostibus intulerunt Obsessi. In exhauriendâ quòque fossâ vehementer laboratum. Quippe aquis subducendis oppositi fuerant obices, qui munimentis additis defendebantur: ut nonnisi per multorum cædem, & sanguinem possent aliò deriuari.

Lingana Obsidio.

INEVNTE Nouembri dispositis tormentis ab Obsessoribus fieri cœpta concussio: quique iam instituti cuniculi fuerant, ad fossam usque perducti, quà Molaris, ut appellant, portæ propugnaculum surgit. Eodemque tempore nauibus undeuiginti, per Amasim tutò delatis, multum commeatûs, atque instrumenti bellici comportatum in Castra. Interea sibi non deerant Obsessi, varijs belli artibus, atque actis præcipuè cuniculis, Hostem infestando. Eorum aliquos cum Obsessores læti detexissent, ac pyrium inde puluerem pileis asportare contenderent; admoto statim igne Lingenses incautos Milites ambusserunt. Alio verò cuniculo ad Leucensem portam disrupto; qui parati erant ad irrumpendum Hostes, eiusdem portæ propugnaculum occuparunt. Nec defuere, qui huic obsidioni pretium facerent, exteri spectatores. Daniæ nempe Regis Legati cum eò locorum venissent; munitiones, fossas, operaque Castrensia cætera & contemplati sunt, & admirati.

Lingani cuniculis pugnant.

PRIDIE Idus Nouembris maioribus tormentis quatuor & viginti Arcem vehementer concuti Mauritius iussit: horasque continentes octo ea tenuit impressio. Tùm haud leui factâ ruinâ, per Tubicinem deditionem Arcis, atque Oppidi postulauit. Vnius horæ spatium ad deliberandum Obsessi petunt; neque impetrant: denunciante Mauritio; se primùm, ac postremùm proponere, ut sese dedant. Ni faciant extemplo, supremam ab se perniciem imminere. Quare Thserembergius duos in Castra Obsides misit: & multâ iam nocte in deditionem his conditionibus conuènit. Vt cum armis, equis, impedimentis, & signis explicatis Præsidiarij ultra Rhenum, Mosamque migrarent: libri omnes, & schedæ Prouinciæ negotia continentes Mauritio traderentur: is verò discedentibus quinquaginta currus, ad impedimenta transuehenda, suppeditaret.

Linga Mauritio deditur.

POSTRIDIE ingressi sunt Oppidum Hollandi, præfectusque

1597.

Arci Martinus Cobbenius, Oppido Tailingius. Permissum à Mauritio, rogatu affinis Comitis Thserembergij, ut eum adhuc diem Regij Milites ibidem morarentur. At subsequenti, decimo octauo Calendas Decembris, protecti sunt numero ferè quingenti, deducentibus Friderico, atque Adolpho Thserembergijs. Mauritius tot bellicis laboribus fessum, ac tot continuatis victorijs exultantem Exercitum in hyberna dimisit. Ipse gloriæ plenissimus, & publicis suorum plausibus in Cælum latus, Hagam Comitis reuersus est. Atque Ordines Fœderati, ut exantlatis laboribus præmium, reique bono communi suo tam feliciter gestæ significationem diuturnam darent: eumdem, eiusque posteritatem omnem Lingensi ditione donarunt.

Mauritii gloria, & Lingana ditio præmium.

Anno 1598.

QVI proximè sequutus est, annus nonagesimus octauus supra millesimum quingentesimum, duabus maximè rebus, ad publicam felicitatem spectantibus, memorabilis fuit. Pace scilicet inter duos Europæ potentissimos Reges Hispanum, Gallumque, post diuturnum, & nomini Christiano perniciosissimum bellum, sancitâ: initoque coniugio inter Albertum Archiducem, Hispanique Regis Filiam natu maximam Isabellam, cum dotali Belgij principatu.

Sequentis anni duplex gaudium.

QVOD attinet ad pacem; Clemens Pontifex, qui reconciliandi Catholicæ Ecclesiæ Regis Henrici magnum, arduumque negotium felicem ad exitum perduxerat: suarum quòque partium esse censuit, tanquam communis Parentis, Arbitrique generis Christiani, maximos eiusdem Principes, tot annos inter se damnosa utrique bella gerentes, stabili tandem, optatâque pace componere. Quamobrem idoneis ad tantum opus apparatibus prudentissimè præiactis; Pontificium Legatum ad hoc inter cætera negotium sapienter, ac sedulò tractandum, in Galliam misit. Alexander is fuit Cardinalis Mediceus, Archiepiscopus Florentinus, cuius suprà meminimus; quique præclaris virtutibus suis, ex obitu Clementis, summum adeptus est Pontificatum, Leonis Vndecimi nomine. Hic ab Rege prope Lutetiam magnis honoris, & beneuolentiæ significationibus exceptus, post alia multa ad Religionem spectantia prudenter appositèque prolata, sermonem quòque inijcere de pace aggressus est. *Gallici regni diuturnas ærumnas, ac desolatas bello florentissimas quondam prouincias commemorare: quibus extremis, ac patentibus malis unicum superesse in pace remedium. Tempus iam esse, ut post tot bellicos toleratos labores, atque incommoda, fortissimus, ac felicissimus Rex suo tot nominibus Regno pacatè, tranquilleque frueretur. Christianam Rempublicam uniuersam optare, atque orare, ut arma illa,* quæ

Pax inter Hispanos, & Gallos à Pôtifice struitur.

Legatus ideo mittitur Mediceus Cardinalis.

Argumēta, quibus Gallũ Regem incitat ad pacem.

Campan. lib. 6. Gaspar Ens lib. 18. Grotius l. 6. Boter. l. 5. Hæreus anno 1598. Turtura lib. 22. Thuanus lib. 120. Carner. lib. 12. c. 22. 23. Colomal. 11. Catherinus in fine l. 15. Reidanus l. 15. Petr. Mattheius Hist. Gall. lib. 1. Narrat. 2. et 3. Bentiu. l. 4. Bussieres l. 23. Io. Bochius in Narrat. profect. Archiducum.

1598. *quæ Christianorum sanguine tamdiu maduissent, in communem Hostem Turcarum Regem verterentur: qui tùm per Hungariam furoris, ac feritatis suæ miseranda vestigia spargebat.*

His, alijsque compluribus momentis rationum impellebat quidem Legatus animum regium ad assensum pacis: verùm honoris, atque existimationis stimulus acer, qui generosum, ac vividum Henrici pectus semper altè pupugerat: quique apud Principes, ac magnanimos Viros præponderare utilitatibus solet; in partem alteram vehementer urgebat. Quare in primis hac super re colloquijs disertè Cardinali testatus est: *Nulli se unquam conditioni concordiæ assensurum; nisi priùs loca omnia, quæ occupasset Hispanus, integrè restituerentur, ac damna regno illata resarcirentur.* At Legatus tum palàm Galliæ omnino necessariam pacem intelligens: tum, quâ erat sagacitate, mentem intimam Regis à pace non alienam introspiciens; non eâ primùm obiectâ difficultate ab institutâ tractatione deterritus est. Itaque ut eamdem prosequeretur, in Hispaniam misit, quem socium legationis adduxerat, religiosæ Diui Francisci Familiæ supremum Moderatorem Bonauenturam è Calatagirone: qui nempe cum alterâ Partium super eâdem concordiâ sermonem haberet. Eam verò Hispano Regi persuadere longè facilius erat: quamuis tot, ac tanti momenti Vrbes, atque Oppida reddenda Gallis forent. Ætas quippe senio grauis, & lethalibus affecta morbis, adeoque morti proxima (quæ hoc ipso accidit anno) tutam pacem emolumentis belli omnibus præferebat. Obiectabatur quòque: unicum superesse Filium, eumque tenerioris æui; cui periculosum esset, succedere cum bello tam atroci aduersùs Hostem adeo potentem, expertum, ac fortunatum. Eumdem hæredem Regni futurum, sed infinitis sumptibus exhausti. Addebatur, nouos Principes, quos imponere Belgio decreuerat, huius beneficio pacis peropportunè usuros. Eò namque maiores habituros armorum vires, ad abiunctas prouincias in suam potestatem redigendas; quòd in Galliam distrahendæ non essent.

Regis responsio.

Generalis Franciscanorum Minister eadem gratia mittitur in Hispaniã.

Hispanus Rex, cur ad pacem propensior.

His, ac talibus adductus argumentis Philippus Rex, Bonauenturam mentis suæ, Regijque Senatus satis conscium, & quibus vellent firmari pacem conditionibus, edoctum, in Belgium ad Archiducem misit. Qui nihilò minùs, quàm alij, Belgio paulò pòst suo futuro, Europæque uniuersæ concordiam non modò salutarem, verùm etiam necessariam existimabat.

Vti etiam Albertus Archidux.

Ad eius tractationem instituendam, in Picardiæ, Artesiæque finibus congressi Gallici Regis nomine Nicolaus Villaregius, qui ei à secretis erat; Archiducis verò Ioannes Richardotus Regij

Cõgressus primus ad pacis tractationem ineundam.

Senatûs Belgici Præses: & idem Bonauentura, magnæ Vir in agendo dexteritatis, ac prudentiæ. Cùmque frequentibus colloquijs de magnorum Principum voluntate, ac postulatis probè inter se cognouissent; explanari paulatim videbatur ad concordiam via. Vnus amouendus supererat obex ab Archiduce: qui retinere Caletum vellet, non quidem perpetuò, sed quamdiu cum Belgij Fœderatis bellum esset. Eò quòque adductus fuerat, ut pateretur, illo ipso temporis interuallo in manus Pontificis Maximi deponi, postmodum Regi Galliæ restituendum. Imò pollicitus est, alio se loco Caletum compensaturum. Tanti referre intelligebat Hispanicæ rei patentem eum portum habere, ad Milites in Belgium transmittendos. Et sanè huius ipsius anni Februario exeunte, quatuor Hispanorum millia eò feliciter appulerunt. At sui tenax propositi, certus erat Henricus, non amplexari pacem, nisi sua sibi omnia redderentur. Nihilò tamen minùs constitutum fuit, ut Veruinum, Oppidum in Veromanduis, alijs concordiæ tractationibus inclytum, conuenirent: Cardinalis Legatus; Franciscus Gonzaga Mantuanus Episcopus, Pontificis apud Galliæ Regem Nuncius; & Regis utriusque Delegati. Quamobrem à Gallo adfuere: Pomponius Belleureus Grignonij Dominus, varijs legationibus nobilitatus, & Nicolaus Brullartus Sillerij Dominus, Senatus Parisiensis Præses: ab Hispano verò Ioannes Richardotus modò memoratus, Ioannes Baptista Taxius Sancti Iacobi Eques, & Ludouicus Verreichius Brabantiæ Audientiarius, ut appellant. Gallicos Delegatos Pontificius Nuncius deduxit: Hispanos Bonauentura Generalis sui Ordinis Minister.

Difficultas obiecta.

Ad pacem tractandam Veruini conueniunt Administri Pontificij, & Regum Delegati.

VBI de conditionibus ineundæ pacis agitari cœptum est; Hispani se statim reddituros professi sunt Ardeam, Dorlanum, Capellam, Castelletum, Montem Hullinum in Picardiâ; & Blaueti portum in Britanniâ: Caletum unum ad Belgici finem belli retinere contendebant. Galli contrà hanc præ cæteris Vrbem repetebant, unàque Cameracum: & veteres quasdam de finibus controuersias suscitabant. Ad hæc Hispani respondebant: *Controuersias illas iam tùm anno eius sæculi quinquagesimo nono in Cameracensi pace fuisse compositas. Cameracum haud esse in Regni Gallici ditione: sed ius in eam Vrbem Archiepiscopo datum; licèt paucos ante annos eamdem armis Alenconius occupasset. Catholicum verò Regem, ut Belgij Dominum, patrocinium eius habere, non directum (ut aiunt) dominatum.* His victi rationibus Galli ab utráque petitione destiterunt. Hispani quòque Caletum ijsdem pari æquitate cesserunt. Vna de Blaueto supererat difficultas. Gallus quippe

Agitur de locis occupatis reddendis.

Turtura.
Catherinus.

1598. quippe Rex Oppidum illud cum omni, quo tunc instructum erat, apparatu bellico reposcebat. At Hispani diruendam aiebant ab se conditam Arcem: ac bombardas, & reliqua, quæ ipsi eò conuexerant, asportanda. Hoc etiam Hispanis Galli concesserunt, rei æquitate adducti. Tantâ inter eos sinceritate iuris agebatur.

Iidem Scriptores.

De Fœderatis vtriusque partis includendis.

DISCEPTATVM præterea de Fœderatis utrarumque Partium fuit. Et Rex quidem Henricus contendebat, ut Angliæ Reginam, atque Hollandicos Ordines ea concordia complecteretur: Philippus verò Rex in eâdem comprehendi volebat Sabaudiæ, ac Mercurij Duces. Hâc in re grauis erupit utrinque motus animorum. Cum enim negarent Galli Mercurij Ducem includendum, qui Henrico subiectus esset: responderunt Hispani: etiam Hollandos Philippo. Atque hîc, foueri rebelles, sibi mutuo exprobrantes, vehementer in se inuicem exarsere. Verùm hisce rixis dirimendis Cardinalis Legatus interiecit auctoritatem, & prudentiam suam.

Graue dissidium inter Delegatos à Legato componitur.

INTEREA dum hæc Veruini tractabantur; dederat Galliæ Rex ad Belgij Fœderatos literas; quibus ad ineundam cum Hispano pacem se sollicitari significabat. *Sed nihil se, nisi conscijs ipsis, Angliaque Reginâ, decreturum. Mitterent adeò, quibuscum eâ super re consilium haberet, Legatos. Agi tùm quidem de concordiâ coram Pontificio Legato, assensu suo: sed nihilò tamen minùs bellum sibi interim curæ fore.* Eadem ferè perscripserat ad Angliæ Reginam. A quâ, ut ab Ordinibus Fœderatis, Legati paulò pòst appulerunt in Galliam. Hi palàm, ac disertè pacem dissuasere cum dicerent: *Offerenti eam Hispano minimè fidendum. Quippe qui probè nosset, coniunctis Galliæ, Angliæ, Belgijque Ordinum viribus, se imparem esse: ac propterea Fœderatos inuicem abstrahere, quò faciliùs tutiùsque seorsim unumquemque oppugnet; superiorque fit singulis, qui foret inferior uniuersis.* Ad hæc respondisse ferunt Henricum: *Non sibi nouum esse quod dicerent. Sed Regnum ab se nuperrimè tantis, ac tot annorum laboribus partum, nonnisi concordiâ cum Hoste finitimo, ac sæpè intimo per fœdera cum rebellibus, posse stabiliri. Se tamen in eâ sanciendâ, non sui tantùm, sed sociorum quòque rationem habiturum.*

Rex Henricus de pace cõsulit Hollandos, & Angliæ Reginam.

Vtrinq; missi Legati eã dissuadent.

Regis responsum.

AT Mercurij Dux, cùm videret, Henrico iam Regni potito sese obluctari non posse; in eiusdem potestatem, ac beneuolentiam redijt, quicquid locorum in minore Britanniâ obtinebat, ei restituendo. De Sabaudi verò Ducis controuersiâ super Salutiarum principatu decretum, ut tota res ad Romanum Pontificem reijceretur; qui intra annum ferret eâ de lite sententiam.

Ita

Pax denique sancita.

1598.

Ita demum difficultatibus cunctis superatis, & pacis conditionibus utrinque sancitis, quam dudum suspirabat Europa, quamque iamdiu expectabat Orbis terrarum, concordia inter maximos Reges ab eorum Delegatis inita, scriptoque firmata est postridie Calendas Maij. Non tamen nisi post mensem in publicum euulgata: tum quòd Galliæ Rex ante discessionem ab Aulâ Legatorum Angliæ, Hollandiæque, noluit eam promulgari, nè coram ipsis res eis tam odiosa prodiret: tum quia de Blaueti conuento Regis Hispani mentem priùs Archidux voluit exploratam habere.

Cur eius promulgatio dilata.

Igitur septimo Idus Iunij Lutetiæ promulgata pax fuit: eâdemque die Ambiani coram Pontificio Legato, Gallicisque Delegatis, simulque Bruxellis: quasi tanta lætitia Vrbe unâ, vel Orbis terræ capaci (uti dicitur Parisiensis) minimè caperetur; sed varias Prouincias, ac Regna pax illa peruaderet, quæ commodi plurimum, ac felicitatis erat eisdem paritura. Neque solùm in regionibus, quarum ea propriè intererat concordia; sed quàcumque Christianum pertinet nomen, magnos ea fama plausus, atque acclamationes exciuit: gratulantibus sibi mutuò cunctis, Christiano iam sanguini parcendum; desolatas Prouincias redintegrandas; interclusa per Europam commercia restituenda; bellorum extinctis incendijs, florem bonarum artium, splendoremque virtutum, velut è latebris emersurum. Magna ex eo facta fuit laudum, atque existimationis accessio tum utrique Regum, qui cum se nimiùm diu bello potentes ostendissent, iam se declararent publici boni amantiores: tum Pontificio Legato, cæterisque tam celebrati operis Administris, qui diligentiâ, prudentiâque suâ rem tam arduam optatum ad exitum perduxissent: tum ipsimet Pontifici; cuius auctoritate, charitate, sapientiâ præcipua duo Christianæ Reipublicæ Regna, tam acerbis inter se odijs tamdiu digladiata, felici tandem concordiæ nodo iungerentur.

Communis ob hanc pacem Europæ lætitia.

Iam verò ut ad Archiducis Alberti connubium cum Isabellâ Clarâ Eugeniâ Hispaniarum Infante veniamus: res profectò erat negotij in Aulâ Hispanicâ maximi, quandò de auellendis ab Regno prouincijs Belgicis, in eius coniugij dotem, agebatur. Septuagenario maior erat Philippus Rex. Nihil ad eam diem in votis habuerat magis, quàm Filiam Isabellam excelsissimè collocare: & quòd natu maxima erat, ac facilè unico Fratri decedenti in Imperium immensum successura: & quòd eam semper apud se educatam, cùm perpetuò habuisset ob oculos, suis habebat oculis cariorem. Et dignam sanè tanti Principis, ac tam

Côniugium Archiducis Alberti cum Isabella Infante.

Philippi Regis amor in Filiam.

Campana. Gaspar Ens lib. 19. Grotius. Boterius. Haræus. Bochius. Carnerus. Coloma. Bentiuolus.

1598. sapientis rerum æstimatoris amore singulari eam omnes censebant: cui nullam è Principibus fœminis parem obiectare posset Europa; aut in quam tot animi, corporisque honestamenta confluerent.

Et in Albertum Archiducem.

INGENS quòque Philippi Regis in Archiducem erat beneuolentia. Is quippe ab annis florentibus in Hispaniam missus, ibique diutius, specimen suarum virtutum magnum præbendo, commoratus; tum Madritanâ in Aulâ, tum in administratione Lusitanâ; ad ingenium, ac sensa omnia Regis tam aptè se composuerat, ut Albertum descriptum diceres è Philippo. Atque uti similitudo fomes amoris est; eum impensè diligere Philippus: in dies magis, magisque prouehere: non ut Germanum habere, sed ut Hispanum: nec tam Auunculum ei se gerere, quàm Parentem. His adeò gemini amoris facibus Rex inflammabatur ad Isabellam Alberto despondendam, & dotis loco Belgium elargiendum. Addebat animos haud dubia spes, hâc ratione subiectas eius regionis Prouincias in fide Principis retinendi, eas verò, quæ defecerant, recuperandi. Magnum quippe ad obsequium incitamentum esse norat proprium Principem, ac natiuum. Albertum autem, ut Austriacum, & Germanum, haberi pro Belgâ posse: eiusque si qua soboles existeret, Belgicam omnino futuram. At contrà imperij sui tam commodam partem ab reliquo corpore dissecare, & relictam à magno Parente magnam hæreditatem imminutum ire; acerbum sibi, damnosum posteris, minùs probandum prudentibus intelligebat.

Belgium designatur in dotem.

Ea deliberatio proponitur in Regio Senatu.

Bentiuolus.

IN hac ancipitis animi fluctuatione, ad consuetam se Rex conuertit in maiorum æstu curarum Cynosuram, Regij videlicet Senatûs deliberationem, & consilia. In eo fuisse tùm ferunt meritis, ac dignitate non ultimum Comitem Fontanum, qui re aliquot annos in Belgio prudenter, ac postremò etiam feliciter gestâ (uti commemorauimus in loco) inde se ante biennium retulerat in Hispaniam. Et iam tùm eum Rex Insubriæ, Hispanicisque per Italiam armis regendis destinauerat. Neque minoris erat apud Regem, eiusque Senatum existimationis Christophorus de Mourâ Castelli Roderici Marchio. Hic è Lusitaniâ profectus cum Regiâ Sorore Ioannâ viduâ; ex eius defunctæ Aulâ traductus in Regiam, magnis ibi muneribus impositus perpetuò fuerat. Vbi verò Lusitanicum Regnum deuoluendum fuit ad Philippum; non minùs eius consilia, quàm Albani Ducis arma, difficultatibus omnibus superatis, rem tantam confecerunt. His pro meritis & gratiâ Regis, & auctoritate apud

alios

alios quotidie maior, ad summum propè deuenerat eâ tempestate. Igitur horum præ cæteris sententia in Regio Senatu audita fuit. 1598.

Rationes, quibus à Fontano Compace dissuadetur.

Et Fontanus quidem censebat, haud esse prouincias Belgicas ab Regis Hispani ditione abiungendas. *Magni eas*, asserebat, *esse momenti ad reliquorum corpus Regnorum vel ubertate prouentuum sustentandum, vel militaribus copiis tuendum. In Hostes quippe tam metuendos potentiâ, quàm positione vicinos, nullum Hispanos habere munimentum Belgio validius. Galliæ suos intra limites coercendæ, si quandò in alienos fines audeat irrumpere; nihil aptius esse, quàm contiguam eam regionem, quæque pars olim Galliæ fuerit: ut cum intestinum quodammodo certamen habeat, illud extra se quærat. In recentissimo verò bello ab Hispanis pro religione in Galliâ periclitante, suscepto quænam alia prestò fuisse arma, nisi Belgica: quæ non tam obsessas Vrbes maximas Rhotomagum, ac Lutetiam, quàm Catholicam causam in eisdem circumuentam gloriosissimè soluerint, ac liberarint? Quantum verò inde Catholicis in Germaniâ laborantibus additum animorum? quantum terroris iniectum Angliæ hæreticâ labe contaminatæ? Non videri subducendas Hispanorum potentiæ vires illas: quibus & Hostibus formidabilis perpetuò sit, & Sacro Imperio, Romanaque Sedi auxiliaris, & de Religione optimè merita. Diffiteri se quidem haud posse, quæ non sine lacrymis viderit, earum detrimenta Prouinciarum, quæque vel suo periculo, ac sanguine, si fuisset opus, resarcire non semel contendisset: abruptamque ab sui Regis imperio, quà machinamentis Hæreseos, quà licentiæ impetu, Belgij partem, haud contemnendam: ac magis in dies crescentem rebellium contumaciam. Verùm pace cum Gallo firmatâ, reuocatis in Belgium, & coniunctis viribus uniuersis, obsisti facilè posse, nè maiores habeat Hostis progressus; imò ab eis propulsatum iri finibus, quos, dum arma Belgica versarentur in Galliâ, solerter occupauit. Neque verò spem omnem in nouo principatu collocandam. Assuetos Populos dulcedini libertatis, atque hæreticis artibus irretitos, adeòque Austriaci sanguinis odio delibutos, haud ita facilè ad obsequium Principis, ad cultum Diuinitatis Catholicum redituros. Quamobrem ad bellum in Fœderatas Prouincias continuandum, nouas ex Hispaniâ vires subinde suffici oportere: & eas quidem pro tutandâ ditione non suâ: multumque in eam copiarum, multum pecuniæ impendendum: nihil verò fructûs, vel utilitatis inde ad Hispanica Regna redundaturum. Itaque consultius multò videri, eas retinere Prouincias, quas omnino defendere necesse sit: & sumptus facere immensos in rem, non alienam, sed suam. Nec magna Imperia tuta ab exterorum cupiditate, & quod inde consequitur, à bellis esse; nec bella sine Militibus, armisque geri. Quorsum*

Cæsar de bello Gall.

1598. *ſum ergo Belgium, hoc eſt ſemper inſtructum armamentarium, ab Hiſpanicis Regnis ſeiungere? Vt Regia proles Iſabella digno natalibus, debito virtutibus in ſolio collocetur, non defutura Hiſpanæ potentiæ, Regiæque ſapientiæ alia multa conſilia.* His, ac talibus argumentis Fontanus ſuam apud Regem, Regiumque Senatum confirmare ſententiam conatus eſt.

At Moura, qui contrà planè ſentiebat, haud infirmioribus nitebatur momentis rationum: quas in medium proferre non dubitauit. *Aliquam ſanè Regnorum partem*, aiebat, *excelſis Regiæ Filiæ, multùm merentis, nuptijs inſtruendis, tutandis, nobilitandis deberi. Quam verò Belgicis prouincijs opportuniorem? Eas ab reliquo Imperij corpore diuelli poſſe facillimè: quas toto Galliæ Regno interpoſito natura ipſa ſeiunxerit: neque ſitu dumtaxat, ſed lingua, moribus, legibus ab Hiſpano cælo ſegregarit. Vix ullam eſſe Nationem, quæ proprium magis expetat Principem, ac natiuum; quæ vehementiùs oderit exterorum dominatum. Id apertè docuiſſe tempora proximè euoluta, tumultibus, defectionibus, cladibus, ruinis in omni ſæculorum poſteritate memoranda. Quadraginta iam annorum bello eas Prouincias continenter arſiſſe: quod Regia depauperarit æraria: quod aurum ex Indijs aduectum toties abſumpſerit: quod Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, Europamque propè uniuerſam militaribus Copijs exinanierit. Quando verò tantum incendium excitatum, niſi poſt diſceſſum optatiſſimi Regis è Belgio: quem quaſi natiuum Principem Belgæ unicè diligebant: ab eo nempe datum Parente, quem apud ſe natum proprium diffiteri non poterant. Eo digreſſo, Populorum lætitiam, communem tranquillitatem, obſequium erga Principem, cultum Religionis erga Deum; uno verbo virtutes omnes, earumque comitatu ſeptam felicitatem, paulatim ex eis Prouincijs demigraſſe. Hanc fuiſſe publicam omnium ſententiam. Ac propterea quoties frequentibus literis, miſſis quòque Belgij totius nomine legationibus, atque impenſiſſimis precibus Principis ſui reditum efflagitatum? Quòd ſi eius reuerſuri ſpes aliqua ſuſpirantibus Populis affulſiſſet; quas communis lætitiæ ſignificationes datas; quæ captata præſagia tumultuum omnium breuì componendorum? At contrà, ubi deſperata reuerſio; & alius ex alio Gubernator impoſitus; quamuis ipſi fuerint Cæſareo, Auſtriacoque ſanguine venerabiles; quamuis ex uniuerſo Hiſpaniarum Imperio delecti Principes virtute militari, ſagacitate mentis, experientiâ rerum excellentes: quia tamen perpetuum, propriumque minimè gerebant imperium; res quotidie in peius ruere viſas: abalienari Belgarum animos: increbreſcere defectiones: detrectare imperium Populos: ab Regijs ſimul, ac Diuinis legibus ſubtrahere ſeſe Prouincias non dubitaſſe. Tantorum itaque cauſâ malorum potiſſimâ perſpectâ nimis; atque explo-*

Argumenta, quibus ſuadetur à Caſtelli Roderici Marchione.

Tumultus Belgici à Regis abſentia.

rateâ; quidni opportunum, unicumque remedium adhiberetur? Ex proprij, perpetuique Principis digressu, absentiâque tot exortas calamitates. Talis igitur Principis institutione (quandò prioris restitutione non poterat) eisdem factum iri modum, ac finem. Quieturos animos diuersis regendi rationibus perturbatos: ubi principatum viderent unius moris, generis, sanguinis perennaturum. Ad Belgas verò moderandos, quem aptiorem Principem, quàm ortu Germanum, hoc est Belgici plurimum habentem ingenij: Gente Austriacum, quo nomine nullum sic ei Nationi iucundius? Cæteras quòque Archiducis Alberti virtutes ad eam administrationem unicè factas, satis ostendiße recentissimum tempus, quo ille Belgium obsequens in regiâ suâque fide singulari prudentiâ, iustitiâ, clementiâque retinuit. Quod si eo gubernante, neque ita pridem, haud leuis facta fuit iactura Regiæ ditionis in Frisiâ, locisque Transrhenanis; acceptum id esse referendum, ut alia multa Belgij detrimenta, Gallici necessitatibus belli: quod uti primùm sub Parmensi, deinde sub Carolo Mansfeldio, ita nuperrimè sub Alberto Belgicas Copias magnam partem in Galliam auocauit. Nam si, quæ arma in Gallicis finibus Caletum, atque Ardeam expugnarunt; quæque ad Ambianum obsidione liberandum traducta sunt; in Belgio contra Fæderatos, eorumque Ducem Mauritium stetissent: non modò nihil eum de Regiâ ditione decerpturum fuisse: verùm etiam credi non temerè posse, Hollandicas Copias propulsandas fuiße, ac suas intra paludes coërcendas. Imò eisdem viribus Belgij multum, ab Regis obsequio abstractum, recuperari facilè potuisse. Iam verò sancitâ Hispanos inter, & Gallos pace; Copias omnes in Belgio, & quidem maximo numero coactas, contra Belgas rebelles pugnaturas. Quòd si præsentia Principis, ut in cæteris rebus, sic etiam in bello plurimum afferre roboris, ac momenti: Albertum atque Isabellam Belgij Principes declaratos, quantum alacritatis ad bellandum, quantum animorum ad vincendum Militibus addituros? At contrà si tam præsens opportunitas Infantis Regiæ cum Archiduce nuptias maximè congruentes tam nobili principatu dotaudi missa fiat: quam aliam Hispanici Imperij partem dissectum iri? Num integrum Hispaniæ corpus, additâque iam Lusitaniâ sub uno capite totum, Regno aliquo, velut obtruncato membro quopiam, mutilandum? Num ad ultimas terrarum oras, aut barbaras Africæ syrtes, aut inhospitales Americæ regiones, & quasi extra mundi fines, ad exercendum in feras magis, quàm in homines imperium; carissimam, & tali dignam Parente prolem, nec dedignandum Sororis Filium relegandos? An sine principatu è tantis Principibus natos, & natos imperijs Principes, matrimonio iungendos? An demùm tale connubium, tam æquum, tam sanctum, ab Europâ uniuersâ tam expectatum, prætermittendum?

1598.

Principis proprii necessitas.

Albertus Archidux Princeps aptissimus.

Opportunitas pacis inter duos Reges.

Nullum Regnum in dotem aptius Belgio.

His

1598.

Variæ Senatus Regii sententiæ.

HIS adeo momentis rationum suam Moura sententiam Regi, Senatuique persuadere conabatur. Cæteri Senatores alij alió propendebant. Assentiebatur Mouræ Ioannes Idiaquius, magni consilij vir, gestis Genuensi, ac Venetâ legationibus nobilis. Nec sui deerant auctoritate pollentes Fontani sententiæ subscriptores. Philippus Rex in tantâ opinionum dissensione, ac tanto rationum in utramque partem pondere, ac vi, diu multùmque anceps animi fuit. Ad extremum rebus omnibus ad magni iudicij sui trutinam rite libratis, in eam deliberationem incubuit: ut tam plausibile, ac salutare coniugium iniretur, eiusque dotale munus unà cum Burgundiæ Comitatu Belgium esset. Hoc apud se constituto, conditiones quòque tanti momenti rei consentaneas præscribi voluit, quarum summa capita hæc fuerunt.

Rex Coniugium decernit.

Conditiones adiectæ.

ISABELLAM Infantem Alberto Austriæ Archiduci nuptui dari, ab Romano Pontifice potestate factâ, tum ob arctam inter eos consanguinitatem, tum quòd sacra erat purpura deponenda; dotis verò nomine attribui Regiam omnem in Belgio ditionem, ac Burgundiæ Comitatum. Filios ex eo coniugio nascituros, successuros quòque Parentibus in utroque Principatu: ita tamen ut virilis proles fœmineæ præferatur, & maiores natu minoribus. Si una fœmina superstit hæres: ea nubat Regi, vel Principi Hispaniarum. Nemo è Posteris utriusque sexus matrimonium ineat sine consensu Hispani Regis eâ tempestate regnantis. Quòd si Belgicus Principatus destituatur hæredibus; ad Hispanum Regem utraque ditio reuoluatur. Iidem Belgij Principes subiectos sibi Populos ab Indicâ nauigatione distineant. Vbi succedendi tempus aduenerit, concepto iureiurando spondeant, se Religionem Catholicam, Apostolicam, Romanam professuros: eamque unam exercendam curent. Harum conditionum si qua desiderabitur; uterque Principatus extemplo ad Hispanum Imperium redigatur.

HIS ita constitutis, appellationem tamen Burgundiæ Ducis, aureique Velleris Ordinem sibi Rex, suisque Successoribus reseruauit. In hanc geminæ ditionis cessionem Princeps Hispaniarum Isabellæ Frater, & futurus in Imperio magno Patri Successor rite consensit: eamque publico diplomate confirmauit. Suum quòque tam ineundo coniugio, quàm adeundis Principatibus assensum præbuit Isabella: ac de dotali donatione tum Parenti, tum Fratri in frequenti Magnatum conuentu gratias egit.

Rex scribit ad Ordines Belgii sui.

EXINDE literæ de suscepto consilio ab Rege ad Belgicos Ordines sibi obsequentes datæ. *Testabatur in eis Philippus propensam perpetuò in Belgicas prouincias voluntatem suam: deque illarum sa-*

 lute,

lute, quiete, commodis sollicitam per omne tempus curam. Argumento esse susceptos labores, factosque sumptus immensos ad eas aduersus Hostes tam intimos, quàm extimos propugnandas. Nullam quòque prætermissam rationem, ac viam ad obsequium Fidei, suique Principis eos reuocandi, qui tam ab Regiâ obedientiâ, quàm à Catholicâ Religione procul aberrassent. Has verò animi sui propensiones apertius multò declaratum iri ex recenti deliberatione susceptâ: de quâ Albertus Archidux facturus esset Ordines certiores. Illi propterea eamdem prorsus, quam ipsi Regi adhiberent fidem: eiusque præscripta sequerentur. Ita ut faciant, optare se, idque sperare: ac rei Belgicæ multùm interesse. In hanc ipsam ferme sententiam ad eosdem scripsit Ordines Princeps Hispaniarum.

Archiducis dicta in Belgico Senatu.

ARCHIDVX verò Albertus, ut Regia mandata exequeretur, atque Ordinum expectationi faceret satis, Philippi mentem exposuit: de Infante Isabellâ sibi in matrimonium collocandâ, non sine Pontificiâ facultate, & Cæsaris, Augustæque Regiæ Sororis consensu: deque Belgicis Prouincijs, & Burgundiæ Comitatu in eiusdem Connubij dotem constituendis. Vtriusque consilij communes Europæ, proprias Belgio utilitates ostendit: beneuolum semper in Belgas animum suum aperuit: vigilantem curam, ac diligentem operam in ipsorum incolumitatem, quietem, securitatem spopondit: spem quòque rei bene gerendæ non tam in suis viribus, quas imbecillas nosset, quàm in Ordinum consilijs, auxilijsque se locatam habere significauit. Quibus verbis ex animi sententiâ prolatis, & corde in vultu eminente; pristinum erga se Belgarum amorem accessione maximâ cumulauit.

Ordinum responsio ad Regem.

NON multò pòst tam ad Regem, quàm ad Principem Ordines rescripserunt, quâ decuit & amantium, & obsequentium animorum testificatione. *Nouum Regiæ Maiestatis, ac sapiens de more consilium, præter humanissimas literas, ab Archiduce Alberto se accepisse fatebantur. Et primâ quidem fronte acerbum sibi visum, ab eo Principe diuelli, cui Deus, & Natura, cui Regia beneuolentia & singularis amor se obstrinxissent. Verùm ubi transferri Principatum in regiam Infantem, paternis dotatam virtutibus, nec minùs generosam heredem charitatis in Belgium, quàm Belgicæ ditionis, animo reputassent: gratulatos sibi fuisse, non subductum, aut mutatum, sed in Filiâ propagatum Patris imperium. Eòque id gratius accidisse, quòd commune futurum esset cum Archiduce Alberto, quem experti nuperrimè fuissent optimum Principem, atque ut in Regis disciplinâ tot annos institutum, à magno illo exemplari ad viuum expressam imaginem imperandi. Quamobrem non diminutos se pristinâ felicitate, sed*

auctos

1598. *auctos nouâ: cum plures habituri essent Philippos, regionis suæ secundùm Deum Præsides maximos, & quasi Genios tutelares: alterum ex Hispaniâ, velut è suo cælo, patrocinantem; alterum in suo sanguine, suarumque laudum effigie Belgium propiùs protegentem. Id utrumque beneficium ut perpetuum foret: utque nouum consilium bene Regi, bene Principibus, bene Belgicis prouincijs verteret; à Deo Optimo Maximo se omnes enixis precibus postulare.*

IAM verò Regis iussu erat Archidux suo, atque Vxoris Isabellæ nomine possessionem Belgici Principatûs aditurus, atque à subiectis Populis accepturus consuetum obsequij, ac fidei sacramentum. Huic dicendo nonnihil obiectum initio difficultatis: quòd per Belgium increbuerat rumor; statim inde discessurum in Hispaniam Archiducem ad nuptias cum Isabella celebrandas, nec antè reuersurum, quàm ex eâ sobolem suscepisset. Vbi tamen, se breui, & stato tempore rediturum pollicitus est; difficultas omnis euanuit. Igitur indictus omnium Ordinum conuentus in diem decimum octauum Calendas Septembris, Assumptæ in Cælum Dei Parenti Virgini sacrum. Eâ die conuenere Bruxellas ex omni Belgio Regi subiecto trium Ordinum, hoc est Ecclesiasticorum, Nobilium, Ciuitatum Delegati. Quos inter Episcopi, & Principes ferè omnes recensebantur, alijque Viri tum sapientiâ, tum dignitate præstantes.

Io. Bochius. Thuanus.

Indicitur conuentus ad principatum adeundum.

AD eos in primo congressu breuem habuit orationem Matthias Houius Archiepiscopus Mechliniensis: quâ caussas, cur conuenissent, aperuit. Tùm publicè recitata diplomata de translatione Belgici Principatûs. Vbi verò de dicendo fidei iureiurando Alberto Archiduci, Principis Isabellæ nomine, actum est: Brabantiæ Ordines, paratos se dixerunt ad id præstandum: modò mutuum ab eo iuramentum conciperetur de integris, intactisque seruandis sibi priuilegijs auitis, eisque resarciendis, quæ contra maiorum instituta, vel innouata fuissent, vel abrogata. In alio congressu cùm de illo relatum esset, qui ad ea, quæ proponerentur, omnium Ordinum nomine responderet: ad se spectare id muneris Brabanti asseruere; tum quòd Brabantia prima ordine sit prouincia; tum quòd in eâdem concilium haberetur. Re discussâ, omnium consensu respondendi partes Philippo Masio datæ, qui Brabantiæ Ordinibus à consilijs, atque ab actis erat.

Cùm primùm dies rei pressiùs agitandæ destinatus, & spe felicioris in posterum futuri Belgij, lætissimus aduenisset: in Aulam Bruxellensis Palatij maximam omnes lectissimi Proceres conuenerunt. Hîc Albertus, purpurâ sacrâ depositâ, & splendidiorem

Albertus deponit sacram purpuram.

diorem

diorem Principis indutus ornatum, cum Palatinâ Familiâ, Equitibus aurei Velleris, Prouinciarum Præfectis, magnâque Virorum Nobilium frequentiâ spectandum se dedit solio editiore sublimem. Facto undique silentio, Richardotus Senatûs Præses egregiam habuit orationem, quâ sapientem, & salutarem Philippi Regis deliberationem exornauit, cunctisque amplectendam obuijs ulnis, ostendit. Cui nullâ interpositâ morâ, Masius Ordinum nomine respondit: prudens, ac salubre consilium in cælum ferens; pronas in id contestans omnium voluntates: Principibus, Belgioque fausta precans cuncta, & præsagiens.

1598.

Iurat se priuilegia seruaturum Brabantis.

Eidem Belgæ fidelitatem iurant.

POSTRIDIE cùm eòdem conuenissent; prior Albertus iuris iurandi verba concepit, quo suam fidem obstringebat, sanctè promittens, omnes se Principis optimi, atque iustissimi partes in subiectos sibi Populos peracturum: ac Brabantis præsertim auita priuilegia seruaturum. Tùm singuli Delegati dicto sacramento, suorum Ordinum, ac Prouinciarum nomine, nouis Principibus fidem, obsequiumque perpetuum spoponderunt. His rite perfectis, magnisque communis lætitiæ significationibus datis; postero die Archidux omnes solemni conuiuio, pro more Gentis, excepit.

Nouus principatus displicet Belgis Fœderatis.

QVANTVM hæc noua Principum inauguratio Belgas in Catholicâ Religione, Regiâque fide constantes hilarauit, haud dubiâ conceptâ spe, redituram antiqui Principatûs auream ætatem: tantumdem Fœderatas Prouincias vel exterruit formido breuis futuræ libertatis suæ, vel dolor exulcerauit, in Austriacâ Gente continuati Belgici dominatûs. Iactabant adeo palàm: *Eum Principatum nomine tenus, atque in speciem futurum. Isabellam ætate prouectam, ac proinde infæcundam, nullam spem successionis dare. Ideoque tam ipsam, quàm Archiducem nominibus Principum speciosis meros fore Gubernatores; Hispanis arreptum semel imperium mordicus retinentibus. Cùmque horum armis ea tuenda ditio esset, profectò eorumdem in manu eam semper fore. In ipsis conditionibus agi de Belgio, tanquam Hispani Regis tributario, non ut sui iuris Principatu: tam frequenter, ac facilè denunciari, in Hispanum Imperium reuoluendum. Vtcumque demum se habitura res esset; numquam Fœderatos Belgas susceptum sapienter consilium mutaturos: neque ullo venalem pretio libertatem cuiquam mortalium Principum predituros.* Hi spargebantur in vulgus Fœderatorum sermones. In eâ verò rerum conuersione (quæ solet tranquillos etiam animos perturbare) non defuere iam frequentes per Belgium tumultuantium Militum seditiones.

ARCIS Antuerpianæ Præsidiarij, quorum supra quingentos

Pedites

1598. Pedites erant, Equites verò ducenti; turbas concitarunt solito atrociores. Augustinum Mexiam Arcis Præfectum eiecerunt: tùm insano furore perciti in Vrbis ædes, ac præcipuè in Curiam Senatoriam, ferreis instructa globis tormenta exonerarunt. Trepidare Ciues periculo, ac nouitate rei: statim ad arma conclamare: mittere, qui tumultûs causam requirant. Respondent Præsidiarij: duorum propè annorum sibi stipendia deberi: nisi quamprimùm persoluantur, ingentem Vrbi cladem intentant. Iamque è suo numero unum, qui communem omnium ageret causam, consueto Electi nomine, sibi præfecerant. Hunc adeuntes aliquot ex Antuerpiæ Magistratibus, operam suam pollicentur, ut ipsis fiat satis. Interim certam Equitibus, certam Peditibus singulis pecuniam in sumptus quotidianos promittunt. Eo delinimento, ac spe vicinæ solutionis, aliquandiu illi conquierunt. At ubi progressu temporis verba sibi pro stipendijs dari animaduertunt: rursus in tumultus, ac furias agi: rursus in miseros Ciues, conceptas contra Militares Præfectos, iras effundere. Imò id in morem induxerunt, ut quoties aliquid vellent à Ciuibus petere; non alio uterentur Internuncio, quàm ore ferreo, & linguis igneis bombardarum. Ita plerumque Ciuitatibus alienæ potestati subiectis, non minùs timendum est à Præsidijs ad tutamen impositis, quàm ab Hostibus oppositis ad ruinam.

In Arce Antuerpiæ Præsidiarij tumultuantur.

CVM verò paulò antè, qui Liram custodiebant Milites, ob eamdem causam tumultuati, Centuriones suos expulissent; Antuerpiensibus sese Præsidiarijs adiunxere; ut maiore se numero, viribusque collatis validiùs tuerentur, ac magis formidabiles facerent, ad debitam pecuniam extorquendam. Hinc maior illis audacia, quà septem mensium oblata stipendia per contemptum reiecerunt. Neque antè ab iniurijs, insultibus, flagitijs temperarunt; quàm centum quinquaginta millibus aureorum partim solutis, partim certâ sponsione promissis, placarentur. Eâdem ratione sedati, qui pariter insonuerant in Arcibus Gandauensi, & Cameracensi tumultus.

Idem accidit Liræ.

Tumultus sedati.

HAC igitur sollicitudine leuatus Archidux, ante suum è Belgio discessum, recenseri voluit, quicquid Militum erat in procinctu. Decimo nono Calendas Septembris lustratus uniuersus exercitus: Peditumque supra viginti millia, Equites bis mille quingenti numerati. Hos omnes nono Calendas copiâ bombardarum, & reliquo apparatu bellico satis instructos, mouere iussit in Geldriam, supremo ijs Duce præstituto Francisco Mendozza, Aragoniæ Maris Præfecto.

Archidux mittit Exercitū in Geldriam.

Campana. Carnerus.

Almirante.

DI-

1598.

DISCESSVRO in Hispaniam Archiduci subrogandus erat, qui Belgium inter tot facta dispendia, atque impendentia pericula sapienter, utiliterque administraret. Quæsitum in Aulâ Hispanicâ, Regioque Senatu, quis omnium maximè tanto par oneri foret. Cunctorum ferè suffragijs, atque ipsius etiam Alberti, designatus est ad id muneris Andreas Cardinalis Austriacus, Ferdinandi Archiducis Filius, Episcopus Constantiensis. Vt igitur eam gubernationem quamprimùm suscipere ne recusaret; literas hortantes Albertus, Cæsar, & Philippus Rex ad eum dederunt. Eas cùm accepit sub exitum Augusti Mensis, Andreas in Alsatiâ degebat, multis antè annis illi Prouinciæ à Cæsare præfectus. Priore nocte, quàm ea redderentur ab Archiducis Aulico, qui erat à Secretis: per quietem sibi visus erat Cardinalis cum uniuersâ famiilâ, armis instructâ, explicatisque vexillis, quadrati agminis instar, capessere iter. Quare porrectis postridie ab Aulico literis, ac vix perlectis; ad eum conuersus, ac subridens ait: alium ad se nocte præteritâ peruenisse cum eisdem mandatis Epistolarum latorem. Somnium videlicet indicabat: quod vel sponte naturæ, fortuitis præsagijs ludit in rebus humanis: vel Deo iubente, præmonstrat subobscuris ambagibus futura.

Andreas Cardinalis Austriacus præficitur Belgio.

Eius somnium.

Campana l. 6. Carner. l. 13. c. 2.

IGITVR Andreas Cardinalis cum animo suo de re totâ deliberans, accipere oblatam prouinciam decreuit; ac tantis Principibus, secumque tam arctâ iunctis necessitudine, gratum facere. Et quia negotium non tolerabat moram; rebus suis domesticis rite dispositis, iussâque familiâ iustis itineribus subsequi; ipse cum paucis Cubicularijs Aulicis, equis subinde mutatis, in Brabantiam properauit. Vbi verò Namurcum propiùs attigit; Nuncium aduentûs sui ad Archiducem præmisit. Is occurrere illi iussit Octauium Vicecomitem, ex intimis Cubicularijs unum: qui gratularetur incolumem accessum, & de suscepto munere ageret grates. At Nonis Septembribus cùm primùm accepit, eum iam iam Bruxellas intraturum; Archidux ipse cum principibus Viris omnibus, ac Magnatibus, quos apud se frequentes habebat, ad eum excipiendum, obuiàm processit mille passibus extra Vrbem. Quòd verò tam festinatò, ac tam paucis comitantibus aduenisse illum vidit; suspicio Albertum inuasit, nè potiùs ad excusandum se coràm ab onere, quàm ad idem subeundum aduolasset. Verùm ut promptissimam in eo cognouit sibi gratificandi voluntatem; longè maioribus honoris, beneuolentiæ, lætitiæ argumentis eumdem complexus est. Magnifico exceptum curru in Vrbem deduxit, ingenti omnium Ordinum

Læta, & honorifica eius exceptio.

1598. dinum multitudine latera,ac terga stipante;quæ solito frequentior ad eum visendum, venerandumque confluxerat. Iam enim antegressa fama vulgarat: Principem eum esse spectabilem inprimis, non modò formâ oris, & corporis totius, quæ dignitatem sustineret illius, & maioris imperij: sed eâ quòque suauitate morum, comitate sermonis, magnificentiâ, & splendore vitæ; quæ omnium sibi animos facillimè deuincirent. Quare iam Belgæ, quos recturus erat, optimam spem de ipsius administratione conceperant.

Albertus è Belgio discedens, Andreã relinquit cũ summa potestate.

Dies octo cum Andreâ Cardinali moratus Archidux: recentem Belgij statum aperuit, docuitque, quo loco tum Regiæ, tum Fœderatorum res essent: quid ad harum progressus coërcendos; ad illas promouendas opportunius videretur: aliaque de totâ gubernatione subiecit. *Graue sibi admodum esse*, testatus est, *munus ei committere tot difficultatibus implicatum, tot obnoxium periculis: sed multum tamen in eius prudentiâ, cæterisque virtutibus fiducia se habere. Et quamquam rerum, & temporum conditionibus probè perspectis, satis sibi futurum esset, si redux ab Hispaniâ Belgium haud deteriore, quàm relinqueret, loco reperiret: Cardinalis tamen Andreæ in alijs muneribus exploratam animi magnitudinem, regendique scientiam multò feliciora polliceri*. Nè verò verbis tantùm in commendationem compositis, quam præceperat animo, rei bene gerendæ opinionem declarare videretur; factis ipsis eamdem repræsentauit. Neque enim fidelis administrationis iuramentum, aut sponsionem aliquam exigere ab eo voluit suo, vel Isabellæ nomine, in discessu: sed amplissimam illi, & quantam ipsemet iam Princeps haberet, attribuit in pacis, ac belli rebus auctoritatem. Ordines præterea Belgicos, ut eum consilio simul, operâque iuuarent, vehementer hortatus est. Denique decimo octauo Calendas Octobris proficiscens, nè ad Palatij quidem limen, ut se comitaretur, illi permisit.

Ante verò quàm Archidux iter susciperet Hispaniam versùs; eundum in Germaniam fuit, ut Margaritam Austriacam, Caroli Archiducis Filiam, Græcij in Stiriâ degentem, unà secum adduceret. Ea quippe Hispaniarum Principi, Regnorumque mox hæredi futuro, desponsa fuerat. Et quandò ad suas cum Isabellâ nuptias celebrandas, petiturus erat Hispanicam Aulam Albertus: ab Rodulpho Cæsare Fratre, atque ab Auunculo, Soceroque Philippo Rege rogatus fuit, uti Margaritam, eiusque Matrem Archiducem, pro tam appositè natâ opportunitate, è Germaniâ deduceret in Hispaniam. Addidere se comites in hoc itinere Philippus Nassauius Arausionis Princeps, Barlæmontius

Archiducis comites in itinere.

Oranges.

Comes, Philippus Croyus Solræus Comes, & Comes Egmondanus: quos præ cæteris quatuor destinarunt Ordines, ut publico Belgarum nomine Philippo Regi, Filioque Principi gratias agerent, atque Isabellæ Infanti gratularentur. Neque alij deerant in eo comitatu Proceres magni nominis, & clari sanguinis: Aumalæ Dux, Hispaniæ Magnatibus cum Arausionio, siue Auraico non ita pridem adscriptus: Comites Lignius, Barbansonius, Fontenaius, alijque, quos enumerare non est operæ.

Grandi.

Pridie quàm itineri se committeret Archidux, Philippus Rex Hispaniarum potentissimus, quem veneraturus coràm, & gratijs cumulaturus ille discedebat, non leui Christianæ rei iacturâ, ereptus est ex humanis. Quamquam nuncius tam luctuosus non antè ad Albertum peruenit, quàm ipse Virtembergicum Agrum attigisset. Postulare suo iure videtur hic locus, ut de tam inclyti Regis supremis, excessuque memorabili, pauca perstringantur: dotesque magnæ illius animæ singulares, quæ sæculi superioris, & præsentis famam occuparunt, huius quòque laboris partem illustrent. Neque aliena à Belgici narratione belli censeri debet eius commemoratio Principis, cuius post discessum è Belgio illud erupit, per absentiam inualuit; cuius auspicijs, milite, pecuniá tot annos prorogatum est.

Nuncius de morte Philippi Regis.

Septuagenario maior erat Philippus Rex: cùmque tam vastum terrarum, ac marium possideret imperium, ut Solem orientem, atque occidentem exciperet in suo; imperium tamen sui corporis nullum habebat. Oppressi namque articulorum doloribus artus omnes, spiritum illi reseruabant magis ad pœnam, quàm ad vitam. Annum iam alterum cum eo morbo luctatus, erecto quidem semper animo fuit, sed corporis viribus ita prostratis, ut pedibus insistere toto biennio nequierit: & cui gnarum erat, fortem Virum decere stantem mori, nè viuere quidem stanti tamdiu licuerit. Accesserat malorum cumulus febris, quæ lentis, assiduisque ardoribus interiores corporis partes exedens, cutim tantum reliquerat ossibus superinductam. Aquæ præterea intercutis non minùs molesto, quàm insanabili morbo cruciabatur. Eruperantque in dexterâ manu, ac pede ulcera fistulosa, quæ non modò fluente identidem materie magnum horrorem spectantibus incutiebant: sed tam acerbos quòque dolores ægrotanti creabant, ut vel tenuissimæ lodicis contactus adureret: eisque tolerandis par unus inuictus Philippi animus, ab eius Administris domesticis crederetur. Tot incursu malorum, tanquam Diuinitatis admonitu, cùm se iam morti proximum intelligeret Rex: ut ad eam rite sanctèque obeundam

Mortis eius narratio.

Morbus Regis extremus, diuturnus atque atrox.

Ceruera Turrianus lib. de felici excessu Philippi Secundi. Salazar de Mendozza de dign. Hispan. lib. 4. cap. 4. Gaspar Ens lib. 19. Hugo Grotius histor. lib. 7. Botereius l. 5. Beyerlinch, & Haraus Ann. 1598. Bulengerus Histor. l. 10. Thuan, lib. 120. Bentiu. l. 4. Petr. Matth. Hist. Gall. lib. 1. Narr. 4.

se

1598. se instrueret accuratiùs, ab Aulâ Madritanâ secedere statuit in solitarium, ac religiosum locum, ubi soli sibi vacare posset, ac Deo. Igitur in eas ædes deportari se iussit, quas propè Escuriacum, Oppidum Segobiensis Agri, magnificentiâ planè regiâ exædificarat Laurentij Martyris nomini, Ordinisque Hieronymiani religiosis Viris. Et quamquam nè itineri se committeret, Medici vehementer orarent, valde id noxium, affectæque valetudini perniciosum affirmantes: animi tamen quieti, æternæque salutis præparationi periculum exasperandi morbi, mortisque accelerandæ posthabuit.

Madrito Rex in Escuriacum defertur.

PRIDIE Calendas Iunias Madrito deportatus in Escuriacum. Ibi non multò pòst admodum ingrauescente morbo, ita lectulo affixus est, ut per dies tres supra quinquaginta, hoc est usque ad supremum, non modò cubili, sed nè loco quidem, ac positione corporis moueri potuerit. Imò ex solo ulcerati pedis motu lethales cruciatus perpeti sese, animus ille cæteroqui tam generosus, testatus est. Supinus itaque, & ore in cælum, quò anhelabat, conuerso, toto eo tempore iacuit. Vt non temere nactus videretur morbo extremo locum Laurentio Martyri sacrum: quasi eum ob oculos habens in ferreo lecto cubantem, ac flammis assurgentibus circumseptum, exemplo illo plusquam Heroico se consolaretur, cubili firmiter damnatum, doloribusque sæuissimis obsessum. Hos verò cùm incredibili tolerantiâ perferret; eas identidem voces iterabat. *Vtinam hi cruciatus meorum criminum piacula sint*. Aliàs in Deum erectus, eiusque se totum immolans arbitrio; Diuina illa verba usurpabat. *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Cùm verò morborum, & cruciatuum progressu deficere se magis magisque experiretur in dies, à Medentibus sedulò quæsiuit: an sua desperata iam salus esset. Illi mortem, rem omnibus acerbam, sed ijs maximè, quibus plurium, ac maiorum est facienda iactura; denunciare reformidantes, mussare inter se, perplexis uti verbis, timori spem interserere, plus denique rationibus humanis, quàm æternitati consulere. At, qui non corporis, sed animi Regij morbos curabat, Didacus de Yepes, Hieronymianæ Familiæ Vir religiosus, ac prudens, vel quia probè norat generosum Philippi pectus, & satis contra terrores ipsius mortis armatum: vel quòd conscientiæ Moderatoris esse ducebat, veritatem etiam Regibus aperire, quamuis futuram terribilem, atque odiosam: liberè, sincerèque præmonuit: *Haud procul abesse momentum illud temporis, ex quo pendet æternitas*. Hunc nuncium, ad quem sponte naturæ inhorrescere Mortales solent; Rex non modò interrito, immutatoque, sed

Eius in magnis doloribus constantia.

De morte fit certior ab animi Curatore.

etiam ſereno, ac læto accepiſſe dicitur vultu. Eique, qui tam intrepidè illum, ingenuèque attulerat, hanc quaſi pro ingenti beneficio gratiam rependit, ut ipſum blandiùs, quàm unquam antea, tùm fuerit allocutus. Igitur in hanc curam ſtatim totus incumbere, ut ad tantum itineris peragendum, feliciter accingeret ſeſe. Quare principio culpis omnibus, non ſolùm quas à poſtremâ confeſſione, ſed quas toto ferè vitæ tempore contraxerat, animum alleuare conſtituit, quò liberior, alacriorque deuolaret in Cælum. Tres omnino dies Rex tantus perſtitit ad Tribunal animorum Reus. Nec tam profuſâ peccatorum expiatione contentus; quoties in conſpectum veniebat idem Didacus, qui ei iamdudum à Confeſſionibus erat; veniebat autem ferme quotidie: toties obuerſantes menti conſcientiæ labes in eius aures exonerabat. Imò ad eumdem ſcribi ſuo nomine voluit, & per Chriſtophorum de Mourâ, qui præ cæteris intimus, & continuus erat Regis, ſcripta perferri; mox ab ipſo Didaco accedente recitari coram ſe, antequam peccata fateretur. Hæc autem erant verba à pietate ſummâ, & conſcientiâ integerrimâ dictata. *Pater, Dei locum obtines. Teſtor coram Diuino eius conſpectu, ea me facturum omnia, quacumque neceſſaria dixeris ad ſalutem meam. Per te ſtabunt ea, quæ non fecero. Ad cuncta quippe, quæ iuſſeris, exequenda paratus ſum.* Tantùm ab illâ tot Nationibus adoratâ maieſtate deſcenderat: ut qui pluribus iura dederat Mundis, & cuius ab nutu terræ, maria, pax, & bella pendebant; pauperis unius, ac religioſi hominis dicto audiens eſſet, & faceret imperata.

Quàm gratum id Regi.

Triduana peccatorum confeſſio.

Obedientia erga eum, qui a confeſſionibus erat.

Vt verò penitùs à mortalibus erigeret animum ad cæleſtia; in quo iacebat cubiculo, ab omni parte parietibus affigi voluit Chriſti è Cruce pendentis, Caſtiſſimæque Matris eius Imagines. Ita quòcumque oculos conuertebat, unicum illud, ac ſummum Exemplar patientiæ, benigniſſimam illam ærumnarum Conſolatricem aſpectabat. Quin aliorum etiam Cælitum præſentem opem aſſiduâ religione, cultuque implorabat: dum Sanctorum Virorum ſacra oſſa pretioſis incluſa lipſanothecis, quibus Diui Laurentij Templum copioſè ditauerat, ad ſe quotidie deportari iubebat, atque in arâ coram ſe poſitâ collocari. Eadem ori ſuo propiùs admota ex imo cordis ſalutare, venerari, exoſculari non ceſſabat: perinde quaſi, uti circumſtantium nonnemo pronunciauit, ab eorum corporibus diſcedendi veniam peteret, ut eorumdem animis iungeretur. Statim à ſumpto cibo, recedentibus ijs, qui miniſtrauerant; afferri ad ſe mandabat Sacrarium, ſiue Oratorium translatitium; ut cæleſtium contemplatione rerum, longè lautiore paſtu, reficeret animum: aut cum Cælitibus

Summa religio.

1598. bus Patronis suis suauissimè colloquendo, verè tunc esset minimè solus, cùm solus esset. Imò alijs etiam horis, quoties remotis arbitris solitariè degens inuentus est; toties deprehensus oculis in Christi Cruci affixi simulacrum conuersis.

Per eos dies, quibus lecto, locoque se dimouere non potuit; quater Diuino Eucharistiæ pabulo recreatus est: quo quia die obitum antecedente caruit, cùm id deglutire non posset; nihil in morte sensit acerbius. Frequenter, & duobus postremis diebus, ac noctibus continenter tum ab Infante Isabellâ, tum à sacris, & Religiosis Viris prælegi sibi voluit pium aliquem libellum. Et legendo quidem alij fatigabantur omnes, adeò vt alterum alteri lectorem succedere Rex humanissimus iuberet: ipse verò nunquam audiendo lassabatur. Quemadmodum neque sermonibus, ad animi salutem pertinentibus, attentissimè percipiendis, vnquam se fessum ostendit. Cùmque profusum satis alloquium de peccatorum veniâ, quàm Deus liberaliter indulget, Euangelica exempla recensendo, memoratus paulò antè Didacus aliquando instituisset: ex improuiso liquit animus Regem, & quasi extremum iam spiritum exhalaret, omnes terrore compleuit. Paulò pòst vbi vigor sensibus redijt, & sensus membris; sereno ad Didacum obtutu conuersus Rex rogauit, vt cœptum pertexeret sermonem: omnibus, qui aderant, stupore defixis, quòd summum vitæ periculum nihili duceret, præ ardore salutaria verba audiendi. Tantum habebat ponderis sub ipsam mortem vnà cum vitæ processu inueteratâ constantia.

Piorum librorum auditio indefessa.

Vitæ neglectus, præ voluptate sacrorũ verborum.

Longe tamen maiorem sibi depoſcit admirationem, quòd per eosdem dies cum hoc ipso contigit animi Curatore. Animaduerterat is, toto illius morbi progressu, tantam in Rege munditiem conscientiæ, in Deum, & Cælites pietatem, vitæque cælestis amorem; ut vix quidquam haberet, quod in eo prætereà desideraret. Quare circumfusis Principibus, ac religiosis Viris affirmare, audiente Rege, non dubitauit: optare se vt ab eo morbo nequaquam conualesceret Rex: sed ex eodem ab humanis excederet. Instructum namque animi, quo tunc erat, vix aliàs obuenturum. Quod votum, cum cuique Mortalium odiosum, tum maximè Principibus Viris execrabile; & libenti animo, & hilari vultu Philippus excepit. Vt valde dubium circumstantibus foret: vtrum maiori esse admirationi deberet; an adeò nouum, atque inauditum, non pro salute, ac vitâ, sed pro morte Principis coram ipso Principe votum: an quòd aures Regiæ iucundè acciperent vocis eius sonum, cuius vel aura tenuissima, ad eas è longinquo perlata, solet acerbissimè vindicari.

Desiderari mortẽ suam sibi gratũ ostendit.

Con-

Conſentiebat ſcilicet optatum hoc Didaci deſiderio Regis, frequenter ſacris eis vocibus expreſſo. *Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.* 1598.

NEQVE ſolùm vox, aut commemoratio obitûs ſui haud quaquam erat Philippi auribus, animoque ingrata: ſed ne oculis quidem ipſa ſpecies rerum ad ſuprema ſpectantium. Menſis adhuc ad exitum vitæ ſuperabat; cùm ad ſe Rex acciri iuſſit è Monachis Hieronymianis duos. Illis mandat, ut ſepulcrum Caroli Patris aperiant: loculi magnitudinem dimetiantur: quî tecta, ac diſpoſita ſint oſſa, introſpiciant: atque ad ſe de omnibus referant accuratè. Peragunt illi iuſſa: deque cunctis certiorem faciunt Regem. Is extrui ſibi iubet ſimile ſolium. Quibus inuolui veſtibus, quo apparatu tumulari velit, ſignificat. Vni Chriſtophoro de Mourâ ſui detegendi corporis poteſtatem facit: idque aperiri vetat ad condituram. Non defuere, qui ſcripſerint, eamdem, quâ condendus erat, emortualem arcam in ſuum afferri conſpectum voluiſſe: ut domunculam illam corporis ſui contemplaretur, in quâ futura diuturnior erat, quàm in amplitudine Regiarum ædium commoratio. Et quemadmodum Carolus Parens adhuc viuenti ſibi, & coràm aſſidenti celebrari exequias iuſſit, & funebres cantus Chriſtiano more perſolui; vel ut præuiſa mortis iacula minùs ferirent; vel ut ſanctis illis circa mortuos ritibus anticipatis, paulatim aſſueſceret ſanctè mori: ita Philippus, à tanto Parente non degenerans, ante obitum habere tumulum ſuum ob oculos voluit: ut calicem prægustaret, amarum alijs, ſibi, bonisque omnibus prædulcem; & minimè noxium experiretur, ſi quid eſt in morte veneni; quandò Regis alterius veteris exemplo, illud antea ſummis labris libauerat. Ita magnæ illæ Animæ, ac prorſus Heroicæ, cum ultimo terribilium colludebant: & quod vel longè poſitum vulgus Mortalium adeò perhorreſcit; laceſſere, atque inuitare non dubitabant.

Loculum ſibi fabricari iubet.

Aſtan. Cardin. Columna in orat. fun. Hareus, & alij.

IAM vita Principis quotidie magis declinabat in mortem. Iubet ipſe decimo ſeptimo Calendas Septembris, Pontificium Nuncium accerſiri. Erat is Camillus Caietanus Alexandrinus Patriarcha. Vbi adfuit, & iuſſu eius adſedit; pauca Rex de grauitate morbi, de mortis propinquitate, deque animi ſui ad omnem Dei nutum præparatione præfatus: ab eo, atque à Pontifice Summo ſuorum omnium criminum veniam, & Apoſtolicam benedictionem expoſcit. Nuncius tam triſti tempore, tantam vultûs ſerenitatem, atque in auguſtiſſimo Principe tam religioſum animum vehementer admiratus; poſt multa verba pro re op-

A Pontificio Nuncio, atque ab ipſo Pontifice veniam, ac benedictionem accipit.

1598. opportunè, pro personâ sapienter prolata, quàm potest amplissimam, Pontificis nomine, cuius vicem exhibebat, supplici Regi indulgentiam impartitur. Cùmque ad eam ipsius Pontificis auctoritate confirmandam, certum hominem Romam transmisisset; hâc etiam parte benignissimum erga se Deum expertus est Rex: ut antequàm ipse occumberet, cum optatissimo illo munere reuerteretur.

DVODECIM postremis diebus Regiorum negotiorum omnem ab se curam Philippus amouit: ut in unum totus incumberet negotium æternitatis. Sacris Ecclesiæ Christianæ, Catholicæque mysterijs omnibus communiri adeo præfestinauit: ut multis ante supremam horam diebus, voluerit eo sanctitatis oleo perungi, quo Christi Athletæ solent ad extremam cum hoste Tartareo luctam præparari. Ei sacræ cæremoniæ peragendæ se nunquam interfuisse, tùm demum animaduertit, atque indoluit Rex. Adeò magnorum Principum oculis ea obiectantur spectacula, quæ placent, non quæ prosunt. Quare ut ad sacram eam rem non modò paratus, sed supra quàm necesse erat, instructus esset; ex intimis Cubicularijs unum adire iussit ad Virum doctissimum Garziam de Loaisâ, Toletanum Archiepiscopum designatum: ex eoque percontari, quæ partes corporis essent inungendæ. Tùm à conscientiæ suæ Moderatore de toto eo ritu, eiusque usu, ac formulis ex Rituali libro singillatim, ac diligenter voluit edoceri. Quin etiam ad sacram inunctionem maiore, ut animi, ita corporis munditie, ac veneratione suscipiendam, præter expiatas nouâ confessione culpas; ablui, purgarique manus suas, & præsecari ungues mandauit. Denique, ubi sancto imbuendus oleo fuit ab eodem Antistite Toletano, adesse iussit, in coronâ nobilium, ac religiosorum Virorum, Principem quòque Filium: ut quod in se damnabat, emendaret in Successore; tanti momenti rem non antè cognouisse de visu, quàm usu cognoscere cogeret postrema necessitas. Sacris illis cæremonijs cum summâ pietatis significatione peractis; tanto Philippus gaudio se delibutum sensit, ut palàm testaretur, nullam sibi lætiorem horam vitæ uniuersæ spatio effluxisse.

Quam minuta diligentia se pararit ad extremam sacram inunctionem.

INDE ad Principem Filium conuersus: *Aspice* (inquit) *Nate, quò demum humana omnia vergant. Huc illa recidunt tantâ ambitione quæsita, tot custodita laboribus, animique periculis imperia, ac diademata. Quò me vides ex illo tot Regnorum fastigio delapsum; & ipse deijcieris aliquando. Id tibi curæ sit unicè: talis ut viuas, qualis optes à morte deprehendi. Tria præ cæteris tibi, Nate, super magni hæreditatem Imperij lego, enixèque commendo: Christianæ Catholicæque Fidei*

Monita ad Filium salutaria.

Fidei aduersùs sectas omnes indefessam defensionem: Romanæ, atque Apostolicæ Sedis reuerentiam, ac venerationem: iustitiam in subiectos Populos nullo tempore violandam. Hæc elocutus, fusiorem in scriptis Regiæ vitæ normam (quam olim Sanctissimus Galliæ Rex Ludouicus Philippo Filio reliquerat) Didaco de Yepes tradidit; ut statim ab obitu Philippo quòque suo prælegeret. Quod mandatum sanctè perfectum fuit. Aliam eidem Didaco schedam dedit, Philippo Tertio iam inaugurato reddendam: in quâ ratio diligenter exponebatur magnam illam tot Regnorum molem prudenter, christianèque administrandi. Ita non minùs prouidum Parentem in Filio ad rectè gubernandum instituendo; quàm religiosum hominem in animi sui salute comparandâ, prudentissimus Rex vel sub ipsam mortem se gessit. Hanc verò quasi iam in votis haberet; postremis diebus tum à Medentibus, tum ab alijs identidem quærebat, an hora sua venisset. *Eia* (dicebat) *monete me, quando aduenerit: volo enim cum Deo meo loqui.* Quasi cum sacro Vate suspiraret: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?*

Bidvo demum antequàm animàm efflaret; in eius se dedere conspectum perfusi lacrymis Philippus Princeps, atque Infans Isabella: ut optimo, atque amantissimo Parenti supremum vale dicerent; ac nouissima eius verba bene sibi precantia, cum extremis mandatis acciperent. Rex eo aspectu nihil à constantiæ suæ tenore dimotus, sereno ut semper vultu; Isabellam Principi magno verborum pondere commendauit. Tùm ad eam non minore animi sensu pauca, sed summè salutaria profatus est. *Visum Deo non fuisse, ut quod in votis perpetuò habuerat, eam antè matrimonio iunctam videret, quàm ipse è viuis excederet. Rogare, ut qualem vitam apud se ad eam diem traduxisset, ab se dissociata continuaret in posterum. Curam in primis omnem impenderet, ut in Belgicis prouincijs, quas et dotales relinquebat, Catholica Fides augeretur. Hunc namque eius consilij sui finem fuisse præcipuum. Sperare se, minimè neglecturam Filiam adeò semper obsequentem, quod amantissimus Pater ab eâ postremò discedens tantopere iniungeret. Idem studium Alberto Coniugi, cùm primùm in eius conspectum veniret, suo nomine plurimùm commendaret.* Hæc ubi dixit, eiusque manum ambo Filij reuerenter iuxta, atque amanter osculati sunt; bonorum omnium copiam, ac præsertim cælestium, à Deo utrique precatus, eos ab se lacrymantes, immotus ipse dimisit.

Verba nouissima ad Filios.

Per idem ferè tempus, tanquam arcanum quemdam thesaurum Principi sub obitum patefacturus; pretiosam ad se deferri iussit arculam: ex eâque deprompsit Christi è Cruce pendentis

1598. dentis ſimulacrum, & duo conſerta è funiculis flagella; quorum alterum uſu detritum erat, ac ſanguine coloratum. Tùm ad Filium: *Hæc*, inquit, *auitæ pietatis monumenta ſunt, utinam in omnem itura poſteritatem. Hanc effigiem Dei Cruci affixi habens in manu Carolus Parens meus, animam tradidit in eiuſdem manus. Cum eodem ego tam bono Duce ex hac vitâ diſcedam. Tuque in hoc etiam Maiorum tuorum inſiſte veſtigijs. Flagella, quæ vides, & fortè pro tenerâ ætate horres, inſignia ſunt imperij, quod Auus idem tuus in ſuum corpus exercebat. Sanguis, quo perfuſum eorum alterum eſt, eiuſdem eſt. Venerare memoriam; imitare pietatem.* Hæc Philippo Philippus.

Caroli Quinti flagella oſtēdit Principi.

IAM ab initio nouisſimi huius morbi, Rex iteratis à Deo precibus popoſcerat, ut ſub exitum vitæ ſæuisſimis doloribus liberaretur: quò integrior, attentiorque animi ſui ſaluti operam daret. Petitioni tam æquæ clemens annuit Deus. Vno, ac dimidio ante mortem die cruciatibus omnibus expeditus, in accingendo ſe ad tantum itineris totus fuit. Patientis, ac morientis Chriſti ſacram hiſtoriam recitari ſibi, inſatiabili audiendi ſtudio contendebat. Sanctas preces, ac ſalutaria monita, quæ frequentiùs inculcata, vulgarium hominum auribus, nedum Principum delicatis, moleſta ſunt; tam auidè accipiebat, ut ipſe Religioſos viros urgeret, quò plura proferrent. Alij valentes, ac vegeti legendo, dicendo-ve fatigabantur: non ipſe moribundus audiendo. Et iam vires, & vox ſenſim deficiebant: cùm Rex nouisſimis verbis animi ſui ſenſa verisſima proditurus, & quaſi proprio ſigno vitam uniuerſam obſignaturus; quicquid reliquum erat ſpiritûs colligens, hæc pronunciauit; cuiuſuis Chriſtiani Principis morientis in exemplum itura. *Equidem ut vir Catholicus, in Fide, atque obedientiâ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ morior.* Duabus ante obitum horis tantam animi defectionem perpeſſus eſt, ut iam è vitâ migraſſe crederetur. Attamen paulò pòſt ex inopinato magnâ vi recluſit oculos, eisque defixis in effigiem Chriſti è Cruce pendentis, quam adhuc retinebat manu, oſculis eidem libandis ſatiari non poterat. Denique decimo octauo Calendas Octobris ſub auroram eâdem, quâ ſemper vixerat, tranquillitate felicem animam Deo reddidit.

Magna pietas in ſupremis.

Catholicam Fidē & moriens profitetur.

ANIMADVERSVM eſt, eâdem horâ Regem deceſſiſſe, quâ ſolemne Sacrum decantabatur à Pueris Seminarij ab eo conditi, ac dotati; quod ipſemet fieri quotidie iuſſerat pro corporis ſalute, dum viueret, animi, cùm moreretur. Vt innocentium Animarum chorus ſacris illis cantibus deducere videretur, ac proſequi abeuntem Regem, ac Fundatorem ſuum; eidemque

Mortuus, dū pro eo ſacrum fieret.

felicissimum iter ad æternitatem precari. Non ignoro, alia multa, atque ab his longè diuersa à Scriptoribus alijs de Philippi extremo tempore vulgata: sed ipsi suâ narratione se produnt, vel studio Sectarum, vel odio Nationum, prævaricatos in causâ veritatis. Nos hîc ea memorauimus, quæ paulò post mortem Regis, ab ijs, qui adfuerant obeunti, Toletani Antistitis operâ, industriâque, concepto iureiurando asserta sunt.

Vnde hausta hæc narratio.

Ceruer. Turrianus lib. de felici excessu Philippi Secundi.

A Philippo Successore de Parentis obitu literæ ad Clementem Pontificem datæ. Is verò in publico Purpuratorum Conuentu multa de Regis extincti laudibus in hanc ferè sententiam protulit. *Tam prudentis, ac religiosi Principis excessu Ecclesiam Christi magnam fecisse iacturam. Æreum eum fuisse murum pro Populo Dei, perpetuò eiusdem Hostibus obiectum. Illius vitam, continentem fuisse pugnam pro Catholicâ Fide. Religionis tutandæ studio, cultuque pietatis neminem præter eos, qui iam immortales in Cælo regnarent, posse cum eo comparari. Duplex tamen in mœrore tam communi sibi suppeditare solatium. Alterum, quòd à defuncto Rege singulari cum pietate peracta vita, transacta mors, æternæ beatitatis ab eodem comparatæ prope certam facerent fidem. Alterum, quòd in tot administratione Regnorum et rite succedens Philippus Filius, ad exemplum tanti Parentis educatus, spem omnibus daret, non minùs egregiarum virtutum, quàm ingentis imperij, se futurum hæredem.*

Philippus Tertius ad Pontificē scribit de Patris obitu.

Pontifex Philippū Secundum laudat in Consistorio.

Conciftoro.

VIXIT Philippus Secundus ultra annum ætatis suæ septuagesimum primum: regnauit ad quadragesimum tertium, Hispanorum ditione tam longè, latèque amplificatâ; ut iure pronunciari potuerit: ab Orbe terrarum condito nullum extitisse maius imperium. Animum tamen habuit tantæ molis capacem, eique regendæ parem. Ad quietem naturâ fuit, quàm ad arma, procliuior: quamquam in otio ipso semper negotiosus. Vtque erat voluptatum, etiam innocentium, abstinens, & quasi fastidiens: quod in eis tempus conterere, summi Principatûs concessu, potuisset; id totum grauibus Regnorum curis impendebat. Eas ipse partim cum Deo per suas, perque alienas preces consulto; partim cum animo suo, æquissimo rerum æstimatore; frequentissimè verò cum suis Consiliarijs in sapientissimo Senatu versare, atque in omnem partem exigere. Hinc illa lento gradu procedens deliberationum maturitas; quam præcipites hominum cupiditates tarditatem censebant. Ex eo Aulæ Hispanicæ quasi centro, rerum agendarum leges, veluti lineæ, ad extremos terrarum margines, omnemque naturæ ambitum ferebantur. Auctoritatis suæ tenacissimus conseruator fuit: gnarus eam esse gubernationis validissimam basim. Ad grauitatem aspectûs, ac vultûs

Philippi Secundi prærogatiuæ.

Io. Boterus Relat. p. 2. lib. 4.

1598. tûs seueritatem ita perpetuò compositus erat: ut ad suum colloquium accedentes illâ oris maiestate non semel attonitos reddiderit, atque elingues. Non tamen in faciendâ sui copiâ, vel alienis necessitatibus audiendis, superbiam, aut fastidium præferebat. Imò mandatum est memoriæ literarum: nunquam ipsum fusæ, ac futilis cuiuspiam orationis longissima tædia interpellasse; licèt quis regiâ patientiâ, eximioque iudicio abuteretur. Secundùm incredibilem in Deum, Cælitesque, & res sacras religionem; iustitiam in primis inuiolatam adeo seruauit; ut ipse de se, eiusque conscientiæ Moderator de eo supremis vitæ diebus testati fuerint: nihil unquam ab ipso contra æquitatem, nisi ex errore, aut per ignorantiam veri, peccatum. At Prudentia eiusdem tam in consilijs, & decretis, quàm in colloquijs, & responsis, atque in toto vitæ genere singularis, ita in confesso fuit apud omnes, ut Generis humani consensu Philippi Prudentis appellationem retulerit. Vtriusque virtutis huius in officijs præcipuè, publicisque muneribus conferendis, magnum specimen dedit. Ea quippe pro meritis, ac dignitate cuiusque, non pro gratiâ vel apud se, vel apud suos, distribuens; non minùs se solertem in cognoscendo, quàm æquum in dispensando declarabat. Verùm nescio, an ulla virtutum regiarum in eo maiorem explicuerit pompam, quàm nullis unquam commota secundis euentibus, nullis aduersis labefactata constantia. Eam visa est vel explorare voluisse, vel potiùs ostentare fortuna varietate mirabili, quâ vitam eius uniuersam ita distinxit: ut ambigi meritò possit; magis-ne in prosperis rebus moderatè accipiendis, an verò in afflictis fortiter tolerandis eius eluxerit animi firmitudo. Summæ felicitatis fuit, suo subiectam imperio videre Hispaniam omnem: Italiæ amœnissimas partes: Asiæ, Africæque tractus immensos: Insulas numero plurimas, ambitu amplissimas: alterum denique terrarum Orbem: nominis verò sui gloriam, & maiestatis existimationem per aliena quoque Regna, atque ubicumque gens hominum degit, circumlatas. Naupactææ verò victoriæ communis Christiano Mundo lætitia, singularis Philippi Regis esse debuit, cuius auspicijs reportata: quam tamen adeo parcè delibauit, ut ad primum eius nuncium nihil protulerit aliud, nisi: *Classem suam magnum subijsse discrimen*. Sed nullo se feliciorem nomine Rex ipse ducebat, quàm quòd Religionis Catholicæ Defensor acerrimus ab omnibus haberetur: & quàcumque illa periclitari posset, Philippi vires, opes, auxilia, patrocinium imploraretur.

AT in aduersæ sortis exempla Belgium præ cæteris venit, tot

Zz 2 in-

Maiestas oris.

Animi dotes præcipuæ: Pietas, Iustitia,

Prudentia,

Constantia,

Eius felicitas in amplitudine Imperij,

In victoria nauali de Turcis,

In titulo Defensoris Fidei.

Eius infortunia in Belgij damnis,

1598.

inteſtinis motibus concuſſum, tot cruentis ſeditionibus perturbatum, tot membris lacerum, atque ab Regiâ ditione diſcerptum: ut plus penè negotij exhibuerit Hiſpanæ rei pars hæc una terrarum, quàm reliquæ regiones uniuerſæ. Belgici verò belli tanquam appendices fuere tot in Indijs accepta detrimenta. In Regijs quòque infortunijs percenſeri debet inopinata maximæ, atque ornatisſimæ Claſsis, aduersùs Angliam ſoluentis, diſperſio, atque iactura: tam conſtanter à Philippo tolerata, ut quaſi per iocum diceret: *Se contra homines, non contra ventos, ac mare vim illam nauium armaſſe*. Neque ab aduerſis ſecernenda ſunt toties mutata, morte intercedente, connubia. Et ex quatuor Vxoribus vix una ſuperſtes ipſi virilis proles, quæ in tot Regnorum ſuſtinendam molem ſuccederet. Ex primâ namque Mariâ Ioannis Tertij Luſitaniæ Regis Filiâ, Carolum ſuſcepit: qui Parentem morte anteiuit. Ex alterâ Mariâ Angliæ Reginâ nuptiarum & breue gaudium, & fructum nullum tulit. Eliſabetha verò Henrici Galliæ Regis Secundi Filia Iſabellam Claram Eugeniam ei peperit; quam toties memorauimus: & Catharinam Carolo Emmanueli Duci Sabaudiæ nuptam. Quarta demum Vxor Anna, Maximiliani Cæſaris Filia, quinque eum liberis auxit: quorum ſolus Philippus Patri ſuperfuit, ac ſucceſsit. Ita plerumque in rerum omnium copiâ, eorum, qui perfruantur illis, inopia eſt. Hanc vitæ ſuæ quaſi verſatilem ſcenam theatro Regum Philippus aperuit: ut oſtenderet, in ſummâ illâ fortunâ haud maiorem eſſe materiem admirandi, aut inuidendi; quàm metuendi, ac miſerandi. In omni tamen actu, ac potisſimùm in extremo tam decorè, planèque regiè ſuas partes egit: ut venturis proponi ſæculis poſſit, tanquam abſoluta numeris omnibus Idea regnandi.

In Claſſe aduersùs Anglos euerſi.

In morte Coniugum, & periculo ſucceſſionis.

Salazar l. 4. cap. 4. Anton. Vaſconcell. de Reg. Luſit.

DE

DE
BELLO BELGICO
LIBRI VNDECIMI
S V M M A.

ALbertus Archidux Germaniam ingreſſus; cum Hiſpaniæ deſignatâ Reginâ vertit in Italiam. A Venetorum, Inſubrum, Pontificiſque Legatis honoribus cumulantur: Mantuæ Dux eoſdem excipit magno ſplendore. Maiori Ferrariæ Pontifex, & Cardinales. Idem ſponſalia ſancit tum Reginæ, tum Archiducis. Horum Ferrariâ diſceſſus. Arcus triumphales, & pompa, quâ Mediolani excepti. Sabaudiæ Ducis, & Neapolitanorum erga eos honor. Mendozzà, relictus in Belgio moderator Exercitûs Regij, Orſoyam capit: munimentum ad Rhenum extruit: obſidet Rhenobergam. Incendium in eâ à pyrio puluere. Idcirco deditur. Veſaliæ ſitus, & ſtatus. Ea redimit oppugnationem. Mendozza pluribus locis Præſidia imponit. Doëtecomum, & Schulemburgum capit. Per Cliuiam, & Veſtphaliam Copias in hyberna diſtribuit. Hinc Germanorum Principum querelæ, & conſpiratio in Regios. Cæſar quòque, & Cardinalis Gubernator indignantur. Mendozza Veſalienſibus ſuadet Catholicam Fidem: illi ſimulant. Garzadorus, Pontificius Coloniæ Nuncius, eos adit non ſine periculis. Catholicos ritus reſtituit. Andreas Cardinalis An-

Antuerpiæ tumultus Præſidij componit. Embricæ Præſidiarij fuſi à Fœderatis. Cardinalis in bellico Senatu de expeditione conſultat: Bommeliana præfertur Schenchianæ. Arcis Schenchij, & Bommeliæ poſitura. Regij à Fœderatis impediuntur, nè Vahalim tranſmittant. Illi Crepicordio potiti, Bommeliam obſident. Eruptiones inanes. Nouum conſilium capitur, obſidione ſolutâ, Arcem extruendi. Nequicquam diſturbante Mauritio, extructa, & Sancti Andreæ nominata. Ingentes ad eam conflictus.

DE
BELLO BELGICO
LIBER VNDECIMVS.

1598. Campana l. 6. Gaspar Ens lib. 19. Io. Bochius in descr. profect. Archid. Boter. l. 5. Haræus anno 1598. Thuanus l. 121. Carner. l. 13. c. 3. & 4. Reidanus l. 15. Miræus anno 1598. Bentiu. l. 5. Aug. Rocca in Itinerar. Clem. Oct. Lanarius. Coloma lib. 11. 12. Miræus in vita Alberti.

Iter Alberti Germaniam versùs.

AT Albertus Archidux è Brabantiâ digressus, Namurcum, & Lucemburgum prætervectus, ad Treuirensem, & Virtembergicum Agrum perrexit. Inde per Bauariæ fines ad Tirolensem Comitatum, suæ stirpis hæreditarium, peruenit; ubique, quâ par erat, magnificentiâ exceptus. Oenipontem, Prouinciæ caput, paulùm transgressus; eodem ferè loco, quo iam olim Carolo Quinto Cæsari Ferdinandus Frater Hungariæ, Bohemiæque Rex occurrit; eiusque rei perenne monumentum, ænea tabula factum insculptum, inscriptumque referens spectatur: Albertus obuiam habuit Margaritam Austriacam, Philippo Tertio Coniugem destinatam, unàque Parentem eius Mariam Archiducem. Coniunctis itaque comitatibus, Tridentum profecti sunt. Vbi paucos dies immorati, cùm iam ditionis Venetæ fines attigissent, ab amplissimo Senatu missos duos accepere Legatos, Paulum Parutam, & Vincentium Gradenicum, qui Reipublicæ nomine tantos Principes, quàcumque opus erat, exciperent. Interea Mediolanenses, atque Insubres uniuersi, ut primi ex Italis Hispano subiectis, futuram Reginam suam, eiusque Matrem, & consanguineum Archiducem Venerarentur: tredecim ex totâ Prouinciâ nobilissimos legerunt Oratores, qui omnis Insubriæ nomine felicissimum gratularentur aduentum: ex defuncto Rege publicam testarentur mœstitiam: enixèque rogarent, ut in eo per Liguriam itinere ad se diuertere, suâque præsentiâ Populos addictissimos hilarare nè dedignarentur. Neque desiderari se passus est in hac obsequij significatione Ioannes Ferdinandus Velascus Mediolanensis Gubernator, qui etiam in Regno Castellæ Comes stabuli erat. Et plures confluxere viri, ac fœminæ Principes visendi, ac venerandi studio: quos ingens Asseclarum numerus comitabatur. Eos debitum præstantes obsequium Regina, & Mater, & Archidux Albertus pari maiestate, atque humanitate admiserunt in Oppido, cui Bussolengo nomen. Postridie Petrus Cardinalis Aldobrandinus eòdem accessit,

Conuersio in Italiam cum sponsa Regis Hispani.

Venetorum ad eos Legati.

Insubrum Oratores, & obsequia in suam Reginam.

Summi Pontificis ad eamdem Legatio.

1598.

sit, Summi Pontificis nomine Principes eosdem salutans, atque in Vrbem Ferrariensem inuitans, ubi tùm Pontifex agebat, & paratus erat ad Regum, Principumque sponsalia auctoritate sacrâ sancienda. Quamquam ad eumdem finem præmiserat Clemens Archiepiscopum Mattheuccium; à quo etiam de Reginæ progressu certior fiebat in dies.

Mantuæ Ducis in Regina excipienda magnificentia.

E Venetis finibus, in quos incredibilis factus fuerat Populorum accolentium concursus, ad Mantuanos processere. In his ad Padi ripas quatuor Equitum turmæ, varijs distinctæ coloribus, ornatuque spectabiles, iussæ fuerant ab Duce Mantuæ Vincentio Reginam opperiri. Mox ipsemet Dux cum triginta è primariâ Nobilitate Viris, ad eam salutandam, equis subinde commutatis, properauit. In Oppidis ultra, citraque fluuium sitis & Principes, & ingentem eorum comitatum, quâ decuit, magnificentiâ excepit. Vbi verò migrandum fuit; plurima erant ad flumen traijciendum prompta nauigia: sed insignis præcipuè moles, ac planè Regia, argenteis undique peripetasmatis conuestita, splendidisque thalamis, atrijs, triclinijs distincta, oculos ad sese omnium rapiebat. Quam cum Regina, cæterique summi Principes conscendissent; & mensas inuenere lautissimas, dapibus, bellarijsque instructas; & musicos Choros suauissimis concentibus personantes: ut non minùs aures, quàm ora, suo quæque iucundissimo pabulo recrearentur. Hæc harmonia, dulce itineris leuamentum, per Padum secundo cursu delatos Ferrariam usque comitata est.

TRIBVS procul Vrbe millibus passuum, Insula locus dicitur; in quem sub vesperam prouecti, noctem ibidem transegere, à Pontificiâ familiâ lautissimè habiti. Postero mane Cardinales duo Bandinus, & Blantrata, seu Sancti Clementis, cum ingenti Præsulum comitatu, duabusque Cohortibus Equitum aduenere, Reginam, ac Principes à Pontifice salutatum. Post meridiem inde Ferrariam versùs iter susceptum. Cùmque non procul abessent portâ, quæ ab Angelis appellatur; in ligneo quodam ædificio ad rem præsentem excitato, splendidèque conuestito, tamdiu morati sunt, donec eòdem Cardinalium Collegium, ad excipiendos pro dignitate Principes, conueniret cum suis familijs, atque omni, quæ Ferrariam confluxerat, Nobilitate. Reginam, cæterosque Principes, Purpurati Patres honorificè salutarunt, communem testati ex eorum aduentu lætitiam. Tùm inclinato in vesperam die, ad Vrbem in hanc ferme speciem processum est.

Ad Ferrariæ portam Regina excipitur a Collegio Cardinalium.

POST impedimenta, ac Reginæ lecticam, & carpentum, duæ gra-

1598. gradiebantur Centuriæ Comitis stabuli, ad custodiam corporis constitutæ, funebribus tamen vestibus ex Regis morte pullatæ. Plures adequitabant Aulici, quos cum ordine Tubicinum Equites obuiàm missi à Pontifice sequebantur: tùm Archiducis, & Comitis stabuli nobiliores Aulici lugubribus induti: quibus succedebant, qui clauas argenteas præferunt Cardinalibus. Hi verò nouemdecim numero, violaceis tecti vestibus, pompam hanc maximè honestabant; Pontificiâ Heluetiorum Custodiâ proximè præeunte. Eorum venerabile claudebant agmen Sfortia, & Montaltus: qui mediam acceptam Reginam comitabantur. Ponè ibat eius Mater, atque Albertus Archiduces. Subsequebantur Comes stabuli, Ducesque Aumalius, & Gandiensis, Auraicus Princeps, alijque complures. Postremi veniebant Archiducis Equites Sclopetarij, & Pontificij Velites, & curruum, ac lecticarum numerus ingens, quibus frequens Virorum, Fœminarumque Nobilitas vehebatur. Ingressi sunt omnes hâc pompâ Ferrariam; quò paulò antè Româ se contulerat Pontifex Clemens, ut eam Vrbem in ditionem reciperet Romanæ Sedis, ad quam fuerat anno superiore cum suo Ducatu deuoluta.

Pompa ingressus in Vrbem.

Campana. Io-Bochius.

Caualli leggieri.

PER triumphalem Arcum in foro Templi maximi erectum; & præter ædes Oratoris Cæsarei, picturis insignibus, & statuis, alijsque honoris, & gaudij argumentis ornatas, ad Ferrariensis olim Ducis Palatium deuenerunt: ubi tùm Pontifex residebat. Hic in Aulâ maximâ, lateribus assidente coronâ Purpuratorum, maiestatem in terris ab Diuinitate secundam pro dignitate sustinebat. Dumque ad eum, Sacrumque Senatum, in Gentis Austriacæ laudem, breuem habuit orationem Bernardinus Scottus Mediolanensis; in proximo conclaui Regina, & Principes detinebantur. Eâ verò absolutâ, ad Pontificij pedis, & manûs osculum accessit prima omnium Regina; cui sese Pontifex leniter acclinauit, & maiestate manûs salutare signum Crucis imposuit, felicemque gratulatus aduentum est: secundo loco Archidux Mater; Albertus tertio; summâ omnes ab eodem benignitate excepti. Postridie cum Pontificio Sacro interfuissent tres ijdem Principes, ad Pontificiam quoque mensam assederunt; Reginæ ministrantibus in primis Mediolanensi Gubernatore, Oratore apud Pontificem Hispano, & Gandiensi Duce.

Regina pedem & manum Pontificis osculatur.

DOMINICO verò die, decimo septimo Calendas Decembris, qui dies dictus erat Regiarum nuptiarum cæremonijs; conuenere tres Principes cum suis familijs, Nobiliumque comitatu innumerabili, in Templum Vrbis maximum, Episcopi sedem; quod erat ab omni parte regali magnificentiâ instructum. Di-

Sponsalia Regum Hispaniæ, & Principū Belgii à Pontifice confectāutur.

Duomo.

uinam rem ipſe Pontifex fecit: aderat Cardinalium Collegium uniuerſum: ſuauiſsimis Muſicorum concentibus omnia reſonabant. Regina lugubribus depoſitis, & ſplendidis induta, tam ſumptuoſo ſe ſpectabilem obtulit ornatu, ut eam verisſimè margaritam illigatam in auro nominaſſes. Archidux etiam Albertus funebribus exutus, lætioribus, ac planè nuptialibus inſignis veſtimentis apparuit. Quam publicæ lætitiæ ſpeciem omnis eorum Familia, & Comitatus, cæterique cum ſuis Aſſeclis Principes præ ſe tulerunt. Apoſtolorum ſymbolo inter Sacra ſolemnia decantato; Regina, duobus Cardinalibus, Odoardo Farneſio, & Antonio Fachinetto mediam deducentibus, ad Pontificis ſolium acceſsit. Ponè ſecuta eſt Parens cum illuſtrium cœtu Matronarum. Adfuit ex parte alterâ cum Principum Comitatu virorum Albertus. Quoniam verò utriſque nuptijs celebrandis arctæ conſanguinitatis obex intercedebat; conceſsit Pontifex auctoritate Apoſtolicâ, nè obſtaret. Tùm Regio mandato publicè prælecto; matrimonium ſanxit Clemens inter Philippum Tertium Regem, cuius perſonam ſuſtinebat Albertus Archidux, & præſentem Reginam Margaritam. Cui ſtatim ſuum ad ſolium reductæ gratulati ſunt omnes maieſtatem Imperij, vix par inuenientis in terris. Albertus indè per eumdem Pontificem connubium init cum Iſabellâ Hiſpaniarum Infante; cuius procuratorem agebat Sueſſanus Dux, Regius apud Pontificem Orator. Sacrificio peracto, Regina cum Parente, Alberto, Sueſſano Diuinum Panem ab ipſius manu Pontificis accepit. Aureâque ab eodem roſâ donata eſt, munere Pontificio Principibus impertiri ſolito.

1598.

Dies ille totus ludicris, lætisque ſpectaculis, & pompis traductus: ab eis tamen abſtinente Reginâ, quòd ſe Deo tam præſenti dignatam, abnueret profanis aſpectibus temerare. Interfuit verò poſt duos dies Dramati ſacro Iudithæ, quod ab Iuuentute Societatis Ieſu Scholas frequentante peractum eſt coram ipſo Pontifice (cuius iuſſu inſtitutum) magnoque illo Principum concurſu. Alia quòque multa ſpectacula per eos dies, quibus Ferrariæ morati ſunt, tres ſummos Principes oblectarunt: cùm ipſi mutuò & ſpectaculo cæteris, & miraculo eſſent Auſtriacæ benignitatis, modeſtiæ, pietatis.

Campana. Bochius. Angel. Rocca in Itinerario Ferrarienſi Clementis Octaui.

Decimo quarto Calendas Decembris exceſſere Ferrariâ, Petro Cardinali Aldobrandino, cum ingenti Præſulum numero, comitante. Mantuanam rurſus ditionem, & principem eius Vrbem ingreſſi, Gonzagarum Ducum ſplendoris, ac magnificentiæ in molibus erectis, in conuiuijs, in pompis, in ſpectaculis egre-

Regina, & comites Ferraria diſcedunt.

1598. egregium iterum ſpecimen habuere. Inde Cremonam profecti: ubi eos Genuenſis Reipublicæ Legati quatuor, ad cohoneſtandam conſpectu ſuo Vrbem Liguriæ caput, publico nomine inuitarunt. Annuit officioſis poſtulatis Regina. Tùm Mediolanum versùs iter inſtitit. Hæc Vrbs venerationis erga ſuam Reginam, ingentiſque ex eius aduentu lætitiæ ſignificationibus cuiuſuis generis, alias Vrbes omnes facilè ſuperauit.

Mediolani plures triũphales Arcus erecti.

PRINCIPIO non unus, aut alter, ſed omnino ſeptem ad Regium ingreſſum triumphales excitati ſunt Arcus. Quorum primus ante Vrbis portam, ad æmulationem Romanorum, è politis marmoribus conſurgebat: quæ varijs inſculptis rerum imaginibus, emblematis, inſcriptionibus Margaritæ Reginæ laudes, & gloriam præferebant. Alter ponti Nauilij fluminis impoſitus, è conſuetâ materie, Philippi Secundi Regis erat undique præconijs oneratus. Tertius ad caput ampliſſimæ viæ, quam à curſu denominant, Philippi Tertij varijs rationibus expreſſos honores ſuſtinebat. Vlteriùs, quà eadem via flectitur in angulum, atque inde dirigitur ad Templi maximi forum; Arcus erat Archiducis Alberti laudibus inſignitus: quem prope viſebatur viuis lineatum coloribus Hulſtum, non ita pridem ab eodem captum. In ipſo autem ingreſſu fori quintus erigebatur Arcus, res ab Gubernatore præclarè geſtas, quà picturis, quà characteribus obiectans oculis Spectatorum. Sextus in fronte Pontificalis Templi, eius excelſitatem, ac latitudinem æquans, Regis, ac Reginæ maieſtati ſacro matrimonij nexu coniunctæ, ac geminatæ dicatus erat. Poſtremus ante Regias ædes extructus, & quaſi ad tantas attollendas virtutes, terreſtres Arcus haud eſſent ſatis; petitus videbatur è Cælo. Iris namque erat argentea, ſed uſitatis coloribus variata, duabus item argenteis nubibus utrinque inſiſtens. Per ſeptem hos aditus triumphales invecta eſt Mediolani cum ſuo Comitatu Regina pridie Calendas Decembris. Non Vrbem unam, ſed Italiam uniuerſam in unum coactam ſe viſere rata eſt: tantus erat in vijs, & compitis, domibuſque circumiectis multitudinis infinitæ concurſus. Ædium facies ab utroque viarum latere magnificis aulæis conueſtitæ, & picturis pulcherrimis exornatæ: viæque carbaſeis umbraculis contectæ. Ante Vrbem verò plurima erant collocata tentoria ad immorandum, dum pompa diſponeretur.

Pompa, qua ibidem excepta Regina.

VBI parata omnia; tres Haſtatorum Equitum turmæ cæteris præiuere. Sequebantur complures Inſubriæ Principes, alijque Nobiles Viri à finitimis quòque regionibus ad ſpectaculum euocati. Proximi erant Mediolanenſis Ducatûs Adminiſtri, & Ma-

1598.

gistratus, Vrbis Senatores, & qui magnus Cancellarius appellatur. Indè Gubernator: tùm Regina sub argenteâ umbellâ, eiusque ad læuum latus Petrus Cardinalis Aldobrandinus: post hos Reginæ Mater, atque Albertus Archiduces. Horum omnium ibant ad latera principio Securigeri Milites, ad custodiam Reginæ, Archiducis, & Gubernatoris addicti: tùm ducenti lectissimi Iuuenes è primariâ Mediolanensi Nobilitate, & ipsi auratam securiculam præferentes: postremò circa Reginam Ciues præcipui viginti, purpureis holosericis vestibus insigniti: quorum sex umbellam regiam sustinebant. Post Archiduces, aliosque Duces, Præsules, Principes, Equitum Hastatorum tres aliæ turmæ agmen claudebant uniuersum. Tam spectabili pompâ ad maximum Vrbis Templum, festis ubique acclamationibus, & musicis concentibus comitantibus, processerunt. Ibi solemnibus Deo gratijs decantatis, ad Regium Palatium itum est.

Alabardieri.

Baldacchino.

TRIBVS ferè mensibus Regina perstitit Mediolani, tum ob hyemantem annum itineribus importunum, tum quia recens luctus ab Rege extincto, non patiebatur Hispaniam nuptialibus gaudijs indulgere. Quo tempore, & religiosis exercitationibus per sacras ædes, pro defuncti salute, multum operæ datum est, ut Austriaca pietas postulabat: & concessum aliquid ex more populari lætitiæ, per eos præsertim dies, quibus hodieque solent homines, libertate plusquam decembri, in omnem licentiam debacchari. Nec defuere notabiles virorum Principum concursus ad Reginam, Archiducesque salutandos. Sabaudiæ Dux in primis fuit: qui pretiosis in digressu muneribus Reginam, Archiduces, Aulamque omnem cumulauit. Ab Regno quòque Neapolitano quatuor aduenere Legati cum oblatis Reginæ suæ donis, aureorum quinquaginta millium pretio æstimatis. Alij denique complures Italiæ Principes vel per se, vel per suos Legatos morantem Mediolani Reginam sunt venerati. Nos verò tempus monet, ut quid ab Archiducis discessu gestum in Belgio fuerit, recenseamus.

Dux Sabaudiæ Reginam inuisit.

Neapolitani ad eamdem Legati.

IAM tùm proficiscens hæc dederat Albertus mandata Francisco Mendozzæ, Aragoniæ maris Præfecto, quem sibi in armorum imperio substituerat; ut quàm maximè posset integrum seruaret Exercitum, donec ipse ex Hispaniâ reuerteretur. Idcirco arduam quamque vitaret obsidionem: nè vel Militem in eâ, vel pecuniam absumptum iret. Vias tentaret omnes ad commodum aliquem aditum supra Rhenum occupandum; ut illac, si fieri posset, patefaceret sibi ad hostilem regionem ingressum; in eâque suum Militem detineret. Quòd si minimè caderet ex sententiâ;

Alberti mandata exercitus Duci Mendozzæ.

Almirante.

Boter. l. 5. Colom. l. 11. Bentiu. l. 5.

1598. tentiâ; in Cliuiensi certè ditione, aut aliâ quâuis nulli Partium obnoxiâ, castra locaret. Id verò cautè præscriptum fuerat ab Archiduce: ut in alieno Militem alendo, pecuniæ parceretur; cuius magnam exhauserant vim, ad tot sedandos tumultus, soluta nuper stipendia: & sumptus ingentes in tam longo itinere faciendi, ad suum, ac Reginæ splendorem, erant haud minorem exacturi.

Cvm his mandatis ad Exercitum Mendozza profectus est. Constabat is eâ tempestate Peditibus septies mille Hispanis, ter mille Italis, bis mille Burgundionibus, mille Hibernis, septies mille partim Germanis, partim Vallonibus. Equites verò bis mille quingenti numerabantur. Hic numerus Militum lectissimorum Mosam traiecit prope Ruræmundam: ulteriùsque progressus, Orsoyam castra mouit, Oppidum ad sinistram Rheni ripam positum, triumque horarum itinere Rhenobergâ procul. Non satis validum tunc illud Oppidum erat: sed positione tamen cum ad alia multa commodum, tum præsertim ad fluminis aditum præcludendum. Quare Mendozzæ consilium erat id occupare, sibique communire: deinde supra ripam aduersam propugnaculum excitare: atque his, quasi claustris, ex eâ parte habere Rhenum in suâ potestate. Cumque ditionis Cliuiensis esset Orsoya, nolletque prudens Dux gentem non inimicam infestare; arte potiùs, quàm vi uti decreuit. Iussit igitur Copias fluuium traijciendi speciem præ se ferre: & Carolum Colomam, qui primum ducebat agmen, portâ per dissimulationem potiri. Maturauit is iter primo mane cum suis, & Antonij Sarmenti Sclopetarijs, & Lancearijs aliquot: atque his positis prope Oppidum in insidijs; ipse cum Alphonso de Lunâ, sexque Signiferis equitantibus, suisque famulis institit portæ tùm patenti, specie alimenti sibi aliquid conquirendi. Ac repentè Custodiam, aditumque occuparunt; non audentibus obsistere decem, aut duodecim Oppidanis Custodibus. Quippe iam Sarmentus cum suis Copijs properabat: atque ex Oppidi turri propinquantis Exercitûs signum dabatur. In foro nonnihil repugnatum; uno Hostium cæso, duobus faucijs. Verùm Edictum Germanicâ linguâ promulgatum fuit: ut Oppidani se continerent. Cui paruere tum à suis Magistratibus, tum à clementiâ Militum impulsi. Gaudens Oppido tam facilè occupato Mendozza, ibi cum suo comitatu exceptus, Aloysium Bernardum Dauilam ei præfecit. Ac probè gnarus, Oppidum sine Arce se retinere non posse, hanc à Præsidiarijs eò imperiosiùs poposcit, quòd iam partem victoriæ possideret: suspendium ijsdem interminatus, nisi

Orsoy.

Di Cleues: Coloma lib. 11.

Mendozza strategemate Orsoya potitur.

cam

eam illico dederent. Cesserunt illi statim, quam tueri desperabant. 1598.

In altera Rheni ripa munimentum excitat.

Campana. Gaspar Ens. Grotius. Haraeus. Thuanus. Carnerus. Coloma. Bentiuolus.

Loco validiùs munito; misit Mendozza Fridericum Comitem Thserembergium, qui supremi Castrorum Praefecti munus obibat pro Mansfeldio, iam ab aetate decrepitâ iustam missionem consecuto: ut cum opportuno Militum, atque Operarum numero, in Rheni alterâ ripâ, quàm celerrimè posset, munimentum extrueret. Ad eam multitudinem transportandam, pontem aptare cogitabant è cymbis, quas carris aduexerant, colligatis: sed usu compertum fuit, eas minores esse, quàm ut impetum tanti fluminis sustinerent. Eisdem ergo cymbis, sed longiore temporis interiectu, transmisere fluuium, ac prope Pagum, quem Valsum vocant, validum propugnaculum fabricarunt. Mensem, & ampliùs id operis occupauit: quo tempore Orsoyae Mendozza, Exercitus in Agro circumiacente morabatur: varijsque excursionibus longè, latèque terrorem sui nominis spargebat.

De Rhenobergâ occupandâ consultat.

In bellico deinde Senatu de Rhenobergâ inuadendâ relatum fuit. Quippe Oppidum illud hostili Praesidio validè communitum (uti dictum alibi) suis Copijs in Frisiam progressuris ab tergo relinquere, contra omnem videbatur artem rite bellandi. Accedebat, ex pestilentiâ in Oppido grassante, multosque Mortales in dies absumente, prona spes eius facilè potiundi. Imò & quia situm ad ripam Rheni, & quòd non longè dissitum à Schenchij munimento, magnae opportunitatis ad res gerendas erat. Igitur tot momenta rationum id unum peruicere, quod obiectari poterat pro contrariâ parte; Principis Alberti mandatum, ut ab arduis obsidionibus abstineretur. Verùm neque ardua, nec diuturna censenda haec erat: quandò ad loci subsidium paratus Foederatorum Exercitus nullus erat: neque Copiae regijs pares cogi ab Hostibus facilè, aut breui poterant: cùm praesertim pestilens ipsa contagio esset Obsessoribus militatura. Quamobrem omnium consensu Praefectorum, & plausu Militum, ineunte Octobri castra ad Rhenobergam obsidendam mota.

Rhenoberga obsidio.

Ad Rheni ripam id Oppidum situm est, uti nomen ipsum praefert, ambitu modicum, atque Arce flumen spectante munitum: quod antè narrauimus. Insulae, quae medium Rheni alueum tenet, è regione Oppidi, munimentum impositum nuper fuerat eo situ, ut Rhenobergam defenderet, atque ab eâdem vicissim defenderetur. Ad laeuam fluminis ripam cum Exercitûs robore maiori Castra posuit Mendozza: ad dexteram Thserembergius cum suis. Antè verò quàm Oppidum aggrederentur, Insulae pro- *Lib. 9.*

pu-

1598. pugnaculum expugnandum censuerunt. Igitur è Thsferembergij Castris vehementer illud quati tormentis cœpit. Interea tenuerunt Insulam ex parte alterâ cum Hispanis Villarius, Barlota cum Vallonibus: ex alterâ cum Hispanis alijs Coloma, cum Hibernis Estenleius. Ab his omnibus inter se (uti mos est) pro suæ Gentis existimatione certantibus & vicinior, & violentior facta concussio. Iamque se ad oppugnationem accingebant: cùm eam præuertisse fugâ Hostes animaduertunt. Quare nullo labore propugnaculo capto, Oppidum hoc tutamento destitutum, faciliùs, celeriùsque capiendi spes magna impleuit Obsessores. Quoniam verò iam Rhenobergæ subsidio aduentare cum aliquot Copijs Mauritium, increbuerat rumor; premendam arctiùs obsidionem, Oppidumque circumuallandum Regij existimarunt. Ergo locum Orsoyam versùs tenuerunt Hispani: Itali viam, quæ Coloniam ducit: Insulam memoratam reliquæ Nationes. Parte ab omni ad quatiendum tormenta disposita: quamquam solis Hispanis oppugnatio reseruabatur. Verùm nouus, atque inopinatus euentus & huic labori pepercit, & supra spem victoriam maturauit.

Horrendum pyrii pulueris incendiũ.

E pluribus Oppidi turribus una pyrium puluerem uniuersum custodiebat; cuius fenestra obiecta Castris Hostium erat: bis in uno peccante Oppidanorum prouidentiâ; tum quòd totum simul congesserant puluerem; tum quòd aditum ad eum reliquerant, vel exteris obnoxium. Accidit ergo, ut ex bombardarum globis, qui frequentes in Oppidum immittebantur, ferretur unus per fenestram turris, in quâ nitratus puluis seruabatur. Quare ab ignito globo communicato pulueri repentè igne; ille in flammas exarsit insanas: turrim illam perrupit, ac disiecit: ruinæ fragorem edidit adeò formidabilem, ut non solùm Arx vicina resultarit, ac totus Oppidi reboarit ambitus: verùm & ripæ fluminis intremuerint, & flumen ipsum quamuis ingens, ac tumidum, concussum fuerit, ac reuolutum, multasque innatantes naues penè absorpserit. In Castris maximæ auditæ soli succussiones: grauissimi lapides intorqueri per aërem visi: cinereus ex incendio nimbus usquequaque diffusus. Vt propè pœnituerit Obsessores eam contra se prouocasse insolitam tempestatem; tantumque sibi terroris, si minùs damni, suis armis accersisse. In Oppidum verò subitus ille casus tantum impetum fecit, ut pyrij sui pulueris vi in sublime abreptum, fuerit penè totum in puluerem redactum. Et præter innumeros in suarum ædium ruinâ sepultos antè, quàm extinctos; Oppidi Gubernator cum Vxore, cum Liberis vitam igni reddidit, quam à pestiferâ lue

vix

vix redimere potuisset. Ita nimirum nos mala multa circumstant, & quasi obsident: ut dum vitare studemus unum, in aliud inopinatum incidamus: & plerunque (quod hìc planè contigit) in ruinam idipsum vertatur, quod paratum fuerat ad tutamen. Attoniti ad tam inexpectatum, horribilemque euentum Oppidi Defensores; magnâque sui parte in eâ strage, atque ipso præsertim Capite diminuti, ac tormentario puluere omni, re ad defensionem adeo necessariâ, exinaniti; non potuere animis non cadere statim, nec dare victas Obsessoribus manus: cum cæteroqui non semel ab Regijs ad deditionem sollicitati, generosè semper respondissent: ultima experiri se velle. Pacti vitas, atque impedimenta, Italisque se dedere professi, vel quòd hi propiorem Oppido stationem habebant, vel quòd eorum unus Marcellus de Iudicibus præcipuè deditionem suaserat; migrarunt inde Pedites octingenti cum eâ lege, ut intra sex menses aduersùs Regios arma non ferrent. Rhenobergâ occupatâ, nouoque munitâ Præsidio, Mendozza Rheni nauigationem omnem Fœderatis interclusit.

1598.

Ea de causa facta deditio.

Campana. Lanarius.

Ad eamdem fluminis ripam inferiùs aliquantò Budericum est, Oppidulum Cliuiensis pariter ditionis. Eò cum ducenti Pedites Regij missi Præsidio fuissent; Obstitere Oppidani principio, iniuriam sibi fieri conquerentes. At ubi portarum uni flammas illi admouerunt, ac per vim sese irrupturos minati sunt; omni de iure controuersiâ diremptâ, Præsidium accipiendo, docuerunt: periculosum esse cum igne, aut ferro litigium. Alpam, quòque, leucâ distitam Rheno, Præsidiarij Milites introducti; viam faciente terrore Hispani Exercitûs circumlato.

Alijs Oppidis Mendozza imponit Præsidia.

Burch.

Ad alteram Rheni ripam Vesalia est, inferior dicta, ut ab aliâ distinguatur, quæ ad læuam eiusdem fluuij, superior appellatur. Vrbs est opportunitate sitûs, mercaturæ commodis, Ciuiumque frequentiâ, nulli adiacentium Rheno secunda. A parte sui potiore, flumine hoc alluitur: ab alterâ, Luppiâ nobili amne, qui delapsus è Vestphaliâ, eo loci se in Rhenum euoluit. Et ipsa quondam erat Cliuiæ Duci subiecta: sed interueniente hæresi, quæ non solùm ab Diuino, verùm etiam ab humano imperio facit diuortia; in libertatem se asseruit, eamque retinuit mordicus, quâuis seruitute deteriorem. Caluinianam quippe Sectam amplexa est, quæ dominatum excutit omnem, præterquam vitiorum. Igitur Vesalienses, Hispani Exercitûs impendentem sibi è proximo prospicientes tempestatem: ac veriti, nè Præsidiarijs ab eo Militibus impositis, vel Cliuiensi restituerentur imperio, vel Hispano subijcerentur; ut utrumque declinarent, ad optimam

Vesaliæ inferioris situs.

Vesel.

Lippe.

Ea oppugnationē pecunia redimit.

1598. timam sequestram pacis, & concordiæ conciliatricem pecuniam confugerunt. Quia verò Hispanorum animi maximè religione ducuntur; eam quòque pollicitationem adiecerunt: permissuros se in posterum, Vesaliæ liberè Catholicum Dei cultum exerceri. Vtramque conditionem spontè oblatam lætus accepit, à bellicis laboribus, periculisque in eâ Vrbe oppugnandâ, expeditus Mendozza: peropportunè obueniente summâ quinquaginta millium aureorum, quam offerebant, in tantâ necessitate pecuniæ; & quòd multùm Catholicæ Religionis intererat, in eâ Vrbe redintegrari. Tradunt aliqui summam centies mille aureorum fuisse: & pactionibus addunt frumenti modios mille in Exercitûs commeatum: ac supra Luppiam pontem Vesaliensium sumptibus extruendum. Tanti steterunt illis à Præsidio securitas; ab imperio libertas: quæ nullis impendijs carò redimi à Populis præsertim vtriusque Germaniæ existimantur.

Rhesæ, & Embricæ addita Præsidia.

Res.

SEX leucis Vesaliâ distat eamdem fluminis ripam insidens Rhesa. In Oppidis eius regionis præcipuis numeratur: & pars maxima Incolarum Catholicam Fidem profitetur. Eam ob causam placidis artibus Mendozza conatus est Præsidiarios aliquot illuc immittere. Sed omnino reluctantibus Oppidanis; ad acriora veniendum fuit. Expediuntur itaque tormenta: quorum illi aspectu primo perterriti Præsidium acceperunt. Tam flexanimæ sunt armatæ suasiones: & quouis ardenti eloquio efficaciùs persuadent ora flammantia bombardarum. Parem principio animos ad obsistendum; parem deinde formidinem in obsequendo præ se tulit Embrica, Cliuiensis Ducatûs Vrbs amplissima, & Catholicæ Fidei præ cæteris addicta, tribus leucis procul ab Rhesâ. Hîc sexcenti ex quâuis Natione Præsidiarij relicti: ibi verò quadringenti tantùm Germani: cùm ab Duce minorem hunc numerum Societatis Iesu Patres impetrassent.

Emerich.

Isel.

Ouerisel.
Desburg.

IAMQVE ad Isalam fluuium arma regia peruenerant: ultra quem Fœderati multa magni momenti loca obtinebant. Primum in Transisalanâ Prouinciâ Doesburgum obijciebatur: quod si occupatum fuisset, aditum patefaceret ad Velauiam, hosticam regionem, præ fertilitate, alendo Militi admodum opportunam. Huc præcipuè Alberti Principis mandata spectauerant. Neque verò spes aberat & hanc, & alias vicinas Vrbes, Oppidaque maiora vel pacatis conuentionibus, vel armorum vi ad excipiendum, ac sustentandum Exercitum adigendi: quandoquidem Copiarum ingentium terror, quæ tam breui tantum locorum debellauerant, finitimos omnes Populos occuparat. Quin etiam Hollandi, Zelandique metu magno perculsi, ad se

Timor ab Hispanorum armis.

 tu-

rutandos Militem undique assiduâ sollicitudine cogebant. Quod Regijs exploratum maiores animos ad summa quæque audenda sufficiebat: Mendozzâ potissimùm innatâ magnanimitate sibi omnia pollicente, magnoque numero naues, ac pontones ad traijciendum quà Milites, quà bombardas, adornari iubente. 1598.

At Mauritius, qui iamdudum prospiciebat, hanc armorum procellam in eas Fœderatorum partes incubare, & quàm maximas potuerat Copias contrahere conatus erat, & prope Doësburgum præsertim opportunè locauerat. Quamobrem in Belgico Senatu Regio decretum, ut ab eius obsidione abstineretur: tum quòd Vrbs per sese valida, hostilis Exercitûs subsidio roborata, multò difficilior futura erat ad expugnandum: tum quia proximè instabat hyemalis tempestas obsidentibus iniqua. Doetecomum potiùs arma conuersa, Oppidum haud procul Doesburgo situm, exiguum, atque inualidum; commodum tamen ad statiua Militum in Vestphaliâ confirmanda. Eò dum pergunt, haud parum detrimenti à Mauritij Copijs accepit Hispanicus Equitatus. Octauo Idus Nouembris Castris ad Oppidum positis, portam, quæ Doësburgum ducit, quatere aggrediuntur. Loci Præsidio erant quatuor Peditum signa: ipsi Oppidani magno armorum usu exerciti: commeatuum, & bellici apparatûs tantum, ut sustineri diutius obsidio posset. Quia tamen munimenta non satis valida, vehementem, assiduumque bombardarum hostilium impetum malè tolerabant; & iam parata oppugnatio timebatur: Defensores cum usitatis conditionibus vitæ, armorum, & sarcinarum, obtulere deditionem. At Mendozza, qui cuncta permitti vellet victoris arbitrio, non semel ijs reiectis, ad extremum exorari se passus est, ut postulata concederet: modò signa in Oppido relinquerent, ac toto semestri spatio militare contra Regios cauerent. Ad captum Doëtecomum retinendum, peropportunum censebatur, si vicinam Arcem, nomine Schulemburgum, ædibus modicam, sed naturâ munitam, occuparent. Ea cura Aloysio Velasco demandata, supremo rei bombardariæ Præfecto: qui statim locum obsidens, internecionem Præsidiarijs minatus est, ni facerent extemplo deditionem. Illi tum situs opportunitate, tum suâ virtute freti, obstitere principio magis animosè, quàm cautè. At postquam vires suas longè hostilibus inferiores experiuntur in dies; serò tandem Arcem, ac sese dedunt, coacti propterea impedimentis, armisque spoliati migrare.

Doetechem.

Doëtecomo Regii potiuntur.

Et Arce Schulemburgo.

Mavritivs interea tam felici, atque inopinato Regiorum progressu armorum, admirabundus æquè, ac sollicitus; cum

eis,

1598. eis, quas comparauerat, Copijs propè Seuenariam, Cliuiensem Vrbem, constiterat; & Castra summâ diligentiâ communierat: atque ex eâ quasi speculâ, quò demum Hostium tanta vel confidentia, vel felicitas vergeret, obseruabat. Suis quòque Præsidijs & eamdem Vrbem, & loca finitima Cliuiensis ditionis aduersùs eos firmarat. Ita infelix illa regio media inter duos Exercitus mutuò inimicos constituta, neutri tamen addicta, vel infensa, utrumque sibi grauissimum patiebatur, ab utroque iam fermè exhausta; & hostilia sentiens ab utroque, cùm neutrum haberet hostem. Cunctas præterea vias adeò Mauritius insederat; ut neque iumentis pabula, neque Militibus commeatus transuehi possent. Quare cùm omnium rerum penuriâ Regius Exercitus laboraret: cùmque iam ingruentes pluuiæ, atque hyemis rigores arma proferre ulteriùs prohiberent; Mendozza cessandum, atque in hyberna dimittendum Militem existimauit.

IGITVR ad Andream Cardinalem Belgij Gubernatorem (uti diximus) legauit Ludouicum Billium Germanorum Tribunum: qui suo eum nomine salutaret: de rebus feliciter gestis, faceret certiorem: bonam rogaret veniam Exercitum ad hyberna mittendi: simulque de loco ubi esset hybernandum, mentem eius exquireret. Respondit Cardinalis officio humanitate pari: fortunatum præliorum exitum gratulatus est: Militem sibi videri dixit in hyberna distribuendum per eam, quam Hostis teneret, regionem; siue ex æquo, bonoque id fieret, seu beneficio armorum. Hanc Andreæ sententiam utcumque interpretatus Mendozza: magisque Alberti Principis præscripta clariora sequutus; per Cliuiensem ditionem, confinemque Vestphaliam hybernaturum Exercitum misit. Non tamen gratìs, ac sine pretio sanguinis excepti sunt Regij ab illis Gentibus libertati assuetis: quibus iniquissimum videbatur, dum pacem cum omnibus diligenter colerent, onera belli sentire, eò grauiora, quòd alienos cogerentur alere Bellatores. Dorstani præsertim accedentibus Velasci ductu Militibus, itineris diuturni laboribus defatigatis, ventorum, atque imbrium inclementiâ oppressis, & quorum aliqui duos iam dies cibo caruerant; mosquetis, sclopetisque continenter displosis, ingressum prohibuere. Quamobrem irâ percitus ingenti Velascus, sena in Oppidum dirigi tormenta iussit; quibus acriter, assiduèque fulminantibus cedere coactæ sunt minores illæ bombardæ. Earum tamen una ipsius Velasci brachium sauciauit. Mox verò Dorstam cum suis victor ingressus & proprium vulnus, & communem sociorum iniuriam satis superque ulcisci potuit, omnibus in arbitrij sui liberam potesta-

Mendozza cũ Andrea Cardinali agit de dimittendo in hyberna Exercitu.

Mittitur per Cliuiam, & Vestphaliam: sed non impunè.

Renderſi à discretione.

tem redactis. Ex locis ab Regio Exercitu occupatis, Rhesam elegit sibi Mendozza ad hyemandum. Embricæ verò præfecit Carolum Longouallium Buquoij Comitem: cuius perspecta virtus requirebatur aduersùs vicinum propugnaculum Schenchianum, aliasque Arces Hostium circumiectas.

1598.

Querelæ Germanorum Principum de Regio Exercitu.

Anno 1599. *Campana. Haræus. Bentivolus.*

Inevnte anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono magnæ per Germaniam gliscebant de Regijs Militibus querelæ: magnique motus surrexerant animorum, quòd Cliuiæ, & Vestphaliæ tantum per vim Milites in hyberna cepissent. Accedebant ad cumulum iniuriarum, recepta detrimenta nec pauca, nec leuia ex militari auaritiâ, quam penuria stipendiorum accendebat: luxuriâ, quam bellica licentia, & præsens otium stimulabat: crudelitate, quam irritauerant obstacula primùm inuadentibus obiecta. Elapsis retro temporibus tam Vestphaliæ, quàm Cliuia, uti finitimarum quòque Vrbium, Iuliaci, Leodici, Coloniæ, ac Treuirorum ditiones ferè semper ab armis tum Regiorum, tum Fœderatorum intactæ fuerant, incolumesque seruatæ: quin potiùs vel hos, vel illos ultro, citroque commeantes amicè hospitio excipiebant. Cùm ergo tot iam harum regionum loca cernerentur ab Regijs Copijs armatâ manu occupata, ac penè oppressa; non poterat id vulneris non altè in eorum pectora descendere, quorum ea iuris erant.

Cleues. Giuliers.

Quinam præcipuè Principes forent.

Di Munster.

Vestphaliae pars magna Monasteriensi, ac Paderbornensi paret Episcopo: cui geminæ Sedi præerat eâ tempestate Ernestus Bauarus, Coloniensis Septem-vir: de quo suprà. Cliuiensis verò ditio suo Duci subest: qui cùm diuturno morbo laboraret; moderationem omnem suis permiserat Administris. Septem-vir, qui perpetuum concordiæ fœdus in Belgicis motibus cum Hispano seruarat; alienus erat ab iure suo armis vendicando, alijsque Germaniæ Principibus, contra Regium Exercitum conspirantibus, suis viribus adiungendis: potiusque habebat pacatâ tractatione res componere. At Ducis Administri, vel quod ita ipsi sentirent, vel quòd in eam sententiam fuissent à Principibus cæteris adducti; *Nonnisi ferro litem illam dirimendam,* censebant, *quæ primùm intenta ferro fuisset. Quare, ut illata damna communia multis erant: sic ad ea propulsanda cogi debere in unum arma multorum. Omne Regium nomen ex ijs finibus exterminandum, quos improbus Miles tam iniquè occupasset, tam flagitiosè opprimeret. Quò per vim, aut per dolum irrupissent, qui sine Hostis nomine plusquam hostilia facerent; inde per vim, ac palàm extrudendos. Hoc uno remedio non solùm mala præsentia protrubari posse, sed & futuro in posterum præcaueri.* Ferocibus hisce consilijs Septem-vir Palatinus Rheni præ

cæ-

1599. cæteris fauebat. Quippe cùm suam ditionem locis ab Regio Milite insessis finitimam haberet; cùmque suam stirpem nosset à Belgij Fœderatis, Hæreticisque perpetuò stetisse; malè sibi metuebat ab tanto Hoste imminente. Eisdem curis, ab eodem fonte manantibus, Hassiæ Lantgrauius agitabatur. Vrbes quòque nonnullas Rheno adsitas, quas liberas appellant, idem timor sollicitas habebat.

Hi conspirant ad Regium Exercitũ profligandum.

IGITVR, ut quæ vires seorsim expositæ magnis Hostium Copijs pares non erant, conflatæ in unum corpus possent in eas pro communi causâ animosiùs inuehi; in societatem belli conspirarunt Cliuiæ Dux, Palatinus Septem-vir, Hassiæ Lantgrauius, alijque complures Principes, quos Vestphalia complectebatur. Antè tamen, quàm ad arma erumperetur; consultius visum est ad Cæsarem de re totâ referre. Is comperto, quod factum fuerat, & perpenso; Mendozzæ, cæterisque Exercitûs Regij Præfectis edixit: ut extemplo loca occupata relinquerent, atque ex omni ditione utcumque ad Imperium spectante cum suis Copijs uniuersis migrarent. In eamdem sententiam Andreæ Cardinali magno animi sensu scripsit. Et Cardinalis ipse multorum Principum, ac Populorum querimonijs incensus, suæque existimationis discrimine commotus, quòd se Belgium moderante tantum nouorum tumultuum fuisset excitum, nouique Hostes in suâ Germaniâ quæsiti: vehementer ijs succensuit, qui Regium Exercitum administrabant, pœnasque se de ijsdem sumpturum, interminatus est. At Albertus rerum omnium factus certior, nec oblitus eorum, quæ Mendozzæ reliquerat in mandatis; Andream Cardinalem per literas monuit, ut ab inquirendo, quod gestum erat, desisteret: in posterum verò rebus quantâ poterat maximâ dexteritate consuleret. Variæ quidem à Cardinali tentatæ viæ ad grauissimum illud onus pressis ditionibus subducendum: sed eas omnes Exercitûs extrema necessitas interclusit. Quare accommodatis excusationibus tam Cæsari, quàm Principibus, ac præsertim Coloniensi, & Cliuiensi satisfacere conati sunt Gubernator, ac Mendozza: & quandò re præsenti non poterant, obsequiosis saltem verbis (quod in parte prudentiæ est) ac promissis liberalibus iratos, læsosque placare animos studuerunt.

Cæsaris indignatio contra Regios.

Andreas ipse Cardinalis factũ damnat.

INTEREA res contigit, quæ si speratum, ostentatumque principio exitum habuisset; magnum aliquod bonum è medijs tot malis dici poterat emersisse. Sed plerunque spes ingentes, quia pares habent obices, facilè dilabuntur: atque humana plus gerunt in speciem adumbrati, quàm veri, solidique. Vesalienses,

ex

Mendozza Vesalienses hortatur ad Catholicá Fidem amplectendam.

1599. *Campana l. 7. Gaspar Ens lib. 20. Grotius l. 8. Carner. l. 13. c. 6. Coloma lib. 12. Bentiu. l. 5. Liter. Ann. Soc. Iesu anno 1599. in Prouincia Rhenana.*

ex vicinitate Catholici Exercitûs, suspiciosi semper, ac sibi metuentes; arctiorem aliquam cum eo inire concordiam contendebant. Eo comperto Mendozza, vir Religionis amplificandæ studiosus in primis, hanc auidè amplexus opportunitatem; per delegatos homines hortari illos, ut prauis opinionibus, quibus infecti fuerant, profligatis, auitæ, Catholicæque Fidei se redderent. De re propositâ in consilium à Vesaliensibus itur: in utramque partem disceptatur. Ad obsecundandum utcumque Mendozzæ consilijs, propendetur. *Regij Militis in eis ditionibus moram haud fore diuturnam. Non enim id passuros Imperij Principes, non Cæsarem, non ipsum Belgij Gubernatorem. Ad paucos dies posse Hispano concedi, quod postularet. Ni facerent, imminere periculum ab Hoste contempto, vel subita populationis, vel permansuri Præsidij. Utrumque cautè vitari, si solùm in speciem, atque ad tempus Catholicis sese adiungant.* Nimirum hi, ut plerique Hæreticorum, utilitatem pro scopo habebant, Religionem obtentui. Re deliberatâ, redeunt ad Mendozzam Delegati: Vesalienses renunciant optimis sequendis Consilijs, & Catholicæ Fidei quasi postliminio reuocandæ paratissimos. Verbis hisce fidem adhibens Dux, ut qui ex ingenij sui sinceritate cæterorum quòque animum metiretur; ingentem cepit ex eâ responsione lætitiam, maximumque suorum fructum armorum existimauit, quòd in Vrbe tam celebri Catholica Religio de Caluinianâ hæresi triumpharet.

Illi promittunt, sed simulatè.

IGITUR tam salutari proposito collaudato, eisque, qui rei tam sanctæ adiutores, atque administri fuissent, gratijs actis, in eam totâ mente, ac viribus curam incubuit. Atque ut opus egregium quanto maiore fieret cum pompâ, & scenâ: tanto magis Vesalienses ad constantiam oppigneraret, atque alios ad exemplum imitandum alliceret: ad Cliuiensis Ducis Consiliarios, & Cæsareum Administrum, qui ei moderando Ducatui præerant, literas dedit hortantes, ut solemnibus illis reconciliandæ cum Ecclesiâ Vrbis cæremonijs addere suâ præsentiâ vellent & auctoritatem, & splendorem. Polliciti sunt illi, quod rogabantur. Tùm ad Coriolanum Garzadorum, Ausarensem Episcopum, & Pontificium Coloniæ Nuncium scripsit de tam felici successu; *Enixè flagitans, ut non solùm ad instruendum Fidei capitibus Populum, complures doctos, ac religiosos transmitteret Viros: sed ipse quòque ad rem tantam conspectu suo cohonestandam, eò proficisceretur: secumque delatis, quæ ad Ciuitatem expiandam idonea forent; profanata Templa Catholicis ritibus renouaret: omnemque Diuinum cultum in pristinam dignitatem restitueret.*

Id Mendozza maxima pōpa faciendum curat.

Mittitur ad eos Garzadorus Pontificis Núcius Coloniæ.

NIHIL

1599. NIHIL accidere poterat animo Garzadori iucundius: cui res ad Religionem facientes, atque Ecclesiæ propagatio cordi præ cæteris erant: neque priuatæ in eo, quod gerebat, munere, sed publicæ spectabantur utilitates. Quamobrem responsum extemplo Mendozzæ dedit: *Gratum sibi supra quàm dici posset, eiusmodi nuncium fuisse: ad subseruiendum rei, quæ tanti foret Catholicæ Religioni momenti, se promptissimum esse: nihilque se aliud ad profectionem expectare, quàm ut certa dies ab ipso diceretur.* Tùm sese comparandis rebus ad eas cæremonias opportunis totum impendit. Diem rei peragendæ Mendozza condixit duodecimum Calendas Februarias: simulque misit ad Nuncium hominem è Societate Iesu, quem apud se habebat, & cum eo militarem manum, quæ Præsulem euntem tutaretur. Hic, iam paratis omnibus, Coloniâ discessit decimo sexto Calendas, ac secundo Rheno deductus, post biduum Budericum peruenit è regione Vesaliæ. Eòdem ut in ipso tempore conuenirent Cliuienses Consiliarij, & Cæsaris Administer (vulgò Commissarium vocant) fuerat constitutum. At cùm de illorum aduentu certi nihil afferretur; ac dies, quo Vesaliam eundum erat, instaret: ad eorum iter urgendum, Nuncius certum hominem legauit. Verùm is reuersus retulit, animum se in ijs deprehendisse ad tantum opus valde remissum, ac lentum, potiùsque ad rem in longum trahendam procliuem. Substitit, ad tam inopinatum euentum, admodum suspensus animi Garzadorus, & magno curarum æstu iactatus est. Quippe Buderici Præsidio haud plures viginti aderant Hispani: Populus omnis hæresi contaminatus: Fœderati Hostes in proximo; quibus nihil facilius, quàm id Oppidum occupare. Id verò neglecturi non videbantur, ut eum Virum, infensæ Religionis Antistitem, in potestate haberent. Rhenobergam se recipere non licebat; quandoquidem aduerso flumine retrocedendum erat, quod aquæ solito tumidiores vetabant. At opus tanti momenti nè temporis interiectu dilaberetur, atque in nihilum recideret, ingens erat periculum: tum quia cum ijs hominibus agebatur, qui nè ipsi quidem Deo fidem seruarant: tum quòd metus, atque utilitas, quorum suasu mentem nouam induerant, vim quidem ad persuadendum efficacem, non tamen diuturnam habent.

Nuncius ob eam rē periculis obiectatur.

IN tantis animi fluctibus, ad arduum, animosumque consilium, tanquam ad sacram anchoram, Garzadorus confugit. Ad Vesaliensem Senatum aduentûs sui Nuncium mittit: eâdemque die, non expectato responso, viginti tantùm Sclopetarijs comitantibus, traijcere flumen aggreditur. Transuectus ad ripam al-

alteram, quod reliquum erat ad Vrbis portas viæ, pedes confecit. Ingressus Vesaliam est, obice nullo interiecto. Tantum fuit in celeritate præsidij. Nam si eius accessum compertum habuissent Fœderati, vel armatis nauigijs eum intercepissent in fluuio, vel in terrâ priùs, quàm Vrbem intraret, subitâ incursione adorti essent. Exceptus Nuncius fuit splendido satis hospitio, quod ei apparari iusserant Catholici quidam Vesalienses Ciues, Coloniæ Religionis causâ exulantes. Sub vesperam eiusdem diei misit Senatus, qui eum suo nomine salutarent: consuetisque in Germaniâ vini muneribus honorauit. 1592.

Garzadorus Vesaliam ingressus, Ciuium simulationem agnoscit.

Postero die sapienter exquirere Præsul conatus est: quænam potissima nouæ illius deliberationis caussa fuisset. Ac partim sagacitate suâ ex aliquo Hæreticorum minùs cauto, partim ex Catholico quopiam ibi occultè degente deprehendit: solum timorem, nè vel Vrbs ab Exercitu prædæ tam auido, quàm egeno, diriperetur; vel non minùs odiosum imponeretur Præsidij iugum; ad eam morum commutationem, quæ neque ex animi sententiâ esset, nec diuturna futura; Vesalienses impulisse. Eamdem in Cliuiensibus Consiliarijs mentem dignouit. Quare de his omnibus Mendozam commonefecit. Is tamen haud propterea de spe felicis exitûs deiectus: neque admodum laborans, timor, an amor tam salutaris operis auctor esset: eiusque diuturnitati se consulturum sperans ingenti expeditione, quam in uernum tempus moliebatur: Nuncium rogauit, ut bene cœpta generosè prosequeretur: Vesaliensibus institit, ut promissis starent: Cæsareum, & Cliuienses Administros, quà literis, quà Nuncijs perpulit, ut Vesaliam se conferrent. Igitur coram his inter Pontificium Nuncium, & Vesaliensem Senatum conuenit, ut omnia Vrbis Templa venirent in Nuncij potestatem: ut bona Ecclesiæ occupata redderentur, ad Sacerdotes alendos: ut cuncti Hæreticorum Ministri, & Ludimagistri Sectarij Vesaliâ exigerentur: ut ibidem omni hæretico ritu palàm abolito, Catholica Romana Religio coleretur.

Mendoza tamen urgente, Catholicos ritus in Templis instaurat.

His ita constitutis, nihil morandum ratus Garzadorus, Templorum claues iussit ad se deferri. Tùm septimo Idus Februarij, Pontificijs decoratus insignibus, Templum Vrbis primarium, Diuo Villebrordo sacrum, solemnibus expiatum cæremonijs, denuo consecrauit. Adfuit præter Administros iam sæpè memoratos, omnis hominum generis, sexûs, ætatis tanta multitudo, ut unum contracta in locum Ciuitas uniuersa videretur. Postridie Diui Antonij Templum eisdem ritibus, nec minore concursu repurgatum. Admirationi præcipuè fuit in tantâ cuius-

uis

1599. uis conditionis hominum frequentiâ, trium ferme horarum spatio, quo sacræ cæremoniæ agebantur, summum silentium, insperata modestia, reuerentia singularis. Vt in Catholicis Vrbibus, dum solemnia celebrantur, affluente omnis Ordinis hominum concursu, vix tantum quietis inuenias: quantum per eos dies in Ciuitate prauis Caluini opinionibus infectâ animaduersum fuit. Siue rerum plerisque nouarum admirabilitas, & sacrarum maiestas cæremoniarum, attentionem in Spectatoribus, & quamdam saltem extimam venerationem conciliaret: seu Catholici Exercitûs vicini, atque in rumorem omnem imminentis, non vana formido contineret in officio: siue (quod credere, Christianæ pietati magis est consentaneum) Diuinæ prouidentiæ suis Ministris, suis ritibus, suæ veræ Religioni è cælo prospicientis opus illud foret. Certè rei tam obnoxiæ periculis, tam fortunatus euentus in spem magnam Nuncium, eiusque Socios erexit; posse tandem Vrbem illam, non in speciem, sed verè, solidèque ad meliorem frugem traduci.

In cæremoniis mira frequentia, quies, & reuerentia.

POSTMODVM, ad habendas de Diuinis, ac salutaribus rebus conciones, euocatus Embricâ unus è Curatoribus animorum: & quidam è Societate Iesu in partem venit gloriosi laboris. Ad eos audiendos, quotidie facti omnis hominum generis concursus. Nec minor erat numerus Puerorum, quos liberaliter Parentes ad Catechismum, & Fidei rudimenta percipienda mittebant. Obseruatum tamen est, quotidiano Sacrificio, quod Missam dicimus, paucos admodum solitos interesse. An quòd huic præsertim Sacræ rei, quæ principatum obtinet inter cæteras, Hæresis aduersatur? An potiùs quòd ipse Deus nollet tam sacrosanctas cæremonias ab impuris adhuc animis participari: & profanos illos procul esse mandaret? Cæterùm, quandò nullum hæreseos palàm apparebat in Vrbe vestigium, rem optatum ad exitum perducendi spes augescebat in dies. Verùm euentus docuit: extimo aspectui non semper intima respondere: & cordis humani, atque oris frequens esse dissidium. Quod uti manifestum fuerit, reddetur in loco.

Sed rari Missæ intererant.

Lib. 12.

INTER hæc Andreas Cardinalis, ut sui muneris partes, quantum in se esset, impleret; ad tumultus quosdam Antuerpiensis, & Gandauensis Præsidij sedandos sedulam operam impendit. Et Antuerpiam quidem ipsemet adire constituit: tum ut ubi turbabatur atrociùs, ibi conspectu Principis res efficaciùs componerentur: tum etiam ut cum Antuerpianis Negotiatoribus præsens ageret (quandò per literas, aut Internuncios lenta sunt, languidaque negotia) atque ab ijs mutuæ pecuniæ tantum accipe-

Cardinalis Gubernator Antuerpiam adit.

ret, quantum ſatis eſſet ad tumultuantium pacandos motus, ab eius penuriâ potiſſimùm excitatos. Quamobrem ineunte Februario, quâ Belgij Gubernatorem decuit pompâ, intrauit Antuerpiam; Petro Ernesto Mansfeldio, aliorumque virorum Principum magnâ frequentiâ comitante. Neque ſolum à Ciuibus, & Populo honorificis occurſibus Equitum, Peditumque, ornatu eximio fulgentium, alijsque ſumptuoſis apparatibus exceptus eſt: verùm & ab ipſis, qui tumultuati fuerant, Præſidiarijs lætiſſimo ſtrepitu cuiuſuis generis bombardarum, ac feſtis ignibus cohoneſtatus. Ac ſi, ut Solis aſpectus turbidum Cælum: ita Sereniſſimi Principis vultus turbarum procellas omnes tranquillaret. 1599.

POSTRIDIE, quàm eò peruenit Cardinalis, cum Negotiatoribus egit: ſed nullo fructu. Quippe qui cum omne negotiandi momentum habeant ab lucri ſpe; recentibus diſpendijs factis cum alijs Regijs Adminiſtris, ab ſimili negotiatione alieniſſimi erant. Igitur ad Ciuium ſubſidia ſe conuertit: ijsque non tardam mutuatæ pecuniæ redditionem pollicitus, etiam fide Principis interpoſitâ, quantum ab illis petijt, impetrauit. Idque eò faciliùs, quòd perſpecta cunctis erat eius in agendo ſinceritas; & natiuâ benignitate ſibi Nobilium animos demeruerat. Hâc ratione Antuerpienſi Præſidio ſoluta omnino ſtipendia. Quòd verò idem tumultuatum fuiſſet conſueto inſolentiùs: & Præfectum ipſum Arcis Mexiam exturbaſſet; nè peſſimum facinus impunitum in aliorum iret exemplum; omnes illos Præſidiarios loco moueri iuſſit, aliosque ſubſtitui. Quin etiam promulgato vetuit Edicto, nè quis eorum ultra quintum decimum diem in regionibus Hiſpano ſubiectis moraretur. Sic in utramque partem fecit iuſtitiæ ſatis: & ſoluendo quod meruerant, & puniendo quod peccauerant. Acceſſit (uti mala ſolitaria eſſe non ſolent) calamitati calamitas. Cum enim & ſeditioſorum per ſe odioſum nomen ſit: & aduersùs Regios finitimarum Belgio Gentium arderet indignatio: & pecuniâ graues eoſdem abire, fama vulgaſſet; ipſorum plurimi à Colonis, atque Indigenis, quà cupiditate, quà irâ ſuccenſis, capti, ſpoliati, trucidati. Vt longè maiores, quàm Gubernator exegiſſet, flagitiorum ſuorum dederint pœnas: ſic eo decernente, qui ſupra Tribunal omne conſtitutus, ipſas iudicantium iuſtitias iudicat. Gandauenſis quòque Præſidij perſolutis ſtipendijs turbæ pacatæ. Et quòd modeſtiùs hi ſe Præſidiarij geſſiſſent, neque alios Milites in partem criminis aduocaſſent; eumdem tenere locum eis permiſſum. His ita compoſitis, Andreas Cardinalis, ut uſquequaque ſuum munus imple-

Tumultus Præſidij ſedat, & punit.

Bentiuolus. Coloma. Carnerus.

ple-

1599. pleret; præcipua quæque Præsidia recognoscere: augere excubias militares Præfectos admonere officij: commeatibus, ac bellico instrumento Arces abunde instruere: in omne periculum creditas suæ fidei Prouincias communire. Cùmque Bruxellas demum se recepisset, promulgari iussit Edictum, quo cuncti vetabantur Hispano Regi subiecti cum Belgis Fœderatis quoduis, & cuiuscumque generis terrâ, mari-ve commercium exercere. Fœderati contrà, ut par pari rependerent, simili Edicto suis negotiationem omnem cum Regijs Prouincijs interdixerunt.

Haræus. Campana. Coloma. Camerus. Lanarius.

INEVNTE Martio, Mauritius collecto Militum suorum flore, ac robore, processit in campum, & Cliuiensem intrauit ditionem: ex quâ paulò antè Regium Exercitum educi iusserat Andreas Cardinalis, assiduis Germanorum precibus fatigatus, atque urgente Cæsaris ipsius auctoritate compulsus. Mendozza tamen, ut Rhenum in potestate retineret, peruiumque haberet aditum in Geldriam, munienda nouis Præsidijs duxit quinque Cliuiæ Oppida: Rhesam, Calcariam, Gocham, Gennapium, Embricam. Cùmque insedisset animo, validissimum propugnaculum, & maximi ad alia molienda momenti, quod ab auctore Schenchio nomen traxit, inuadere, atque expugnare; Embrica præsertim ingressum ad tantum opus aperiebat. Igitur missi, qui Oppidanis suaderent, ut Præsidium Regiorum acciperent. Illi iugum de more detrectare. At Mendozza, qui (uti proprium est magnanimorum) repulsis incitabatur magis: extorquere per vim aggreditur, quod amicæ petitioni denegarunt. Quare primùm nauigia quædam secundo flumine immisit, ut præsidiarias Fœderatorum naues, quæ dispositæ sub ipsis Embricæ mœnibus erant, procul arcerent: deinde Oppido quatiendo tormenta admouit. Hæc frequenter displosa plus terroris Oppidanis intulere, quàm damni. Et quamquam, qui aderat ad custodiam cum ducentis ferè Militibus, Cliuiensis Tribunus, animos ad obsistendum faceret, vicinum pollicitus Hollandorum subsidium, quod ad Grauenuerdam præstò erat: plùs tamen apud eos valuit (uti consueuit) periculi præsentis horror, quàm auxilij venturi spes. Itaque suos Consules mittunt ad Mendozzam; qui publico nomine testentur, se imperata facturos. Ingressi sunt Oppidum Præsidiarij circiter mille; Hispani, Itali, Galli, eorumque Præfectus Carolus Buquoij Comes, defenso nuper aduersùs Gallos Atrebato, super gloriam pristinam, nobilitatus. At Cliuiense Præsidium priùs inde submotum, nauibusque Grauenuerdam delatum, Fœderatorum sese Copijs adiunxit.

Mēdozza Embricæ Præsidium imponit.

MAVRITIVS ægrè ferens, ac rebus suis perniciosum intel-

ligens, Embricam in manu Hostium esse; eos inde abducere, ac delere, si posset, hoc militari astu conatus est. Ludouicum Nassauium iussit cum lectâ manu Militum eò accedere: & ipsum quidem cum maiore, ac promptiore numero haud procul Oppido in insidijs latere: alios verò Equites è circumiectis agris, & pascuis abigere greges. Quæ cum peragerentur, Præsidiarij valde sibi ignominiosum rati, si suos ob oculos impunè abripi prædam ab Hoste paterentur: ad id prohibendum, ingenti, alacrique concursu, ipso duce Buquoio erumpunt. Hollandi consilium suum ex sententiâ succedere lætantes; fugam simulant, ut ad locum insidiarum pertrahant Hostes. Hi rerum ignari, & (quod in iræ impetu frequens est) minùs cauti, dum raptores insequuntur, ac prædam repetitum eunt, præda penè omnes fiunt latentium insidiarum. Quippe repentè Nassauius cum suis prodit è latebris: Præsidiarios inopinantes adoritur: eos aut cædit, aut capit, aut saltem fugat. Buquoius ipse, quamuis optimi Bellatoris, ac Ducis partes omnes expleret; grauis tamen ictum vulneris vitare non potuit: & adacto per paludes equo, non leue passus vitæ discrimen, à circumfusâ tandem Hostium multitudine capitur; eamdem subeunte fortunam Paciotto, alijsque primæ notæ Militibus. Quamquam Buquoius vulnere percurato, post aliquot menses viginti aureorum millibus suam libertatem redemit.

1599. *Campana. Gaspar Ens. Lanarius.*

Præsidiarios Fœderati per insidias profligant.

Riscattarsi.

INTERRA Cardinalis Andreas, non modicâ pecuniæ vi in stipendia Militum ex Hispaniâ transmissâ, magnum belli apparatum instrui iubet: Antuerpiâque discedens, Traiectum ad Mosam se confert. Eò, siue (ut alij scribunt) Venlonam cæteri rei bellicæ Moderatores, & Consiliarij cum ipso conuenerunt: Archithalassus Mendozza, Mansfeldius Comes, Velascus, alijque: qui omnes de suscipiendis eo anno expeditionibus inire consilium. Decretum ibi præ cæteris est, ut Regius Exercitus omnis prope Rhesam recenseretur: postea verò contra Fœderatum Hostem moueret. Quod cùm ad Mauritij notitiam per interceptas literas deuenisset; ipse quòque ad bellum suos habere contendit promptos, instructosque. Eos ergo partim per vicinos Betuuiæ Insulæ Pagos distribuit: partim in nauibus paratos esse voluit; pontibus Vahali, ac Rheno impositis, ad eos, quòcumque vocaret opportunitas, traducendos: partim quòque Doësburgi reliquit, tam eiusdem Vrbis, quàm ipsius Agri præsidio. At Andreas decimo sexto Calendas Maij Rhesam aduènit: postridieque lustrari Exercitum iussit.

Tam Regii, quàm Fœderati se parât ad bellum.

Mastrich. Campana. Bentiuolus. Gaspar Ens. Coloma.

Res.

Far la rassegna, ò mostra.

IN Senatu eius bellico consultatum: quam potissimùm in partem

1599. *Carnerus. Bentiuolus. Coloma.*

partem arma mouenda. *Bommeliam Insulam, eiusdemque nominis Oppidum inuadendum* Cardinalis censebat: *ut in Transrhenanam regionem aditus patefieret. Magno id adiumento futurum Nouiomago, locisque alijs, ubi suarum Partium studiosos habebat, occupandis. Hos verò tùm in medium prodituros Catholicorum auxilio, cùm eorumdem Exercitus praualidus transductus fluuium esset.* Aduersabatur huic sententiæ Mendozza, alijque, cùm dicerent: *Tentatum id opus esse non semel, irrito semper conatu. Quippe quâ tempestate liquatæ niues euoluerentur è montibus, tantâ eluuione subiectam planitiem inundari: ut ibi castra consistere nullo modo possint. Adeòque opportunius videri Schenchianam Arcem oppugnare: quâ superatâ, liber pateret aditus in Frisiam; & procliue inde foret, magnâ ex parte reliquum Belgij deperditum recuperare.* Ad hæc respondere Cardinalis: *Diuersos non uno tempore homines ab se missos, neque alterum alterius conscium, qui vicinorum montium iuga lustrarent: unoque omnes ore renunciasse: nihil eo anno metuendum à niuibus dissoluendis. Namque tam raras esse, ac præter solitum modicas; ut vix ullum, aut admodum paruum allaturæ fluminibus essent incrementum. Quod verò ad Schenchianam Arcem attineret; adeò eam esse loco, structurâ, milite, alioque belli apparatu munitam: ut aggredi temerarium, expugnare desperatum videretur. Præterea quem ditum iri Exercitus traiectum in Insulam, ubi Arx illa fundata est; Hoste vias omnes intercludente? Parmensem Ducem Alexandrum (magnum illud in re bellicâ, ac præsertim Belgicâ nomen) vel tùm ab eius Arcis oppugnatione abstinuisse, cùm haud prorsus absoluta erat, & communita.*

Cardinalis in Cõcilio bellico de expeditione consulit.

Ipse Bommeliam inuadẽdam putat.

Cõtra sentit Mendozza, & Schenchij Arcem præfert.

Hanc expeditionẽ reijcit Cardinalis.

ÆGERRIME Mendozza tulit, eam sibi prohiberi, quam toto affectabat animo, ac penè spe deuorauerat, de tam celebrato propugnaculo victoriam. Nec defuere, qui suspicarentur, in Andreæ Senatu occultos degere Fœderatorum fautores: qui varijs artibus, momentisque rationum Cardinalis animum à Mendozzæ opinione deducerent: multùmque hâc operâ Mauritio gratificarentur, valde metuenti rebus suis ab eius munimenti iacturâ. Alij malignè minùs interpretabantur: Andream voluisse tam crebris, atque efficacibus Cliuiensium postulatis assentiri, omnem ab ipsorum finibus timorem Hispani Militis amouendo. Proposita in eodem Senatu fuit Nouiomagensis Vrbis, & simul Arcis in aduersâ ripâ positæ oppugnatio: cui operi gemino par talis, ac tantus Exercitus videbatur. Verùm his quòque conatibus obsistere Hostem facilè posse prospiciebant. Namque & Arcem frustra idem Parmensis obsederat: & Vrbem ambitu magno, validè munitam, strenuisque Defensoribus instructam expugnare,

Campana. Carnerus.

pugnare,

pugnare, multò futurum difficilius. Quibus ita in utramque partem discussis; primæ deliberationi, quam Cardinalis fouebat, ferè omnes assenserunt: ut nempe Bommelianam Insulam, Oppidumque aggrederentur; eò maiore studio, quòd Sylua-Ducis proxima & multum inde trahere poterat emolumenti, & non parum ad eadem loca retinenda conferre. Vtendum tamen existimarunt artibus belli satis frequentatis; aliò dirigendi ictum, aliò feriendi. Ergo Schenchianam Arcem se simulant inuasuros: ut ad eam tutandam magna pars Militum Bommeliâ auocaretur, infirmiusque Oppidum, Insulamque relinqueret: & diuisæ Hostis vires imbecilliores utrobique forent.

1599.

Bommeliana expeditio eligitur a Schéchiana simulatur.

QVAMOBREM Andreas Cardinalis ad Exercitum proficiscitur: accommodatâ oratione, & quod longè validius erat ad persuadendum, uno soluto stipendio, Militem vehementer animat, atque inflammat ad pugnam. Tùm ipse cum uniuerso bellico apparatu, præter naues, ac pontones ad inuadendam Bommeliam Grauiæ relictos, ad Schenchij Arcem progreditur. Operæ-pretium videtur, ad Bommelianam oppugnationem planiùs exponendam; locum ipsum, & situm tam eius Insulæ, quàm proximæ Arcis memoratæ, in medium prodere.

Arcis Schenchianæ situs, & Rheni alluentis descriptio.

RHENVS è præcipuis Europæ fluuijs unus, postquam longissimo tractu per Germaniam fluxit, in Belgium deuoluitur, ut in mare tandem prorumpat. Sed antequam hìc suum cursum determinet; influentibus in ipsum plurimis amnibus, uno alueo non capitur, sed in duos aquarum diuortia partitur, tam amplos tamen, ut illum unum penè singuli æquent. His interiecta diuortijs Insula, Batauia olim, nunc leuiter immutato vocabulo Betuuia nominatur. In huius Insulæ fastigio, anguloque, quem fluuius primò diductus format, Arx opportuna extructa fuit à Mauritio, ac Fœderatis, inuentore, & suasore Martino Schenchio, à quo nomen accepit. Bipartitum flumen ad dexteram aliquo tractu nomen retinet: at ubi Hollandiam perfluit, cum alijs aquis alia nomina trahit. Ad sinistram verò statim Vahalis appellationem accipit, usque dum Mosæ misceatur. Ab hoc verò rursus diuertens, nouam in medio relinquit amplo circuitu Insulam, quæ à Bommeliâ Oppido præcipuo denominatur. Hoc Oppidum Insulæ meditullium tenet, ad ripam Vahalis: hinc ipso flumine, partibus alijs alio tutamenti genere communitum. Non procul inde Arx Voordensis assurgit, ubi primò Vahalis, & Mosa confluunt. Ad sinistram Vahalis ripam Nouiomagum situm est; eiusque Arx ingens ad dexteram.

Bommelianæ Insulæ positura.

Nimega.

IGITVR, in speciem Schenchianæ Arcis oppugnandæ Fride-

ricus

1599. *Emerich.*

ricus Comes Thserembergius cum septem millibus Peditum, Equitibus mille digressus Embricâ, Castra Arci admouit, ad ictum ferè bombardæ. Cumque reliquo Exercitu Cardinalis alteram ripam tenuit;iussitque Mendozzam cum Copijs propiùs accedere. Tùm verò continentibus plurium tormentorum ictibus vehementer utrinque fulminatum. Ad Regiorum armorum motum, suum quòque promoueri Militem, atque in conspectu Arcis consistere Mauritius mandauit. Ambiguus ipse quidem animi erat, verè-nè, an simulatè Hostis tam arduam prouinciam aggrederetur: quò tamen vel dubio discrimini maturè occurreret; nè Vahalim traijcerent Regij, magnam transmisit Operarum manum, quæ aggerem ab eâ ripæ parte construerent, quà transituri Hostes forent. Eum verò idoneo Militum numero custodiendum dedit. Octingentos quòque Anglos in subsidium Arcis immisit. Ipse demum, cum parte Exercitûs maximâ, transgressus in Insulam, Arcem reddidit ab omni parte tutam. At Regij, qui tantos conatus in cassum adhiberi gaudebant, suaque consilia eò feliciùs, quò occultiùs procedere sibi gratulabantur; concussionem prosequendo, hostilem diligentiam deludebant. Quàm verò hi fictè, & quasi per ludum, petebant Arcem; tam seriò ex Arce bombardis omnis generis petebantur. Et quoniam eius humilior erat situs ad quatiendum: imperauit Mauritius, ut extra illam quadratum munimentum erigeretur, atque in huius fastigio maiora aliquot tormenta collocarentur. Hæc aduersùs Regios, quâ parte Mendozza præerat, displosa, tantum intulere damni, ut paucis diebus extincti fuerint supra quadringentos.

Regij Schenchianam Arcem inuadunt.

Mauritius Subsidium immittit.

Piattaforma.

INTEREA dum simulatâ oppugnatione auertuntur ab locis alijs arma, curæque Fœderatorum; Cardinalis iussu processerant Tribuni Militum Zapena, Estenleius, Barlota cum suâ quisque Legione, Hispanorum, Hibernorum, Vallonum: unàque deduxerat plures Equitum centurias Henricus Comes Thserembergius: ut periculum facerent, si quà possent, inferiùs transmisso Vahali, in Insulam perrumpere. Numerabantur in his Pedites quater mille, sexcenti Equites. Hos omnes Andreas iusserat fluuium traijcere, duabus supra Tielam leucis: quòd eo loci nullum se habituros timerent Hostis oppositum. Idcirco memorati militiæ Præfecti triginta naues ex alueo Mosæ subduxerant, supraque carros eas transuehendas curauerant, ubi tentare statuerant traiectum. Duodecim quòque tormenta detulerant secum: utque progrederentur expeditiùs, mandauerat Cardinalis, bellicum omne instrumentum, & commeatus Grauiâ de-

Regij traijcere Vahalim conātur.

destinatis nauigijs deuehi. Huius consilij exitus felix, quemadmodum cæterorum belli, in eo situs erat, ut id impenetrabile Hosti esset. At Mauritij vigilantiam, atque ex arte militari dispositos per varia loca Exploratores, fallere tùm nequiuit aliena solertia. 1599.

Ergo hic instructas Milite, atque armis naues, Nouiomago deuocatas, transmissuris Regijs Copijs obiecit. Multum quòque Armatorum iussit in aduersam ripam concurrere, unde Hostes se commissuri nauibus erant. Inopinato Fœderati Militis oppositu perculsi, suaque consilia iam patefacta, non sine admiratione Regij conspicati; hærere primò, quid agere deberent incerti: mox inter se discrepantibus sententijs non admodum conuenire. Zapena quippe, atque Estenleius traiectionem omnino peruincendam existimabant. Eam contrà non modò arduam, ac temerariam Barlota censebat: sed etiam non sine graui multorum iacturâ Militum faciendam. Euicit tamen prior sententia, ut naues aliquot in fluuium demitterentur: ac tormentis è ripâ displosis mergerentur hostiles quatuor. Copiæ verò magno conatu in aduersam ripam euadere contenderunt. Sed cùm è terrâ, & per aquas vehementer obsisteretur; eâ spe fraudatæ. Itaque secundo flumine, propter sinistram ripam, cum omni apparatu belli prouehuntur. Nec minùs Hostis ad alteram progressus, quàcumque illi conniterentur, opponebat sese.

Sed à Fœderatis impediuntur.

Dederat in mandatis Cardinalis, ut si Vahalim transmittere minimè liceret; ex improuiso Voordensem Arcem aggrederentur, eamque viribus cunctis expugnare tentarent. Quod si minùs succederet; Tribuni Bommelianam Insulam occupare omni ope, industriâque conarentur: ibique, traiectum fluminis habere in potestate quàm liberrimè possent, studerent. Arcem capiendi spem statim abiecere, cùm Hostem proximum viderunt, atque ad obstandum paratum. Quare Vahalim egressi, rursum supra carros impositis nauibus, citatissimo cursu Bommelianam ad Insulam properarunt. Mosam tanto silentio transmittunt, ad Pagum Empelam; ut nullum alicuius momenti obicem experti sint. Septimo Idus Maias Insulam tenuerunt: ac primò vicinissimum ripæ Oppidum Halram ceperunt; quo sibi validiùs eum aditum confirmarunt. Præceperat quòque Cardinalis, ut si opportuna se præberet occasio, Crepicordij Arcem occuparent. Magnum enim ab eâ detrimentum Sylua-Ducis patiebatur. Illa quippe ostium Disæ fluuij custodiebat, qui hanc Vrbem interfluit, & leucâ unâ procul eiusdem mœnibus, euoluitur in Mo-

Coloma. Bentiuolus. Campana. Carnerus. Thuanus. Haræus. Lanarius. Reidanus. Baudart. Gaspar Ens. Pompeius Vgenius in or. fun. Card. Andreæ.

Regij Bommeliam Insulam obtinent.

1599. Mosam. Proxima Oppido à Regijs capto Arx Crepicordij erat. Quamobrem nil morati, eò arma conuertunt. Horum omnium factus Andreas certior, Mendozzam iubet cum reliquo Exercitu à Schenchianâ recedere. Quartis inde castris ad Arcem Crepicordij peruentum. Præsidium quòque, Embricæ relictum, huc dicitur euocatum. Non ita valida, nec tam diligenter munita Arx ea tunc erat, ut diu sustinere posset Regiorum obsidionem. Igitur vix positis Castris, expeditisque tormentis, cùm iam concussionem, atque indè impressionem hi se facturos minarentur: Defensores, eam retinere se posse desperantes, ut saluti suæ maturè consulerent, deditionem fecerunt. Cardinalis interea migrauerat Syluam-Ducis, ut eâ in Vrbe multa pararet ad Bommelianam expeditionem opportuna.

Crepicordii Arx Regiis deditur.

MENDOZZA cum Exercitu, ineunte Maio, ingressus est Insulam Bommelianam: dexteroque insistens aggeri, qui vergit ad Vahalim (huiusmodi enim plures per ea loca erecti, ad fluminum alluuiones in campos coërcendas) in proximo Pago Heruini substitit. Haud longè multæ naues Hostium erant Milite instructæ, paratæque à Mauritio, qui iam Andreæ consilium exploratum habebat, ad Regios Vahalis traiectu prohibendos. Eas ut summouerent, omnem hi adhibuerunt industriam; tormentisque displosis aliquid eisdem damni crearunt. Verùm varijs fluuij flexibus sese tegentibus illis, hunc tollere obicem nunquam Regij potuerunt. Motis Heruino Castris in Oppidum Bommeliam peruênit Exercitus. Erant in hoc cum suis Hispanis Carolus Coloma, cum Italis Alphonsus Aualus, cum Vallonibus Barlota, cum Hibernis Estenleius. Horum pars aggerem tenuit; alij interiora loca insederunt. Iamque cum suorum Militum maiore numero Mauritius Hostem præuerterat: & Castris è regione Bommeliæ, in aduersâ fluminis ripâ collocatis, in Oppidum subsidio miserat Pedites mille. Geminos præterea pontes maturè imponi flumini iussit, hinc atque hinc ad Oppidum ferentes: quorum alter è cymbis erat, quo Pedites traijcerent: alter è crassis pontonibus ad Equitatum, & carros transducendos; & hic amplitudinis tantæ, ut dúo iuxtà carri ultro, citroque agi facilè possent. Tùm ad Bommeliam propugnandam, tria quòque Peditum millia, Equites quadringentos transmisit. Quem numerum quando continere paruum id Oppidum nequibat; extra mœnia morari iussit, seque ductis aggeribus, fossis, alijsque munimentis opportunè protegere.

Regii Bommeliam obsident.

Mauritius eam tueri parat.

HAVD segniùs Regij sua Castra munire. Quod antequam perficerent, multum à bombardis hostilibus accepere detrimenti.

ti. Quippe simul tormentis ex Oppido displosis, simul eis, quæ in aduersâ ripâ disposita erant, imò & ex ipsis nauibus petiti; quò se reciperent, quíue se tuerentur, propemodum ignorabant. At ubi opportunos aggeres, ac munimenta erexerunt, bombardis rite collocatis & Bommeliam, & suburbanas Hostis munitiones quatere vehementer cœperunt, non sine graui damno Fœderatorum; qui iam suum Exercitum coëgerant uniuersum ex millibus Peditum octodecim, Equitum tribus. Has Mauritius Copias per Oppida, Pagosque distribuit, eidem, quam instituerat, ripæ impositos. At Regij, ac præcipuè cum suis Italis Aualus, magnum Hostium aggerem aggressi sunt: tantoque eum inuaserunt impetu, ut eodem fuerint feliciter potiti. Verùm (ut belli fortuna variat, & mutatur in horas) eodem, quo ceperant, die sub vesperam eruptione à Bommelianis factâ; non sine multorum insignium iacturâ Militum, aggerem deseruere. Ipsemet Aualus ictu mosqueti percussus in latere, vix referri potuit à suis in Castra, atque ab Regijs Medentibus curari. Neque multi effluxerunt dies, cùm, ut subitò capti aggeris ignominiam reponerent, Fœderati Milites numero ad quinque, siue (ut ab alijs traditur) septem millia, Regiorum inuasere munitiones. Quarum ab uno angulo proturbarunt principio Defensores. Circumfusa namque tam densa caligo erat, ut alterius aspectum alteri demeret. At coëuntes in unum Itali præ cæteris, Hispanique, factâ impressione, Hostes inde propellunt, eorumque supra trecentos perimunt: in quibus & Anglus Tribunus erat, & sex Centuriones. E Regijs verò desiderati Milites quinquaginta, Centuriones duo.

Regij aggerem capiūt, & mox amittunt.

Bommeliana eruptio.

VENERAT per eos dies Odettus Lanouius Francisci Filius (quos alij Nuæ Dominos appellant) militatum Fœderatis. Huic igitur, magni in re bellicâ Parentis non degeneri proli, alterius eruptionis curam demandauit Mauritius: quæ ut minùs expectata, magisque horrifica ingrueret Hosti, nocturnas in tenebras reseruata. Adiunguntur socij partim Galli, partim Angli Pedites lectissimi, numero ferè quinquies mille. Hi omnes agmine facto irruunt in ea præsertim opera bellica, quæ super aggere, locisque vicinis Regij moliebantur. Impetum in hos faciunt, Ordinesque disijciunt. Primam seruabant aciem Vallones, quibus tùm præerat Achicurtius Tribunus. Omnem is conatum unà cum illis adhibuit ad obsistendum: sed paulò pòst grauiter saucius, Hostiumque impetu magis, ac magis inualescente, paulatim retrocedere coactus est, & socios in subsidium euocare. Iam strepitus factæ impressionis Regios Milites viciniores

Altera maior fine fructu.

1599. niores conciuerat: remotiores verò bellica signa, & arma undique conclamata commouerant: ut omnis Exercitus in procinctu esset ad pugnam. Vallonum auxilio primæ omnium accurrerant acies Peditum Hispanorum, Italorumque. H: furori Hostium opponentes sese, eius impetum aliquandiu sustinuerunt. Intereaque nouis semper opitulantibus Copijs, munitiones demum egregiè defensæ. Quare spe quidquam proficiendi prorsus abiectâ, de receptione Hostes cogitarunt. Atque albescente iam cælo, probè seruatis Ordinibus, se retulere ad suos. Insectati sunt Regij ad munimenta usque, ac Bommeliæ muros: & continenter utrinque, ac strenuè pugnatum. Iam verò aliquot obsidionis processerant sine fructu dies: Oppidique expugnatio propè desperata videbatur; quandoquidem eius subsidio aderat valido cum Exercitu Mauritius. Finis Regijs in eâ expeditione propositus præcipuè hic erat: ut occupatâ Bommeliâ, munitum haberent locum imminentem Vahali; cuius beneficio, fluminis traiectus esset in potestate, ad Hostium prouincias, ac præsertim Hollandiam inuadendam. Hâc itaque spe fraudatis, nouum consilium, ad idem consequendum, prospera sors obiecit.

Nouum consilium Regiis à transfuga suggestum.

TRANSFVGERAT haud ita pridem à Fœderatorum Castris militaris Architectus, natione Germanus. Hic ab Regijs libenter exceptus (ut huiusmodi homines esse solent quàm ijs infensi, à quibus recedunt, tam utiles illis, ad quos accedunt) cum inaudisset, in Senatu Cardinalis bellico de soluendâ obsidione deliberari; proponendum ante discessum curauit, quod in mentem sibi venisset, ad intercludendam Hosti duorum fluminum traiectionem, magnisque propterea damnis eumdem debilitandum. Quà primò confluunt Vahalis, & Mosa, cuneatum terræ spatium paulatim dilatatur: inde aliquantùm arctatur prope Rossemum Pagum: tum latiùs patentem explicat insulam, extenditque, donec iterum coëuntes fluuij eam fastigiato termino concludunt. In arctiore illo tractu, ac velut Isthmo, suadebat Architectus, ut Arx ingens extrueretur, quæ totum eum occuparet: futuram eam dicens tanquam compedes fluminibus iniectas: Hostique Columnas Herculeas, nè ulteriùs irrumperet; eòque Schenchianâ Arce opportuniorem, quò Fœderatis viciniorem. Placuit Cardinali consilium: deque eo referri voluit ad Senatum. Res sedulò discussa, omniumque consensu comprobata. Regionis quòque peritos ad se acciri iussit Andreas; ab eisque voluit de omnibus ad idem pertinentibus edoceri. Sed neque his in tanti ponderis deliberatione contentus; ipsemet oculis perlustrare decreuit locum. Quare cum Principibus Exercitûs

tûs eò concessit: quamuis periculum aliquod à tormentis hostilibus sine cessatione displosis impendèret. Rebus omnibus diligenter exploratis, opus tantæ utilitatis aggredi omnino statuit: Quoniam verò diuturni temporis labor, magnique negotij, ab infestationibus vicinorum Hostium, videbatur: iussit Cardinalis Exercitum cum omni bellico apparatu Bommeliâ decedere, atque in locum Arci destinatum migrare; ibique se super aggere ad Mosam vergente communire.

1599. Iidem Scriptores.

...nouam Arcem struere parat.

Obsidio soluitur.

IGITVR Aloysius Velascus curæ impositus, eòque præmissus fuit sub ingressum Iunij cum bis mille Militibus, ut situm custodiret, ac laborantes Operas erectâ Vahalim versùs loricâ tutaretur. Cùmque in eâ Insulâ pabuli penuria esset, ad alendum Equitatum: neque admodum liber, ac tutus traiectus esset commeatibus Grauiâ venientibus ad Exercitum; Ambrosio Landriano Magistri Equitum Locum-tenenti mandatum, ut citra Mosam cum suis excubaret: adiectique ad securitatem Equitum Pedites ferè bis mille appositè distributi. Constitit Landrianus ad Pagum Grotolitium ex aduerso Voordensis Arcis, quam Hostis insidebat: ad Litouium cum septem signis Equitum Ludouicus Eques Melzius: in loco aliquantò superiore, ac propiore Mosæ Ferdinandus Gueuara cum suo Equitatu: Megam verò inter, ac Reuestainum cum alijs quinque Centurijs Ioannes Contrera. Adeòque via uniuersa, Grauiâ Bommeliam ferens, nonmodò tuta peruehendis commeatibus erat; sed ita contra Hostem munita, ut nulla eius turma posset traiecto Mosâ regionem illam excursionibus infestare. Reliquus verò Exercitus, obsidione dimissâ, Heruinum deductus est: inde sensim ad locum progressus, ubi Arx erat ædificanda.

MAVRITIVS statim atque recedere vidit Obsessores, tantâ cum suis lætitiâ perfusus est: ut eius argumento, subitò iusserit omnia tormenta displodi. At nouo Regiorum consilio perspecto, ei obuiàm ire viribus cunctis contendit. Quamobrem in superiorem aduersæ ripæ situm è regione Hostis cum Exercitu migrauit. Ibi plures collocari bombardas iussit, quibus aggredientes opus Regios interturbaret. Eâdem usus industriâ Velascus contra Fœderatos, ut vim suis Operis factam vi pari repelleret. Vtrinque igitur sine intermissione tormenta fulminabant. Vtque suas Copias ab hostilibus Mauritius tueretur; ingentem aggerem excitauit: quadratumque munimentum adiecit, viginti bombardarum in summo capax. Eisdem planè operibus se muniji Velascus: ut iam non Hostes viderentur, sed bellicarum artium æmulatores. Antè verò quàm huiusmodi munitiones

Mauritius Arcis structuram impedire conatur.

utrinque

1599. utrinque perficerentur, tam assiduè, vehementerque maiora, ac minora tormenta ab utrâque parte displosa : ut in hoc, atque illo Exercitu numerati fuerint homines supra mille ducentos eorum ictibus vel extincti, vel saucij. Denique cùm se satis munijsset Velascus, datum operi initium Nonis Iunijs.

Arcis Sancti Andreæ ædificatio.

In angustiore illius Isthmi, siue Insulæ parte iacta sunt Arcis fundamenta. Ingentes anguli duo ad Vahalim, totidem ad Mosam spectabant: alius ad medium terræ vergebat, pentagònâ nimirum figurâ recentiorum Arcium satis frequenti. Anguli quique suis basibus foras eminentibus communiti: fossæ vicem hinc, atque hinc fluuij obtinebant, Arti quodammodo subseruiente Naturâ. Ab lateribus verò in terram prostantibus aliæ manu fossæ obductæ. Operi continenter insistebant cum bis mille fossoribus, ac fabris, milites mille: tria verò millia eis tutandis excubabant. Multum in eo laboris, multum pecuniarum insumptum. Arx enim instar Oppiduli fabricata, latis pomerijs, moletrinis, alijsque opportunis ædificijs commodè instructa: insigni demum ornata sacello, ab ipso Cardinali cognomini suo Sancto Andreæ dedicato; unde factum Arci nomen.

Ad eam disturbandam acer conflictus.

Non ignorabat Mauritius, quantum ex eâ discriminis suis rebus impendêret. Valde tamen arduum nouerat, id operis disturbare: quandò ad eum locum unus dumtaxat terrâ patebat aditus admodum angustus, per aggerem nempe, qui iam fuerat à Regijs occupatus, & communitus. Aliam ergo excogitauit viam cœptis obicem interponendi. Quo Arx condebatur solo proxima erat Arx Hostium Voordensis. Ad eam Mauritius sibi, suisque migrandum censuit. Itaque cum maiore Exercitûs parte, transmisso Vahali, ibidem constitit; ut ex propinquo Regiorum opera infestaret. Quòque id faciliùs, pleniùsque consequeretur; ponte repentè iniecto, iussit Peditum tria millia ex eâdem Arce in Bommelianam Insulam accurrere: atque Heruerdensem Pagum tenere. Hîc postquam se Fœderatus Miles muniuit; grauibus cœpit damnis lædere Regios. Qui propterea eum inde repellere omni ope contenderunt. Transmissus ad hunc finem Fridericus Comes Thserembergius cum frequenti Peditatu ferè ex Hispanis uniuerso. Acriter hi principio aggressi Hostem. At is quà firmitate munimentorum, quà suâ virtute, tam strenuè inuadentium impetum sustinuit, ut receptui canere coacti fuerint Regij, non sine magnâ suorum cæde, trecentis nempe desideratis, & aliquot inter eos Viris insignibus, Militumque Præfectis. Nunquam tamen interea fabricandæ Arcis labor intermissus, continenter excubante distributo per Insulam Peditatu.

Suonar' à raccolta.

Capitani.

Eques

Eques namque intra eam consistere nequierat, tum ex pabuli penuriâ, tum ob angustias locorum. Quare trans Mosam ductus fuerat Brabantiam versùs; atque ad Oppidum Megam in circumiectis Pagis, Exercitui reliquo propioribus, morabatur. A quo ut subsidia, pro opportunitate, faciliùs acciperet, eidem fluuio pontem imposuerat. Imò ut se magis ab Hoste tueretur, in quâdam aggeris parte, quæ illi magis erat obnoxia, munimentum erigebat.

1599.

Nec vana fuit hæc omnis in hostiles incursus præparata munitio. Mauritius quippe segregatum animaduertens ab reliquis Copijs Equitatum; eum inuadendi tempus opportunum ratus est, non sine spe aliquam Hosti cladem importandi. Igitur ab Arce Voordensi ad ripam aduersam ponte supra Mosam inducto, parata iussit esse sex delectorum Peditum millia, sub Verio Tribuno Anglo, ac sub Lanouio; unàque mille quingentos Equites Ernesti Comitis Nassauij ductu, qui omnes hostilem Equitatum aggrederentur, cùm primùm ipse significaret. Nondum perfectè fuerat communitum, quod modò memorauimus, aggeris propugnaculum, Durangum dictum ab eo, qui exstruendo præerat, Didaco scilicet Durango, Legionis unius Hispanæ Præfecto. Quare Mauritius, non expectandum putans, donec omnino perficeretur; ineunte Iulio, sub primam lucem, iussit Erneftum Comitem, Verium, ac Lanouium cum instructis Equitibus, Peditibusque in Hostem impetum facere. Quod tamen non antè licuit, quàm Durangum propugnaculum expugnassent. Ab eo quippe tum in aggressione, tum in reditu multum imminere discriminis intelligebant. Igitur ad illud oppugnandum Verius, & Lanouius cum maiore Peditatus parte progressi sunt, Ernesto cum Equitibus addente vires, quantùm locorum angustiæ patiebantur. Vehemens ea impressio fuit, ac ferox: nec solùm erat cum Hoste certamen, sed inter Milites ipsos Gallos, atque Anglos, inter utriusque Nationis Præfectos, ardens de alacritate, ac virtute contentio. Scalis undique admotis, certatim quærebatur ascensus: nec iam eminus bombardis, aut mosquetis, sed cominus ense, & clypeo res agebatur. Munimentum quingenti Pedites partim Hispani, partim Vallones custodiebant; hi quòque inter se de strenuâ loci defensione certantes. Imperfecti operis imbecillitatem animorum vigor, manuum robur compensabant: ut nihilò minor esset in obsistendo constantia, quàm generositas in oppugnando. Diu conflictus utrinque acer; atque in ancipiti victoria fuit. Verùm ad oppugnationis rumorem diditum, Mendozza cum parte maximâ

Durangum propugnaculũ à Fœderatis infestatur.

Hic etiam ingens dimicatio.

1599. ximâ Peditatûs accurrit. Quo aspectu perculsus Hostis, ac multùm à pristino ardore languescens, paulatim cedere, ac demum inde recedere satius duxit. Extincti feruntur ex Mauritianis supra trecentos: è Regijs septuaginta. Ex hoc improspero euentu, consilium omne Equitatum inuadendi depositum. Quamquam ei præfectus Ambrosius Landrianus tam prouidè, accuratèque se, ac suos munierat, ut vix Hosti relictus esset nocendi locus.

Propugnaculum, & Arx perficiuntur.

DVRANGVM verò propugnaculum, obice quocumque submoto, perductum feliciter ad summum fuit. Neque post multum temporis Arci quòque, quam Cardinalis singulari studio moliebatur, suprema imposita manus; eodem urgente, ut antè perficeretur, quàm ipse administratione Belgij se abdicaret. Eum laborem cohonestare voluit, atque animare conspectu suo, suique Fratris Caroli Burgauiæ Marchionis, qui non ita pridem aduenerat è Germaniâ; quin etiam Mauritij inferioris Saxoniæ Ducis; Octauijque Frangipanis Pontificij per Belgium Nuncij. Quibus ad Castra accedentibus, argumento lætitiæ, magnus bombardarum numerus exoneratus. Nè verò tantum pyrij pulueris in solum honorem Principum absumeretur, ferreos quòque globos iniecerunt, quibus in Castra hostilia fulminarunt: ut unus idemque tormentorum boatus gaudium Amicis, luctum Hostibus nunciaret. Ingenti Arci magna circùm adiecta propugnacula, à plerisque eorum Principum denominata: Austriacum à Cardinali, Burgauium à Fratre, Saxonicum ab Duce, Aragonium à Mendozzâ, Velascum ab rei tormentariæ Præfecto.

Principum Virorum periculum.

DVM ab Arce se Principes ad Mendozzæ tentorium conferrent, inopinatum vitæ periculum subiere. Namque duo tormentis hostilibus exclusi globi; quorum alter equorum, quibus insidebant, capita, alter dorsi propè percusserunt. Quodque magis mirandum accidit; eodem ferè temporis articulo (uti postea compertum è captiuis) emissus pariter ab Arce Sanctandreanâ globus Mauritio, qui curru vectus sua Castra perlustrabat, adeò vicinus præterijt, ut impetu in humum lutulentam impactus, Mauritium, sociosque luto resperserit. Ità cùm fortuna belli voluit, æquatis lancibus in utramque partem se iustam ostentare: præsentique periculo Principes illos Viros commonuit; nè se, quia Principes forent, ab ictibus fortunæ tutos arbitrarentur. Magnam allatura perniciem Fœderatis Arx illa recèns extructa videbatur; siquidem eam plerique clauem Hollandiæ vocitabant. Ipsi tamen sibi, quæ optabant (uti fit) facilè augurantes, per iocum iactare soliti: multum sese Hispanis debere, quòd tan-

1599.

tis impensis,ac laboribus; imò tot suorum periculis, cædibusque tam opportunam Arcem ædificassent,quàm penitùs instructam essent sibi paulò pòst humanissimè concessuri. Nec vana fuit(ut comprobauit exitus)diuinatio. Mauritius verò, quò simili se arte contra Hostem muniret; aliud in aduersâ ripâ (Teruora loco nomen) molitus est propugnaculum, magnitudine quidem, ac mole impar; sed tale tamen, ut posset fluuiorum traiectionem Regijs vetare, eorumque illac excursiones cohibere.

DE
BELLO BELGICO
LIBRI DVODECIMI
SVMMA.

Ontra Regios Vesthphaliam obtinentes arma mouent Germaniæ Principes. In hos Mendozza Copias instruit. Vesalienses eâ occasione ad Hæresim redeunt. Garzadorus, quamuis à Mendozzâ defensus, multa constanter tolerat cum Socijs: ac re desperatâ discedit. Germaniæ Principes Rhenobergam obsident: ac paulò pòst recedunt. Ab eisdem Rhesa obsidetur. Orticius à Mendozzâ missus subsidium solerter inducit. Factis utiliter eruptionibus, obsidio soluitur. Obsessores insequuntur Obsessi, & prædantur. Discordiarum in Exercitu damna. Regina Hispaniæ, Mater, & Archidux Albertus magnis honoribus excipiuntur Genuæ, in Galliâ, in Hispaniâ: ac præsertim Valentiæ. Vbi geminæ Nuptiæ regiè celebrantur. Albertus, atque Isabella discedunt in Belgium. Per Italiam eximiè culti, atque à Pontifice donati, Reginæ Mater Lauretanam ædem veneratur. Archiduces excepti splendidè ab Heluetijs, & Lotharingis. Pompæ, quibus Belgium ingressi. Andreas Cardinalis Galliam petens Regem conuenit. Archiduces, & Belgæ Regi subiecti mutuo iuramento se obstringunt varijs in Vrbibus. Proceres aliquot ij promouent,

atque insigniunt. Louanij Scholas adeunt: Lipsium audiunt. Initio anni sæcularis sacri Mauritius Vachtendonchá potitur. Gallorum, & Belgarum aliquot ex prouocatione certamen memorabile: victoria penes Belgas. Tumultus in Præsidijs Arcium Sancti Andreæ, & Crepicordij. Vtraque Mauritio deditur. Legati Cæsaris ad Archiduces pro Vestphaliâ occupatâ, gratulatione Principatûs, & tractatione pacis cum Fœderatis. Hos ijdem adeunt, eamque tractant sine fructu. Sassum Gandauense describitur. Mauritius Classem ingentem immittit in Flandriam: & quas ob causas. Friderici Spinulæ Classis metuenda Zelandis, atque Hollandis.

DE BELLO BELGICO LIBER DVODECIMVS.

1599. *Campan. lib. 7. Gaspar Ens lib. 20. Grotius l. 8. Zanarius. Haraeus anno 1599. Thuan. lib. 122. Di Lippa. D'Hollac. Carner. lib. 13. c. 11. Coloma lib. 12. Reidanus l. 36. Bentiu. l. 5.*

Principum Germaniae cóspiratio in Regios.

GERMANIAE Principes, qui Vestphaliam ab Hispanico Milite infessam molestissimè tulerant; à Fœderatis Belgij quà literis, quà legationibus sollicitati, nouum inter se fœdus aduersùs communem Hostem inierant. Coactus ab ijs erat Exercitus Peditum ferè viginti quinque millium, Equitum quatuor: cui cum summo imperio praeerat Simon Luppiae Comes, Vestphaliaeque Praefectus, ejus locum tenente Comite Hoënloio, quem ad hanc expeditionem inflammandam legarant in Germaniam Fœderati. Igitur Augusto ineunte, ad Rheni ripam, Rhenobergam versùs, Copiae omnes conuenerunt numero, quàm virtute, maiores. Quippe neque Dux expertus admodum bellandi; neque Milites veterani.

Campana. Camerus. Thuanus. Gaspar Ens. Haraeus.

HVNC armorum motum ubi primùm comperit Andreas Cardinalis; Ferdinandum Madrutium ad eos Principes misit (alij missum à Mendozzâ tradunt) inuestigatum, quaenam ipsis mens esset; & quae causa mouendi arma, quando consecuti iam erant, quod tantoperè requirebant, ut Regius Miles Vestphaliâ remoueretur. Tres dies à Luppiensi Comite detentus Madrutius: tùm sine ullâ certâ deliberatione dimissus ab eodem, asserente; propediem se Cardinali responsurum, & quid constitutum fuisset, scripto expositurum. Verùm post longam cum alijs Principibus, bellique Praefectis consultationem; responsum dedit adeò perplexum, ambiguumque, ut satis appareret, eos velle temporis moram interponere, atque ex inopinato Regios adoriri. At Cardinalis ad Arcem prorsus communiendam totus incumbebat: cui pridie Nonas Augusti quatuor imposita fuere maiora tormenta, & post paucos dies alia sex, quorum ictus ultra Vahalim ad Hostium Castra pertingebant: tùm alia multa minora. Indè commeatu in multos menses, omnique bellico apparatu Arx affatim instructa. Adiecta quòque eius, & vicinarum munitionum praesidio, tria Militum millia è Barlaemontij Comitis, Achicurtij, & Comitis Embdani Legionibus. Quibus

 peractis,

peractis, cùm audiſſet Andreas, Albertum, atque Iſabellam Principes in Belgium aduentare; Caſtris exceſſit, magnumque reliquit Militibus deſiderium ſui, cùm ſingulari humanitate omnium ſibi animos deuinxiſſet. Reuerſo Bruxellas Cardinali, liberum armorum imperium Mendozzæ relictum. Is contra imminentem Germanorum Exercitum Copias inſtruxit. Iam enim hic Rhenobergam inuadebat. 1599.

Mēdozza parat ſe contra Germaniæ Fœderatos.

HVIVS vicini Exercitûs opportunitas, in quo plurimùm Hæreſis dominabatur, magno Veſalienſibus incitamento fuit, ut depoſitâ demum, ad tempus ſumptâ, Catholicorum perſonâ, in priſtinum Sectarum cultum relaberentur. Igitur ad ſacras Conciones, & Catechiſmos infrequens eſſe Populus: & qui pauci aderant, curioſo magis rerum nouarum ſtudio, quàm ſui profectûs deſiderio ducti. Sæpiùs etiam in Templis turbæ gliſcebant, & contra Sacerdotes contumeliæ. Hæretici Miniſtri in anteacti temporis auctoritatem, moremque docendi ſenſim reſurgebant. Quòd ſi Pontificius Nuncius, non ſeruari promiſſa de ijs Vrbe pellendis, quereretur; biduo, triduo-ve deliteſcebant: mox impunè rurſus in publicum prodibant. Quæ cùm animaduerteret Præſul optimus, ſeſeque contemptui haberi, ſatis intelligeret: diſſimulabat tamen, patienterque ferebat, ſpe potioris boni, reique tanti momenti ad exitum conſtantiâ, ac tolerantiâ perducendæ.

Veſalienſes denuo Hæreſim palā fouent.

Iidem Scriptores, qui de Veſalia lib. 11.

MENDOZZA factus omnium certior, ingenti ſenſu doloris excruciari: ſed nouis in dies bellis implicitus, excuſare ſe, quòd nequiret ipſe præſens armatâ manu tantam perfidiam, contumaciamque perfringere. Quoniam verò Nuncij perſonæ metuebat à ludibrijs, inſultibusque Populi, per hæreſim in omnem licentiam debacchantis; duplici eum præſidio munitum voluit. Literas namque dedit ad Rheſiæ Gubernatorem cum mandatis, ut quemcumque numerum Militum ad ſui tutamen Præſul poſtularet, ſine cunctatione tranſmitteret. Scripſit quòque ad bellicæ nauis Præfectum, quæ non procul Veſaliâ morabatur in Rheno: ut paratus eſſet ad eumdem, quoquò vellet, deducendum. Incertus quippe Mendozza erat, ibidem-ne perſiſtere, ac difficultates peruincere omnes; an tempori cedere, aliòque migrare Garzadorus mallet. Deque his mandatis ipſum commonefecit.

Mendozza tueri pergit Nuncium Pontificium.

INTEREA Populi furor, Hæreſeosque præualeſcentis inſania nullis limitibus coërcebatur. Hæreticorum cœtus, & Scholæ frequentabantur palàm. Catholicorum verò conciones, & Sacra excitatis identidem tumultibus, ac ſibilis, iactatis quòque lapidibus

1599. dibus turbabantur. Nec dubitarunt ipſimet Præſuli denunciare, ut Veſaliâ quamprimùm excederet, niſi deteriora libèret experiri. Simul Amicorum conſilijs, literiſque tum Coloniâ, tum aliunde datis, ad diſceſſum inſtigabatur. At ipſi, cui tantum rei Chriſtianæ negotium, quatuor iam menſium ſpatio, tot impenſis, laboribus, periculis ſteterat; durum admodum videbatur ſine ullo tantæ operæ pretio, fructuque, ac re infectâ diſcedere. Necdum ſpem omnem conſequendæ illius Populi adeò refractarij ſalutis depoſuerat: Dei moris probè gnarus, qui deſperatis plerunque rebus præſentiore adeſt auxilio. De ſe verò nihil timebat, eiuſdem ope fretus, qui ſe ad eam diem inter medios Hoſtium globos ab apertâ ferri, occultâ veneni vi ſeruaſſet incolumem. In eâdem perdurandi ſententiâ duo erant è Societate Ieſu Sacerdotes, qui ei adlaborabant in operibus pietatis, inque animorum ſalute comparandâ. Hi non eis contenti incommodis, conuicijs, opprobrijs, quæ multa pro Catholicâ diſſeminandâ Fide paſſi fuerant; adhuc grauiora perferre parati erant, & vitam ipſam cum ſanguine profundere, dum eo pretio redimerent homines Hæreſi mancipatos. Verùm hæc omnia tandem in irritum recidère. Namque ipsâ die Chriſto in Cælum aſcendenti ſacrâ, perruptis omnibus pudoris, timoris-ve repagulis, auſi ſunt Sacerdotem, qui ſuggeſtum ad concionandum aſcenderat, per ſummam vim, ignominiamque inde detrudere; atque in arcanum locum ſic abdere; ut multos dies nequierit vel paucis Catholicis ſacra Myſteria celebrare. Denique Præſulis, ac ſociorum expectatio prorſus infructuoſa deprehenſa, & ſpes melioris frugis acciſa, eos ad profectionem, quamuis multis difficultatibus obſitam, adegerunt. Quare Gubernatorem Rheſenſem per clandeſtinas literas Garzadorus rogauit, ut certo tempore quinquaginta Sclopetarios Veſaliam mitteret: nauiſque memoratæ Præfectum monuit, ut ad ſe deducendum paratus eſſet.

Garzadori Nuncii patientia, & conſtantia.

Iniuriæ in Sacerdotem.

VBI ergo poſtulati ad cuſtodiam Milites aduenerunt; euocatis veſpere Ciuitatis Burgimagiſtris (ut appellant) ſignificauit: *Quandoquidem Calendis Maijs Treuirenſis Archiepiſcopus obierat; ad nouum eligendum, adeſſe ſe quamprimùm oportere. Quamobrem poſtero mane ſeſe itineri commiſſurum. Darent ipſi operam, nequid in abſentiâ ſuâ à Popularibus turbaretur. Quicquid in ſe, ſuoſque ſocios minùs dignè patratum foret, excelſiorem ſuâ poteſtatem in tempore vindicaturam.* Humaniter illi ſuam operam, publicamque quietem promiſerunt. Igitur eâ nocte rebus cunctis ad profectionem idoneis inſtructus, primâ luce rhedam conſcendit, Militibus centum latera ſtipantibus, & aliquot præeuntibus carris re dome-

Nuncii verba nouiſſima, & diſceſſus.

me-

mesticâ onustis. In hoc discessu, licèt per mediam Vrbem irètur, nihil noui attentatum. Imò dum portâ Vrbis egrederetur Præsul, ab acie Vigilum utrinque explicatâ, displosis mosquetis honorificè salutatus. Itaque inscensâ naui, quinto die Coloniam peruènit. 1599.

Vesalienses eo impietatis fræno soluti, ad ingenium, pristinamque vitæ licentiam Hæresis sociam rediere: ingenti sibi plausu gratulantes, excussum simul Hispanicum, & Catholicum iugum, delusam Mendozæ seueritatem, & Garzadori patientiam. Ita unius Exercitûs metu inuecta Religio, alterius fiduciâ reiecta est. Quippe non armis intrudi, sed animis volentibus indui Pietas amat: &, si coacta, non spontanea hæc est, nec sincera solet esse, nec diuturna: ut in hoc exitu rei Vesaliensis clarissimè patuit.

Germaniæ Fœderati Rhenobergã obsident.

Inter hæc Germanorum Principum Miles ad Rhenobergam Castra posuerat. Ea namque Vrbs Cæsaris imperio subiecta censebatur: quamuis modò ab Hollandis fuisset, modò ab Regijs per vim occupata. Tunc ab his obtinebatur, Germanorum, & Vallonum munita Præsidio. Verùm, uti frequentes erant per ea tempora tumultuantium Militum seditiones, ibi quòque Præsidiarij turbauerant: Gubernatorem turpiter eiecerant: electum ab se cum suis Magistratibus subrogauerant. Id non ignotum Luppiensi Comiti, atque Hoënloio, eos impulerat, ut magnis pollicitationibus obiectis, & communis Nationis necessitudine memoratâ, deditionem Vrbis à Præsidiarijs postularent. At hi, qui in obedientiâ se peccasse cognoscerent, in fide quòque delinquere, ac bis rei esse noluerunt: vel quòd unius criminis faciliorem esse veniam intelligerent: vel quia leuiorem ducerent notam seditiosi, quàm proditoris. Igitur Vrbem dedere recusantes, ad eam contra nouum Hostem tuendam se accinxerunt.

Tumultus ea in Vrbe.

Ammutinamenti.

Præsidiarii deditionem negant.

Germaniæ Fœderati paruam Insulam è regione Rhenobergæ, non semel suprà memoratam, inuasere principio. Munimentum in eâ positum centum ferè Præsidiarij custodiebant. Qui ab Hostibus circumuenti, tam se strenuè gesserunt, ut ex eis interfecerint supra ducentos, paucos desiderauerint è suis. Quia tamen illos longè superiores numero videbant; potius habuere in Vrbem confugiendo, sese, Vrbemque defendere, quàm munimentum, atque Insulam, quorum iactura parui momenti foret. Eorum potiti Germani, Rhenobergæ tamen obsidionem prosequuti non sunt. Causam Scriptorum alius refert ad robur, inuictamque constantiam Defensorum. Censent alij (quod si-

Lib. 9. & 11.

Soluta ab Germanis obsidionis Causæ.

Bentiuolus. Carnerus. Campana. Thuanus.

1599. ſimilius vero videtur) diſcrepantes ſententias Principum Exercitûs (frequentem perniciem conſiliorum belli) effeciſſe, ut Caſtra inde non ſine damno exiſtimationis mouerentur. Quippe Hoënloius, ut à Fœderatis Belgij miſſus, cumque ipſis conſentiens, eorum Copijs coniungi volebat Exercitum Germanorum. At Luppienſis Comes, alijque contrà ſentiebant; veriti vehementer Hiſpanum irritare, ſi ſeſe ei rebellibus aſſociarent. Vt verò quamprimùm Regios totâ Cliuiæ ditione ſubmouerent; Rheſamque præcipuè recuperarent, quam aucto in dies Præſidio Mendozza muniebat: obſidionem Rhenobergæ ſoluere decreuerunt. Antè tamen quàm decederent; munimentum erexit Luppienſis in aduerſâ fluminis ripâ, eique idoneum Præſidium impoſuit: quo continenter Vrbem illam infeſtaret; &, ſi res poſceret, nouâ premeret obſidione.

Res. Lib. 11.

EXINDE Caſtra Rheſam versùs mota, Oppidum ad Rheni dexteram, ut antea dictum. Eam adhuc in manu Regij cùm tenerent, propediem Cliuienſi Duci ſe reddituros pollicebantur. At Germani, vel parum habentes fidei promiſſionibus Hiſpanorum: vel nè vanus, ac fruſtra excitus videretur ille motus armorum; id Oppidum obſidere ſtatuerunt. Fouebant eiuſmodi conſilium Belgij Fœderati, cauſam ſuam Germanorum Principum cauſæ coniungere ſtudentes. Idcirco ad Hoënloium, Equitum, Peditumque numerum aliquem tranſmiſerant, qui eorum arbitrio militarent. Igitur Auguſto exeunte Rheſam circumſedit Exercitu Luppienſis. Ramirus Guſmanus Hiſpanus ei præerat cum Militum ferme octingentorum Præſidio: è quibus tria erant Hiſpanorum ſigna: totidem Germanorum: duo Burgundionum: unum Vallonum. Equites verò nonniſi quinquaginta, quos Botbergius moderabatur. Ex aduerſo eius Oppidi, ad alteram fluminis ripam munimentum ſurgebat, quo aditus Hoſti obſtruebatur. Id cuſtodiebant Milites ferè quadringenti ſub quatuor ſignis, ex memoratis modò Nationibus, præter Hiſpanam.

Campana. Gaſpar Ens. Haræus. Thuanus. Carner. l. 14. c. 2. Coloma lib. 12. Reidanus. Bentiuolus.

Germani Rheſam obſident.

OBSIDENTIVM verò Caſtrorum diſpoſitio hæc erat. Luppienſis Comes cum duabus Peditum Legionibus, Equitibuſque mille ſexcentis in duas & viginti cohortes diſtributis, paſſibus circiter quingentis procul Oppido, conſtitit ex eâ parte, quæ reſpicit Embricam: ibique ſe validis aggeribus muniuit, fronte in Rhenum obuerſâ. Ex altero latere, quod ad Veſaliam vergit, ſtationem locauit Hoënloius, vix iactu bombardæ remotus ab Obſeſſis: præeratque Germanis quater mille Brunſuicenſis Ducis Militibus, & Friſijs ſexcentis è Legione

Caſtrorũ diſpoſitio.

Guil-

Guillelmi Comitis Nassauij, eiusdemque undecim Cohortibus Equitum. Suis ipse quòque loricis Castra scitè circumsepsit, & super aggere portæ, quæ Vesaliam ducit, opportunum erexit munimentum. Suadebat is, pro eâ, quâ præstabat, bellorum, ac præsertim obsidionum peritiâ, ut quamprimùm transmisso fluuio, situm in alterâ ripâ propugnaculum oppugnaretur; autumans haud falso præsagio, subsidium illac Obsessis immissum iri. Sed tam sapiens consilium vel cæterorum imprudentia elusit; vel paulò antè indicatum animorum dissidium repudiauit: uti plerunque sententiæ non ab se, sed ab auctore pondus habent, ac vim.

1599.

Obsessores deinde ductis aggeribus paulatim Oppidum versùs processere. Iamque ducentis passibus propior factus Lupiensis, munitionem extruxit: cui duas longiores bombardas, aliamque minorem imposuit. His ille tum in Oppidum displosis, eius munimenta prominentia quatiebat: tum in Transrhenanum propugnaculum exoneratis, eiusdem Præsidiarios infestabat. Hi verò cum Oppidanis mutuam sibi dare, vel accipere opem non poterant, nisi per noctem, ac dolum, nec sine periculo: siquidem utrisque interiectus erat hostilis Exercitus. Nec multò pòst alijs centum passibus progressus Comes, in editiore loco decem tormenta ita disposuit, ut clam Hostibus essent, eosque fallerent, donec ea displodendi afforet opportunitas. At Hoenloius in quodam Rheni flexu, super aggere, coërcendis alluuionibus iam pridem excitato, quatuor collocauerat bombardas, quibus & naues aliquot, prope munimentum hostile stantes in anchoris, distinebat, nè subsidium Oppido inferre possent: & ipsius Oppidi propugnaculum Rhenum aspectans, in parte inferiori quassabat. Loco verò ducentis passibus Oppido propiore aduersùs idem propugnaculum maiora tormenta nouem direxerat, ac sine cessatione displodebat.

Rhesæ Gubernator subsidium à Mendozza petit, & impetrat.

Dum hæc Germaniæ Fœderati conarentur in Rhesam; iam eius Gubernator Gusmanus, haud ignarus, ad Oppidum, ac munimentum defendendum, commissum sibi Præsidium satis non esse; Franciscum Blumium Signiferum miserat ad Mendozzam: qui præsentem rerum statum aperiret, auxiliumque simul peteret, & consilium, ad sustinendam fortiter obsidionem, Hostemque inde pellendum. Mendozza, qui non tam de unius Oppidi, & quidem alieni, breuique restituendi, defensione; quàm de sui nominis existimatione, quæ in omnem postmodum expeditionem profutura esset, agi videbat: viribus incumbendum omnibus sibi censuit ad Rhesam obsidione liberandam.

1599. dam. Igitur in Senatu bellico re deliberatâ, quia necessitas moram non patiebatur; ex ijs, quos maximè habebat in promptu, Militibus, ducentos Hispanos deligit Aloysij Villarij Legionarios, & Vallones trecentos Buquoio Comiti subiectos: omnesque curæ committit Andreæ Orticij, strenui, expertique Bellatoris. Quòque maiore silentio res tanti momenti perageretur; addit ei mandata scripta, atque obsignata: iubetque non antè resignare, quàm Grauiam peruenerit; ibique coram eius Gubernatore, Præfectisque Militum, quos ducebat, recitare. His acceptis, Orticius postridie mane discessit: lectisque Grauiæ literis Mendozzæ; ex earum præscripto, Miles densatis agminibus, gressibusque citatis, traiecto Mosâ paulò infra Gennapium, ad munimentum Rhesæ aduersum deuênit. Ibi cùm latuisset interdiu, noctu condicto signo Oppidi Defensoribus dato, transmissis nauibus est acceptus, Rhenoque traiecto, Rhesam admissus tanto silentio: ut antè collocatus in tuto fuerit, quàm eius aduentantis rumor ullus ad tam vicina hostium Castra peruaserit. Quinto Idus Septembris introductum Subsidium fuit.

Andreas Orticius occultè, & cautè subsidium inducit.

EADEM ipsâ, quâ Orticius Oppidum ingressus est, nocte festinauit muros undique recognoscere, munimenta perlustrare, opera omnia circumspicere: ut in capiendis deliberationibus, oculorum suorum testimonium, quod ut certius, ita validius esse solet, adhiberet. Exortâ luce, Præfectis Militum omnibus unum in locum euocatis, idem Orticius Mendozzæ literas recitauit: quibus præscribebatur generatim modus in propugnatione seruandus: ipsique Andreæ præstanda fides. Alteram eiusdem Ducis epistolam Gubernatori reddidit: alteram Militum Præfectis; hanc tamen non resignandam, nisi cum Gubernator ipse deficeret; intereaque in loco illis omnibus noto custodiendam. Adeò minutâ diligentiâ uti Mendozza voluit: ut Præsidij simul, ac Subsidij Militibus, quanti defensionem illam faceret, declararet; aliosque doceret: Vbi cum iacturâ locorum periclitatur existimatio Ducis, nullam industriam esse superuacaneam.

Summa Mendozzæ diligentia.

HIS peractis, Orticius iterum ad mœnia circumspectanda se confert: ex eis Hostium Castra sedulò speculatur: eorumdem opera considerat: quâque ex parte infestari faciliùs, & maiore cum damno possint, exquirit. Quæ postquam omnia secum accuratè peruoluit, ad Gubernatoris ædes se recepit. Eòdem cæteros acciri iussit militiæ Principes: quibus huiusmodi consilium suum aperuit. Eruptione quamprimùm factâ, Castra Luppiensis Comitis inuadenda: quæ multò minùs validè, quàm Hoën-

Gubernator, atq; Orticius eruptionem parant prudenter, ac piè.

loij, munita, minùsque ex arte militari disposita, & ipse animaduertisset, & cæteris belli scientibus palàm foret. Probata cunctis fuit Orticij sententia: & lectissimus quisque Miles instruere se iussus ad erumpendum. Quoniam verò virtuti bellicæ coniuncta pietas auxiliare robur è Cælo vocat, viresque ad pugnam ingeminat: antequàm vitæ discrimini se committeret, deposuit quisque apud Sacerdotem animi labes: ipsâque, quâ erupturus erat, die Diuino religiosè interfuit Sacrificio. 1599.

Tertio igitur Idus Septembris Oppido exiere per summum silentium sexcenti Bellatores, tres in acies distributi: quarum duæ centum quinquaginta Militibus conflatæ, ambo viæ tectæ capita tenuerunt: tertia trecentis constans, in medio substitit. Vtque facilis, ac tutus esset redeuntibus receptus; eamdem viam custodire cum alijs centum Bussius iussus est. Sapienter quòque constitutum, ut eodem tempore cum Equitibus triginta Botbergius Oppido egrederetur, opemque pro opportunitate ferret erumpentibus: simulque ut mœnia essent ex eâ parte paratis Mosquetarijs instructa. Dum signum ad inuadendum Hostem, duabus displosis bombardis dandum, expectaretur; breui, sed efficaci oratione Milites animauit ad pugnam Orticius: Mox edito signo, tantâ celeritate irruperunt: ut vix Hosti spatium concessum fuerit ad arma corripienda, nedum ad se suos in Ordines redigendum. Locum verò principio inuaserunt, ubi maior tormentorum numerus dispositus: quæ tùm primùm Rhesensibus patuere, atque ab eisdem fuere clauis ferreis adactis obstructa. Nec mora: in munitiones impetu facto, quinquaginta ex Obsessoribus trucidant (ducentos alij recensent) cæteros dissipant, ac fugant; terrore latè per Castra diffuso, ut in re subitâ, minimèque tùm expectatâ. Cùmque iam frequens ex alijs partibus accurreret auxilio Miles; recepere se cautè, ac tempestiuè qui eruperant, tegente illos Botbergio cum suo Equitatu. Auexerunt in Oppidum unum è tormentis, pluresque abduxere Captiuos; inter quos & Centurio erat, & Signiferi aliquot.

Eruptio felix.

Inchiodare.

Bentiuolus. Reidanus.

Postridie nouam eruptionem adornantes (quandò lucrum unum spem, & cupiditatem accendit alterius) Hoënloij Castra exploratum antè miserunt: nè conatus erumpentium aut irritus esset, aut sibi damnosus. Verùm ea deprehenderunt valdè ab omni parte munita, atque in Hostium incursus instructa: tum quòd à peritioribus bellandi Viris regebantur; tum quòd alieno periculo cauere didicerant suum. Itaque ligneo vallo septa erant, ferreis cuspidibus in summo præfixis: Excubitores præterea undique frequentiores. Quare spe, quidquam pro-

ficiendi

1599. ficiendi nouâ eruptione, deiectus Gubernator, aliam excogitauit eadem Castra infestandi viam. Mandauit Orticio, ut cum Hispanorum Legione sibi subiectâ, & centum quinquaginta Vallonibus, ubi nox ingrueret, Transrhenanum munimentum adiret: utque inde ducentis alijs Peditibus deductis, duobusque deuectis campestribus tormentis certum quemdam locum occuparet: ex quo tam eis, quàm sociorum mosquetis Hoënloij Castra quateret, illisque grauem aliquam perniciem crearet. Se quòque (adiecit) ubi tempus opportunum daretur, aduersùs ea erupturum: ut infesto utrinque Hoste intercepta, geminâque oppugnatione perculsa, vix quieti spatium aliquod, aut saluti locum inuenirent.

Diligenter omnia peregit Orticius: magnoque cum eorum damno fulminabat in Castra: quùm repentè ad eum Miles accedit, nunciatque: Luppiensis è Castris in flumen proijci vimineas cistas, ingentes asseres, aliaque obsidionalia instrumenta: quod manifesto erat argumento, eum sese inde recipere statuisse. Lætissimus ille hoc nuncio, spemque concipiens, plurimùm se in eo receptu lædere Hostem posse; cymbas cum suo Milite statim inscendit, iubetque se in ripam alteram deportari. Eò regressus, Gubernatorem reperit, qui cum trecentis Peditibus Oppido eruperat; & cum aliquot Equitibus eum, qui tunc Equitatui præerat. Quamobrem unà omnes in Hostes iam recedentes impetu facto; ex ijs plerosque, qui vel lentiore gradu, vel extra Ordines sequebantur cæteros, occiderunt. Commeatibus, bellico apparatu, magnâque impedimentorum parte, præ recessûs celeritate relictis, potiti sunt. Naues etiam aliquot, rebus aut ad victum, aut ad bellum necessarijs onustæ, & pontones duo in partem prædæ venerunt. Decimo octauo Calendas Octobris, receptu parum decoro, obsidionem dimisere Germaniæ Fœderati, Embricamque migrarunt. Ibi renouatis dissensionibus altercati sunt Luppiensis, atque Hoënloius: alter in alterum (uti fit) infelicem rerum exitum reijcientes. Nec verbis modò, sed vulgatis etiam libellis, ut suam quisque tueretur, famam alterius lacerauit. Dies quatuor ad Embricam stetit Exercitus: quibus non desiere Rhesenses nocturnis eum eruptionibus infestare. Quare coactus est Doëteeomum, & Doësburgum versùs, in loca se tutiora recipere.

Germani soluunt obsidionem.

Obsessi eos infestantur, & magna præda potiuntur.

Ad ea componenda dissidia, quæ Germanicis in Castris inter Duces ipsos gliscebant; neque quidquam prudenter agi; & quòd inde consequitur, feliciter peragi, permittebant: missus fuerat à Fœderatis Belgij Guillelmus Nassauius Frisiæ Gubernator,

tor, magnæ Vir auctoritatis, & consilij. Verùm ubi eò aduènit, tam exulceratos animaduertit Principum animos inter se, Milites tam alienos ab eorum reuerentiâ, obsequioque: ut proficere se posse desperauerit. Igitur Autumno declinante, imbribusque largiter effusis, cùm omnis ad bellandum præcluderetur via, sub exitum Nouembris, Exercitus suapte sponte dilapsus est uniuersus. Vtque res inclinatæ non sine suâ, vicinarumque ruinâ deuoluuntur, & concidunt: dissipatæ illæ Copiæ, stipendijs destitutæ, extremâque omnium inopiâ laborantes, cum rapto viuerent, magna regionibus eis detrimenta intulerunt. Quare ad perniciem illam prorsus inde proturbandam, Cæsareo fuit opus Edicto, summâque vi auctoritatis, ac terrore pœnarum. Neque defuerunt Regij partibus suis, Rhesam, & si quis locorum supererat alius, Cliuiensi Duci restituendo. Hunc exitum nacta sunt arma tunc mota ab Germaniæ Fœderatis. Quem nempe nancisci solent fœdera, quæ tumultuariâ magis irâ, quàm diu deliberato consilio iunguntur: quorum Principes dum priuatis utilitatibus seruiunt, publicis rationibus nocent: quorum denique (quod est tritum sermone prouerbium) quot capita, tot sententiæ.

Germanici Exercitus discordiæ, & damna.

IAM verò ut Alberti Archiducis iter cum Reginâ Margaritâ, eiusque Matre Mariâ prosequamur: hi menses tres Mediolani morati, principio anni millesimum sexcentesimum præcurrentis, viæ se commiserunt Hispaniam versùs, publicis antea supplicationibus pro ipsorum felici profectione totam per Vrbem institutis. Post paucos dies Genuam tenuerunt: quâ in Vrbe, splendidâ in Principes humanitate nulli concedente, illis honoris, communisque lætitiæ significationibus excepti sunt, quas tantorum maiestas Hospitum postulabat. Desiderari non est passa Respublica sapientissima triumphales Arcus, Austriacorum Principum statuis exornatos; Archiducis præsertim Alberti victorijs, virtutibusque ad viuum expressis: non occursus honorarios præeuntium publico nomine Legatorum; aliorum deinde Virorum Principum, ipsius demum amplissimi Senatus: non donatia, & dantibus, & accipientibus dignissima, ac per integram hebdomadam hospitia planè Regalia.

Regina cum Archiducibus in Hispaniam pergit.

Genuæ honorificè excepti.

Io. Bochius in descr. pro. fect. Archid. Campana l. 7. Gaspar Ens lib. 20. Haraus. Thuanus. Carnerus l. 13. 14. Colom. l. 12. Bentiuolus lib. 5. Lanarius. Boter. l. 6. Continuator Aitsingeri. Beyerlinch. Auber. Miraus in Chr. Belgic.

DVODECIMO Calendas Martias è Genuensi portu soluerunt, paratâ classe inuecti: postero tamen die Ligustica litora legentes, ingenti obortâ procellâ, terram petere coacti sunt. Saunonam ergo appulsos, necesse fuit ad exactum usque Februarium ibidem subsistere, ob aduersam nauigantibus tempestatem. Martijs verò Calendis rursum credidere se mari: quod post

pau-

1599. paulum non minùs quàm antea, ventis, ac fluctibus agitatum, ad portum eos compulit Galliæ Narbonensis, Tolonum dictum. Ibi Classis aliquandiu, temporis opportunitatem expectans, stetit in anchoris. Guisius Dux Carolus eius Prouinciæ Præfectus, Gallici Regis nomine, quibus decebat officijs, & venerationis argumentis, Reginam conuènit, & Classem uniuersam commeatu liberaliter recreauit. Illa noluit è Prætoriâ descendere, nisi ut rei Sacræ interesset, quæ, positis in littore tentorijs, quotidie fiebat. Albertus verò cum duabus triremibus Massiliam contendit: ac sanctiora Vrbis loca reuerenter inuisit: atque etiam sacram illam rupem, in quâ Maria Magdalena tot annos ab hominibus exulans, meruit contubernium Angelorum.

Et in Gallia Narbonensi à Guisio Duce.

Alberti pietas in loca sacra.

REVERSVS ad Classem Archidux, & cum eâdem Narbonensem oram prætervectus, decimotertio Calendas Aprilis in eum Hispaniæ portum delatus est, qui à veteribus Illiberis facilè dictus, Colibræ adhuc retinet nomen. Hinc Tarraconensia propter littora prouecti, portum Rhodam tenuerunt. Vnde digressus itinere terrestri Carolus de Auriâ, Principis Filius, mutatis identidem equis Valentiam properauit: quò se contulerat Philippus Rex cum Sorore Isabellâ, & lectissimo flore Hispanæ Nobilitatis. De Reginæ, atque Archiducum accessu certiorem fecit Auria Regem. Is constituto, ut ad Binarensem in Regno Valentiæ portum descensio fieret; obuiàm Reginæ misit Iacobum Sandouallium Dianij (vulgò Deniæ) Marchionem, è suis Familiaribus primum, cum alijs Principibus viris. Eò deuenere sexto Calendas Aprilis, ab eodem Marchione, quibus par erat, officijs excepti. Ibidem dies aliquot morati, lassitudinem maris, ac viarum quiete releuarunt. Hinc ad Moruedrum Pagum progressi, leucâ unâ mari dissitum, quatuor Valentiâ, veterisque Sagunti ruinis inclytum. Hîc etiam Regina substitit (quando sanctiores aderant dies, anniuersariâ Christi patientis memoriâ venerabiles) totamque se Christianæ pietatis exercitationibus impendit. Albertus interea Valentiam præiuerat, ad salutandum Regem, Regiamque Sororem sibi desponsam. Inde Madritum, ad Mariam Augustam Parentem suam, Caroli Quinti Filiam, Maximiliani Secundi viduam; & Margaritam Sororem Deo sacratam, visendas. Ibi diebus quatuor commoratus, Valentiam redijt.

In Hispaniam appellunt.

Rosas.

AT Rex, Iuuenis magis, ac Sponsi desiderium sequutus, quàm vel paternam, vel regiam grauitatem; uti Sponsæ quamprimùm aspectu frueretur, depositâ parumper oris, ac vestium maiestate, Equitis personam, atque habitum induit. Simulans ab Rege se

Philippus Rex alium se simulans, Reginam adit, sed agnoscitur.

Io. Bochius. Gaspar Ens. Botereius. Continuator Aitsingeri.

se missum ad Reginam ipsius nomine salutandam, Moruedrum proficiscitur: coram Reginâ se sistit. Maiestas, & Amor, ut in multis non bene conueniant, eò tamen consentiunt maximè, quòd diu dissimulari non possunt. Coniugalis amor ab oculis, maiestas à toto Regis corpore fulgurabat. Latère nequiuit longo tempore sub Equite Rex. Agnitus à nobilissimis Matronis, quæ in Reginæ comitatu erant, hâc agnitione finem fabulæ dedit: nouamque rerum scenam aperuit, quò veriorem, eò sibi, atque alijs lætiorem. Sacris quippe diebus anniuersarijs Christi & morientis, & resurgentis exactis, decimo quarto Calendas Maij, ut primùm illuxit, solemnis institutus est Reginæ in Vrbem Valentiam ingressus; iam reuersis ad Vrbem Rege, ad Reginam Archiduce.

1599. *Beyerlinck. Hæraus. Bulengerus lib.10.*

Ordo tam celebris apparatûs hic fuit. Pompæ uniuersæ præibant, cum suis Tubicinibus, Ductoribusque splendidè ornatis, Hastatorum centuriæ quatuor: quibus eorum custodia littorum incumbebat. Proximè sequebantur Equites octoginta cum suis quisque Satellitibus, atque honorarijs Ephebis, serico, auroque adeo fulgentibus, ut cum ipsis certare Dominis de vestium splendore viderentur. Post hos Vrbis Valentiæ Tubicines duo de viginti supremo Iustitiæ Præfecto apparebant. Bini deinde procedebant Principes propè centum, maiestate oris, ac vestium, magnificoque comitatu spectabiles. Tum Regiæ innumerabiles Aulici: & magna Principum nomina non ex Hispaniæ solùm pluribus regnis, sed ex Italiâ, Galliâ, Belgio in obsequia Regum maximorum coacta. Hos inter Principes sexdecim, quos Hispaniæ Magnates vocant. Tam augusto antecedente comitatu, inuehebatur equo Regina, vix habentibus pretium phaleris (an etiam inuectæ pondere maiestatis?) quodammodo superbiente, aureâ sub umbellâ, gemmis toto corpore illuminato. Ponè sequebantur Archiduces, Reginæ Mater, atque Albertus: & lectissima series Principum Fœminarum, quæ vel è Germaniâ, Italiâque comitatæ Reginam fuerant, vel ex uniuersâ Hispaniâ confluxerant in venerationem, ac pompam Dominæ suæ. In ipso verò ingressu triumphales Arcus videre erat imaginibus, emblematis, inscriptionibus luculenter insignitos. Nouem quòque triumphales Currus per varias Vrbis partes distributi, quibus Musici suauissimis concentibus aures mulcentes inuehebantur.

Regina magno apparatu Valentiam intrat.

Taggi.

Grandi.

Baldacchino.

Ingressa Vrbem cum amplissimo comitatu Regina, ad Templum maximum, Archiepiscopi Valentini Basilicam, deducta est. In eo medio tabulatum ingens, atque excelsum, dispositis

Ibidem Regis Archiducisque nuptiæ regaliter celebrantur.

Duomo. Talco.

1599. ſpoſitis undique gradibus peruium exſurgebat, ad ſacras nuptiarum cæremonias palàm omnibus peragendas. Eodem ferè tempore, quo Baſilicam intrabat Regina cum Archiducibus; ex proximo palatio, per pontem ad hunc finem extructum, Rex, atque Iſabella ſe conferebant in eamdem cum Aulicorum præcipuis. Excepti omnes ab Roderico Cardinali de Caſtro, à Nuncio Pontificio, atque ab Archiepiſcopo Valentino, qui eos in Templo præſtolabantur. Breui peractâ precatione, utrumque coniugium, anno ſuperiore coram Summo Pontifice per vicarias ex parte perſonas ſancitum, tunc ab Rege, ac Reginâ; ab Archiduce, atque Iſabellâ coram Pontificis Nuncio ratum habitum, & confirmatum fuit. Indè Sacro rum ab Archiepiſcopo, tum ab Nuncio facto, quibus omnes interfuere; cum ingentibus infinitæ multitudinis plauſibus, ad regias ædes diſceſſum eſt, Reginâ cum Parentę, atque Iſabellâ rhedâ auguſtisſimâ vectâ. Rege verò, atque Alberto (quod magis decorum Viris) equitantibus. Nuptiale conuiuium regiâ planè magnificentiâ celebratum in amplisſimâ palatij Aulâ, in quam coactum videbatur quicquid opum, ac rerum admirabilium Hiſpania, centum annorum ſpatio, ex nouo terrarum Orbe contraxerat. Subſequutis octo diebus, & noctibus quàm ſumptuoſis ludis, choreis, alijsque generis omnis ſpectaculis frequentisſima illa Nobilitas fuerit recreata; ex Hiſpanorum Regum maximè tunc florente potentiâ; ex opportunitate tam excelſi, & geminati connubij in utraque magni Philippi prole; ex ipſa demum Vrbe Valentiâ, præ cæteris ad delicias factâ; nulli difficile erit aſſequi coniecturâ. Octauo demum nuptialium gaudiorum die Rex, ut priuatis muneribus publicam lætitiam cumularet: Albertum Archiducem, Caſtellanum Maris Præfectum, & Principem Auriam aurei Velleris inſignibus honeſtauit. Albertus verò cum Iſabellâ Coniuge diſceſſum in Belgium meditans, ad iter neceſſaria præparabat. Eos comitari cum Reginâ decreuit Rex Barcinonem uſque: ſimul ut id genus officij Sorori bene merenti præſtaret: ſimulque ut ab eâ Ciuitate obſequij, ac fidei iuramentum acciperet.

Almirãte di Caſtiglia. Toſone.

Albertum atq; Iſabellam diſcedentes Rex, & Regina aliquandiu comitantur.

IGITVR octauo Idus Maij ſoluerunt è portu cum Claſſe triremium duarum ſupra quadraginta: principio quidem auris obſecundantibus: at ubi magis in altum prouecti ſunt; tam aduerſâ tempeſtate, ut ſeptem dies colluctati cum undis fuerint, antequàm Barcinonem appellerent. Eam Vrbem regali pariter apparatu, pompâque ingresſi; non paucos ibidem dies ſumptuoſis oblectamentis traduxerunt. Tandem ſeptimo Idus Iunias,

Al-

Albertus, Isabella, ac Reginæ Mater Genuensium prætoriam conscenderunt, cui Rex Carolum Auriam præfecerat, triremibus alijs viginti tribus comitantibus. Per uniuersam Ligusticam oram, atque in ipsâ Vrbe principe, nihilo ferme minore magnificentiâ excepta Regia Soror fuit, quàm antea Coniux Regia fuisset. Inde verò digressa Mediolanum peruênit tertio Nonas Iulias: ubi præter solemnes pompas, & spectacula passim à Ciuibus obsequiosis exhibita; multorum quòque Principum Italorum, ac Venetæ præsertim Reipublicæ honorarias legationes accepit.

1599.

Per Italiã magnis honoribus affecta.

NEQVE id genus officij Romanus Pontifex prætermisit: qui Diectrichstanum Cardinalem eòdem legauit; ut Alberto, tanquam Catholicæ Fidei strenuo Defensori, ensem, ac pileum; Isabellæ Infanti auream rosam, res à se de more consecratas, magnisque Principibus dono dari, vel mitti solitas, suo nomine cum alijs muneribus sacris iuxta, ac pretiosis largiretur. His à Cardinali diligenter peractis, ad referendas Pontifici gratias, & consueta cum alijs Italiæ Principibus officia transigenda, Barlæmontius Comes transmissus.

A Pontifice muneribus aucti.

ARCHIDVX interim Maria Reginæ Parens, ut Lauretanam Virginis Maximæ domum in reditu Germaniam versùs inuiseret, ab Alberto, atque Isabellâ digressa fuerat. Cui per Pontificiam ditionem iter facienti, delegauerat Clemens Cubicularium suum Sassatellum Præsulem, ut locis omnibus, quàcumque graderetur, eam excipiendam, habendamque regaliter curaret. Adijt Maria, & venerata est, quâ decebat, pietate augustissimam Ædem, suæque testem liberalitatis, ingentem inibi auri copiam reliquit. Indè quàm breuissimo potuit itinere Græcium regressa est.

Reginæ Mater Lauretanam Dei Matris domum inuisit.

Græts.

ALBERTVS, atque Isabella Mediolano discesserunt undecimo Calendas Augusti: posteroque die fines Heluetiorum intrarunt. Ad Tressæ fluuij pontem obuium habuerunt Hispani Regis apud eam Gentem Legatum; atque à Fœderatis Ciuitatibus missos Optimates, qui suum eis obsequium in illo itinere officiosè obtulerunt. Per aliquot Heluetiorum Pagos ad summas Alpes (quas olim dixere Pœninas, nunc Sancti Gothardi montem appellant) factus est gradus. Tum Lucerinus, seu Lucernensis lacus paratis ab Regio Legato nauibus traiectus. Prope Lucernam Senatus Vrbis occurrit: ac tantos Principes magnis amoris, honorisque significationibus excepit. Post triduum ibi transactum, Basileam adierunt, qua in Vrbe non minorem experti sunt hospitij magnificentiam. Exinde per Alsatiam ad Lo-

Archiduces ab Heluetiis honorificè excepti.

1599. Lotharingiam progressi, à Barri Duce, ac Vaudemontio Comite perhonorificè accepti, deductique Nanceium usque. Hîc à Principibus Lotharingiæ, Ducis Filijs, pari splendore, atque humanitate obsequij cumulati. Nanceio verò digressi Mussipontum versùs, Ducem ipsum eorum Parentem, à Spadanis aquis redeuntem, obuium habuere, & aliquanti comitem itineris cùm Filio Cardinali. Posterâ luce ad Metensem Vrbem ab Regio eius Præfecto inuitati, eam suo recreare conspectu non abnuerunt: ac super breue, sed regale hospitium, ab eodem, cum frequenti nobilium Equitum comitatu, ad Lucemburgensis Prouinciæ fines deducti.

Et ab Lotharingis.

HAEC verò, quæ prima Belgicarum omnium nouos Belgij Principes excepit; iam delectos Equites mille, florem Nobilitatis, in promptu habebat: quos in eorumdem obsequium statim immisit. Theodonis-Villam, Vrbem Belgij limitaneam, eòque munitissimam, ingressi primùm sunt Archiduces: sic enim voluere in posterum appellari. Eò se contulit Petrus Ernestus Comes Mansfeldius, Prouinciæ Gubernator, cum lectâ manu Nobilium Lucemburgensium: Principibusque debitum solemni ritu obsequium præstitit. Duodecimo Calendas Septembris Lucemburgum, Prouinciæ caput, intrarunt. Pro portis Vrbis Prouinciæ totius Ordines expectabant: à quibus de more claues, initæ potestatis argumento, acceperunt. Vmbellam sub quâ Principes ingressi, quidam è Magistratu gestabant: præibant reliqui: tres verò Præsules, & Clerus uniuersus subsequebantur. In Vrbe festis ignibus, & lætis omnium acclamationibus tam exoptato aduentui plausus datus. Postridie secesserunt ad Suburbanam Comitis Mansfeldij Villam, amœnitate sitûs, aquarum copiâ, & fontium artificio, ædificiorum venustate, splendore supellectilis, omnique hortensium deliciarum genere suspiciendam. Lucemburgo profecti sunt Namurcum, à Florentio Comite Barlæmontio cum frequenti Nobilium Equitatu deducti in Vrbem; exceptique à Ciuibus, per vias luculentam in speciem armatorum dispositis. Hîc unum aut alterum morati diem, ludicris, hilaribusque spectaculis itineris longi molestias absterserunt.

In Belgium perueniunt.

Tionuille.

Quo ritu excepti.

ET iam inde digressi, Brabantiæ finibus, hoc est ipsi Belgij cordi, & Principatûs sedi, propinquabant: cùm eius Prouinciæ Ordines delectos ex omni genere Legatos suos Niuellam in Oppidum, quà transituri erant Archiduces, præmiserunt. In his recensebantur Mechliniensis Archiepiscopus Matthias Houius, Antuerpiensis Episcopus Guillelmus de Bergis, Robertus Heu-

rius Abbas Villariensis, Philippus de Roubergen Grimbergensis Præsul; Bassignij, Boxtelæ, Grimbergæ, Vesemaliæ Barones (ut vocant): quatuor præterea principum Vrbium Consules; alijque Viri dignitate, atque auctoritate præstantes. Hi omnes Niuellâ postmodum egressi, obuiàm Archiducibus processerunt. Atque ubi propiores hi fuere, desilientes ex equis, venerabundi constiterunt: atque Isabellam Hispaniæ Infantem, Archiducemque Albertum, quibus potuerunt maximis reuerentiæ significationibus salutarunt. Verba ad eos pauca, ut in occursu decebat, sed summum animi sensum exprimentia, omnium nomine fecit, qui Brabantiæ Ordinibus erat à Secretis, Philippus Masius. Indicabat is communem è suorum Principum aduentu lætitiam: spemque haud dubiam, de Belgicis dissidijs aliquando componendis, conceptam. Orabat, ut Rempublicam labantem firmarent, languentem in pristinum vigorem restituerent. Promptam denique ad eumdem finem Prouinciarum operam, ac deuotum tam expetitis Principibus obsequium offerebat. Ad quæ responsum; reddendo pro missis Legatis gratias: ac propensam in ipsorum salutem, & commoda voluntatem declarando. Tum Niuellam omnes ingressi: Archiducesque ibidem lautissimè habiti.

1599.

Postri die Hallam prouecti, Dei Parentis Ædem famâ religionis, & gloriâ miraculorum ubique celebrem, insigni pietate, biduum immorati, coluerunt. Ipsique à varijs Principibus ibidem culti. Namque Carolus Croyus Dux Arschotanus, Hannoniæ Præfectus (cuius Prouinciæ in finibus id Oppidum est) felicem ipsis accessum gratulatum aduènit. Dux quòque Mantuanus à Spadanis aquis, Brabantiæque præcipuis Vrbibus visendis redux, hîc Archiduces cum mutuis singularis beneuolentiæ argumentis salutauit. Huc denique Bruxellis contendit Andreas Cardinalis Austriacus; ut postquam æqua nouis Principibus obsequia persoluisset, in eorum manus administrationem Belgij deponeret. Ingenti ab ijs significatione amoris exceptus, quid toto suæ præfecturæ tempore gestum fuisset; & quis tùm esset rei Belgicæ status, aperuit. Grates egerunt illi pro suscepto, sapienterque peracto munere immortales. Cumque eo se abdicasset, & vix solidum apud illos diem transegisset; postero mane discessit Galliam versùs, priuati hominis personam, habitumque præ se ferens, quatuor solis Aulicis comitatus. Familiæ reliquum, ac rem domesticam omnem aliâ viâ in Germaniam remisit.

Andreæ Cardinalis è Belgio discessus.

Institutum hoc in Galliam iter ipse quidem profitebatur,

1599. *Campana.*

tur, nobilissimi Regni perlustrandi cupidine. Sed altiore ductum consilio plerique censebant: Archiducis nempe nomine, tractandi arcana cum Rege negotia, vel de pace cum Angliæ Reginâ, seu cum Belgij Fœderatis faciendâ: vel de iam factâ Gallorum cum Hispanis integrâ, illæsâque seruandâ. Quippe suspiciones iniecerant haud leues: tum per clandestinas Ciuium conspirationes, imminere visi Balagnius Cameraco, Bullonius Philippopoli: tum Gallicus Miles ab Lanouio ductus in auxilium Fœderatorum. Quæcumque Andreæ mens fuerit, Aureliam usque progressus, cum ibi cognouisset, Regem venationibus exerceri, & proximum quemdam in Pagum mox venturum, eò se contulit: Regem conuênit: agnoscendum se dedit, & cum eo prolixum habuit colloquium. Magnâ illum beneuolentiâ complexus Henricus: utque dies aliquot secum animi causâ moraretur, enixè flagitauit. At ipse gratijs pro tam benignâ voluntate actis; itineri se reddidit: & præcipuis Galliæ Vrbibus peragratis, Octobri ferè medio, Mesburgum ad suam, & consuetam Episcoporum Constantiensium Sedem, reuersus est.

Causæ profectionis in Galliam.

Amica eius exceptio ab Rege.

At Archiduces Bruxellas prouecti, Nonis Septembribus clarissimam eam Vrbem, Aulamque suam pari ferme Populorum plausu, ac Principum lætitiâ intrarunt. Ingressûs pompa supra omnem penè morem, ac memoriam splendida fuit, & suspicienda; certantibus inter se de magnificentiâ illinc obsequiosâ Ciuitate eductis in Cælum molibus, positis ubique statuis, alijsque tam varijs, quàm ingeniosis honoris argumentis: hinc florentissimo Archiducum comitatu, & frequentiâ propè infinitâ, & ornatu sumptuoso pulcherrimum de se spectaculum faciente. Vt enim fluuij quò propiùs accedunt ad mare, metam amplissimam cursus sui, eò uberiores à multorum accessione fluminum euoluunt aquas: haud aliter ad illos Principes magnos, quàcumque graderentur, noui quotidie fiebant Nobilium affectantium concursus, tantòque maiores, quantò propiores erant itineris sui termino, ac sedi Principatûs. Quam ubi tenuerunt, licèt ad Isabellam spectarent prærogatiuæ dotalis illius, ac paternæ ditionis: attamen vel reuerentiâ sexûs potioris, atque ad imperium facti; vel habitâ ratione experientiæ, quam eius administrationis anteacto tempore præceperat Albertus; omnem ei rerum temperationem illa permisit.

Archiducum magnificus Bruxellâ ingressus.

Igitvr operi manus admouenti prima curarum fuit, mutui iurisiurandi Principes inter, subiectasque Prouincias sancire formas, utrique partium placituras. In eis verò sanciendis, haud leuis labor, aut modica utrinque controuersia. Quippe Braban-

De mutuo Principum, ac Populorũ iuramento dissensio.

tiæ Ordines sua de more priuilegia (quorum tenacissimi sunt) iactantes, sacramentum obsequij dicere nouis Principibus recusabant, nisi Vrbium, Arciumque præfecturæ natiuis hominibus redderentur; atque indidem externa Præsidia demigrarent. His verò postulatis, ad eam conditionem temporum, nihil importunius videbatur. Necdum exciderat animis recordatio calamitatum, quas idem consilium ad opus redactum inuexerat in Belgium, Ioanne Austriaco gubernaculum tenente. Accedebat Philippi Regis decretum, non antè ius omne in eas Prouincias abdicandi, quàm ex Isabellâ Sorore proles, in imperium successura, nasceretur. Adeòque custodiri volebat sibi præcipua quæque locorum minimè suspecto sui Militis Præsidio. Quibus de causis, ut ad Vrbium, Arciumque custodiam adhiberentur Belgæ, summotis exteris, impetrari non potuit. Quò tamen aliquid darent Archiduces tum Ordinum petitioni, tum auitis priuilegijs; principes aliquot Viros ad celsiores euexere dignitatis, atque administrationis gradus. Maritimæ namque rei Thserembergium Comitem præfecerunt: inter Politicos Regis Consiliarios cooptarunt Arescbotanum Ducem: Artesiæ Gubernatorem Barlæmontium Comitem: Hauræum Marchionem Finantiarum, ut appellant, Præfectum designarunt. Ita prudenter admodum partim negando, partim concedendo; & suis consuluere rationibus, & Populorum votis. Namque Principes, si cuncta concedant, derogant sibi; si cuncta negent, displicent suis.

1599.

Viri Principes promoti.

Ammiraglio.

ACTVM præterea fuit ab Archiduce, vocato in Aulam Bruxellensem Ordinum concilio, de sufficiendis viribus ad bellum contra Fœderatos, si quidem hi pacem abnuerent, continuandum. Cùmque gestis ad eam diem prælijs multum insumptum æris alieni fuisset; ut dissolui posset, pecuniam corrogandam: nè reditus Belgici Principatûs, in eum usum interuersi, ad alendam pro dignitate Principum Aulam haud essent satis. Quare collationem publicam Prouincijs iniungendam: ac Brabantiæ quidem, earum principi, summam centies mille florenorum. Decretum denique, ut solemne ab utrâque parte iusiurandum diceretur: ab Ordinibus fidei, obsequijque, ab Archiducibus priuilegia inuiolata seruandi. Id verò ut ex veteri more transigeretur, Louanium eundum fuit, in Vrbem antiquitate, ac dignitate, totius Prouinciæ primariam.

IGITVR octauo Calendas Decembris Louanium perrexerunt, non minore quàm alibi vel ingressi pompâ, vel apparatuum magnificentiâ excepti. Postero die, qui Catharinæ sapientiæ

1599. tiæ Præsidi sacer, lætissimus esse debuit in Vrbe literarum; mutuis se sacramentis Principes, ac Populi Brabantiæ deuinxere: tantâ utrinque animorum consensione, ut incertum fuerit; maior-ne voluptas perfuderit Principes, quòd tam ingenuis Populis imperarent, an Populos, quòd tam benignis Principibus parerent. Ad lætitiæ cumulum, sparsi in vulgus pro congiario aurei, atque argentei nummi cum utriusque Principis impressâ effigie, & nominibus inscriptis. Louaniensem quòque Consulem, & Vigilum Præfectum, atque è Senatoribus unum Albertus, perfectis Iurisiurandi cæremonijs, Equestris militiæ Ordine solemni ritu honestauit.

Louanij dictum mutuum iusiurandum.

Vt verò literatâ se in Vrbe versari Archiduces testarentur; postridie publica perlustrauere Gymnasia, suoque conspectu animos eruditis laboribus fecerunt. Præsidis Richardoti Filio de sacrâ doctrinâ publicè disputanti benignas præbuerunt aures. Nec minore beneuolentiâ exedras Eloquentiæ intrarunt, ubi Iustus Lipsius eruditorum ætatis suæ nulli secundus, atque ingenere dicendi proprio familiam ducens, lectissimam Iuuentutem instituebat. Habuit is coram nouis Principibus breuem verbis, sed plenam rerum, ac sententiarum, pro suo more, dissertationem: quæ doctis magni eiusdem Scriptoris inserta monumentis, hodieque est præ manibus literatorum. *Beneuolentiam illis, ac fidem publicâ Belgarum voce, sensuque obtulit. Gratias eisdem egit Athenæi totius nomine, quòd eas doctrinarum sedes tam humaniter inuisentes, Magni Pompeij consignatam literis memoriam renouarint: qui Rhodi Magistros disciplinarum adeundo, atque audiendo, laureatos ex Mithridaticâ victoriâ fasces ad limina bonarum Artium submisit.* Iamque Bruxellas reuersuros Principes in suburbanâ Louanij Villâ, Heuerleâ nomine, Carolus Croyus Dux Arschotanus, cuius ditionis ea est, excepit cum Proceribus, ac Nobilitate uniuersâ, summi splendoris omnibus argumentis. Eadem verò, quæ Louanij, Bruxellis quòque à Principibus, Populoque conceptis verbis dicta sacramenta. Ad eadem iteranda, Mechliniam tertio Nonas Decembris Archiduces profecti. Vbi non minùs, quàm alibi, honorificis occursibus, triumphalibus curribus, arcubusque, columnis, statuis, Alberti, atque Isabellæ gloria propagata. Vtrobique præcipuos aliquot Viros Albertus Equestri gradu dignitatis insigniuit. Eâdem de causâ, nouique Principatûs adeundæ possessioni, in amplissimam Vrbem Antuerpiam itum est: & sexto Idus Decembris solemnis in eam factus ingressus. Hîc verò, ut ubi maximè, Belgarum enituit in suos Principes amor, honor, magnificentia. Quamquam

Archiduces Gymnasia visunt.

Iustum Lipsium audiunt.

Iusiurandum instauratur Bruxellis, Mechliniæ, Antuerpiæ, & alijs in Vrbibus.

non

1599.

non unius Belgij, sed omnium ferè Nationum, quarum Vrbs illa celeberrimum Emporium est, in ornandis vario venerationis genere Archiducibus, summa contentio fuit; referentibus in tam splendido certamine palmam (uti memoriæ literarum traditum est) Genuensibus. Facta postmodum excursio Gandauum, Tornacum, Insulas, atque in alias Prouinciarum obsequentium primarias Vrbes. Sub huius exitum anni Albertus, ut Principes Belgarum eximios obstringeret sibi magis, rebusque Principatûs grauissimis de ipsorum consilio decernendis, in sententiam suam propensiores haberet: eorum tres Aurei Velleris insigni decorauit, potestate sibi ab Rege Hispaniarum, supremo eius Ordinis Magistro, demandatâ. Ij fuere Carolus Croyus Dux Areschotanus, Carolus alter Haureci Marchio, & Comes Egmondanus.

Campan. lib. 7. Gante. Tornay. Lilla.

Albertus tres Equites Aurei Velleris creat.

Tosone.

Agamonte.

Anno 1600.

Initium Anni Sæcularis sacri.

ANNVM ingredimur à Christo nato millesimum sexcentesimum: quem Sæcularem, & Sacrum (vulgò Iobelæi) Romæ Christianis cæremonijs aperuit Clemens Octauus Pontifex Maximus. Eiusdem anni primordia tam sæuo fuere frigore, in Belgio præsertim, circumsessa: ut non modò stagnantes aquæ, sed decurrentia quòque flumina steterint altâ glacie concreta. Hâc opportunitate à Mauritio, non præter solitum, captatâ: simulque hostili Exercitu animaduerso, partim in varia loca dissipato, partim secessionibus aliquor tumultuantium Militum imminuto, ac multùm debilitato; noua, atque inopinata Hosti illata oppugnatio. Vachtendoncha Oppidum in Geldriâ est, è validissimis eius Prouinciæ unum. Naturâ quippe loci præ cæteris custoditur; paludoso illam undique cingente solo: vix ut ullus ad mœnia pateat accessus. Nocte igitur duodecimum Calendas Februarias subsequutâ, Mauritius quàm occultissimè contractis è vicino quoque Præsidio Militibus trecentis, iussit, ut Rheno supra glaciem transmisso, Vachtendoncham inuaderent. Facile illis fuit imperium exequi: nec difficilius circumiectam Oppido fossam gelu pariter concretam prætenire. Tùm verò scalas mœnibus admouerunt. Alta intus quies, & silentium id temporis erat. Vnus ad custodiam Iuuenis excubabat, nempe tam incuriosus, quàm inexpertus. Errore quòque iuuit fortuna Hostium audaciam. Cum enim quatuor Hispanorum signa inter Vachtendoncham, & Stralenam stationem haberent; qui aduentabant Milites, ex ijs esse principio crediti. Mox Hostes esse, deprehensum, & conclamatum simul: sed frustra. Quippe Oppidani, qui erant in Præsidio, suæ paucitatis conscij (neque enim octoginta superabant) eòque ignauiores; raris in stationibus collocati,

Mauritii miles Vachtendoncham inuadit, & capit.

per-

1600. peruios Hostibus aditus reliquerunt. Itaque facili negotio captum Oppidum fuit.

Arx oppugnanda restabat, & munitione præualidâ, & circumiacente fossâ, in quam vicinus amnis Nerius influebat, defensa. Verùm huius etiam aquæ conglaciatæ viam Hosti dederunt: qui iam scalas muris adiungere moliebatur. Præerat Arci Ioannes Gelenius cum triginta, præter suam familiam, Præsidiarijs. Obstitit nihilominùs irrumpenti Hosti, quantùm potuit: ac summâ celeritate misit Nuncium Ruræmundam ad Hermannum Comitem Thserembergium, Fratrem Friderici, cuius id Oppidum erat; ut subsidium festinaret. Id ipse statim è vicinis Præsidijs euocatum immisit. Sed iam Ludouicus Comes Nassauius superuenerat cum bis mille Peditibus, atque Equitatu suo ferè uniuerso. Quamobrem obrutus numero Gelenius, & dum strenuè pugnaret, ictu sclopeti sauciatus in gutture, Arcis muros Hosti occupandos reliquit. Ipse verò adhuc retinens animorum, & spei, subsidium aliquod à Thserembergio venturum; in suas ædes interiores Arci, excelsisque muris, & validis munitas recessit. At Hostes, quà scalis per fenestras, quà portæ valuis ad terram datis, in eam quòque domum penetrarunt.

Arce quòque potitur.

Svb idem tempus insigne contigit inter Gallos, ac Belgas ex prouocatione certamen, à plerisque Belgici belli Scriptoribus memoratum. Originem hanc fuisse tradunt. In Geldriæ, Brabantiæque confinijs frequentes erant ab alterutrâ parte tam Regiorum, quàm Fœderatorum, in aduersam excursiones. Fœderatis inter cæteros ex Gallicâ Nobilitate militabat Carolus Breautæus, Iuuenis Nortmannus: qui ob existimationem virtute bellicâ partam, præfectus fuerat Equitum Loricatorum cohorti. Locum eius in huiusmodi munere tenebat Miles, Iacobus nomine: qui cum sui Equitatûs parte sub finem anni superioris inciderat in minorem aliquantò numerum Equitum Belgarum Regi parentium, quibus præerat Antonius Schetsius Grobbendonchi Dominus, & Syluæ-Ducis Gubernator: eos tamen ipsius loco ducebat Gerardus Abrahamus. Occursus hic accidit haud procul Sylua-Ducis. Infestis animis conferunt pugnam: acriter utrinque dimicatur. At post breuem conflictum, Galli quamuis numero superiores vincuntur, partim cæsi, partim fugati: nec pauci vulnerati, captiuique Syluam-Ducis à Victoribus Belgis abducuntur. Hos inter ipse Iacobus fuit, illorum Equitum Ductor. Is de re infeliciter gestâ, deque suâ redemptione ad Breautæum Præfectum literas dedit. Respondit ille

Gaspar Ens lib. 21. Campan. lib. 8. Thuan. lib. 124. Grotius l. 9. Boter. l. 7. Beyerlinch, Lanarius, Haræus anno 1600. Carner. lib. 14. c. 5. Reidanus l. 17. Miræus in Chron. Belg.

Galli, & Belgæ aliquot se mutuò lacessunt.

Occasio ex alia pugna.

iurgijs

iurgijs magis, quàm verbis: ignauiam increpans Militum suorum, & Ductori ipsi ignominiam acerbè exprobrans, quòd minori Hostium numero tam turpiter cessisset. *Indignos eos esse, qui Breautæi Milites dicerentur. Quos ipse ratus fuisset reportaturos victoriam, vel vicenos de quadragenis. Adeo se nosse suos longè Hostibus virtute superiores. Id si minus ipsi præstitissent; se cum alijs suorum luce palàm Hosti demonstraturum.* Hæc & talia militari ferociâ, iuuenili fiduciâ eis in literis iactabantur. Cùmque usitato militiæ more, non antè reddantur literæ Captiuis, quàm ab ijs, in quorum sunt potestate, penitùs perlegantur: quæ tam iactanter effuderat Breautæus; perspecta fuerunt Schetsij Locum-tenenti Gerardo, paulò antè victori. Is indignè ferens, quæ ab Hoste superbè, & contra se, suosque iniuriosè obiectabantur; ad Breautæum illico rescripsit. *Legisse se non sine stomacho, qua ipse de se nimis gloriosè, de Hoste nimis abiectè scripsisset. Utraque confutare se paratum non linguâ, sed manu; non calamo, sed gladio. Neque passurum se ut viceni venirent aduersùs quadragenos è suis: quandò iam contrarium patuisset, cùm ipsemet inferior numero Militum, pugnâ superior fuit: sed pares utrinque descenderent in Campum. Gallica virtus maior esset, an Belgica, exitum certaminis ostensurum.*

1600.

Breautæi iuuenis iactantia.

Gerardi Belgæ responsio.

LAETUS annuit prouocationi Breautæus. Supremi verò utriusque Exercitûs Duces potestati faciendæ diutius obluctati: quippe qui nollent, unius de honore contentionis gratiâ, egregios Bellatores in discrimen obijcere. Verùm quòd prælium futurum erat inter consuetos Hostes, & Belgici totius belli quasi quædam velitatio, tandem assenserunt. Condicta dies Nonæ Februarij: locus Ericetum Vuchtense inter Syluam-Ducis, & Hiluortiam: arma bina singulis longiora sclopeta, gladius, & lorica: numerus denique pugnantium utrinque duo supra viginti. Postulabat Breautæus honoris causâ, ut quemadmodum ipse Præfectus Equitum in certamen prodibat: ita congrederetur ex aduerso Schetsius par munere apud Hostes. At quominùs is in prælium veniret, Albertus Archidux obstitit, propterea quòd Sylua-Ducensis erat Gubernator. Eius tamen loco prodijt, qui locum eius tenebat in Equitum præfecturâ, Gerardus.

Scaramucia.

Certaminis inter Gallos, & Belgas conditiones.

UBI dicta dies illuxit, Tubicinem Syluam-Ducis Breautæus præmisit; qui Hostes comitaretur in Campum: & quùm propiores essent loco certaminis, ipsum faceret certiorem. Eumdem iussit Gerardus renunciare Breautæo: *Se, suosque pugnam illam suscipere, non unius honoris tuendi gratiâ (quod Christianis hominibus leue momentum sit) sed multò magis ad iustissimam suorum*

Prin-

1600. *Principum, & Catholicæ Religionis causam propugnandam. Quare ab se, tanquam ab Hostibus acerbissimis, nè genus humanitatis ullum in dimicando sperarent: neque locum misericordiæ apud Victores futurum. Aut vincendum sibi proponerent, aut moriendum. Se quidem cunctos obstrictos sacramento, nè ulli præterquam Tubicini parcerent: sed ut ad unum omnes, quamuis deditionem offerentes, internecioni darent.* Postridie Belgæ cùm Sacro interfuissent, ac Diuinam opem ad suorum causam tuendam implorassent; simul uniuersi corpora procurarunt. Tùm inscensis Equis, Sylua-Ducis eruperunt: & postquam statutum pugnæ tenuerunt locum; Tubicinem ad Breautæum legarunt, qui se iam paratos expectare nunciaret. Alterum ille contrà Tubicinem ad eos misit, qui diceret: ipsum procul inde quartam circiter leucæ partem cum suis substitisse: ibique aut vincere, aut mori constitutum habere.

Pugna committitur.

IAM in Gallorum conspectu Belgarum Equites erant: & magno impetu in eos inuehebantur. Ante omnes Gerardus Præfecti Locum-tenens, & Frater eius Antonius cum alijs quatuor Breautæum, pariter Commilitonibus quinque stipatum, aggrediuntur. Incurrunt alij, suum quisque petentes Hostem. Sclopeta utrinque tam certis ictibus disploduntur: ut traditum fuerit, equos sex supra viginti primâ impressione prostratos, ac peremptos. Plumbeâ etiam glande ictus à Breautæo cecidit Gerardus. Eumdemque subijt casum Frater, alijque duo Bellatores egregij. Breautæus occiso, quo vehebatur, equo, alterum suis adiuuantibus conscendit. Quo faciente animos suis, Hostiumque necem iactante, pugna instauratur. Belgæ contrà Ductoris, & Sociorum iacturâ, non ad metum, aut ignauiam, sed ad iram, ultionemque impelluntur. Quare impetu in occisorem illius præcipuè facto, rursus eius equum interimunt. Insilit in tertium Breautæus, qui futuræ sortis quasi præsagus, tot sibi equos prouiderat. Galli, qui primo congressu incolumes, iam sibi victoriam arrogabant, canebantque triumphum; pugnæ decursu senos amiserunt è suis, languente de more in illis primo ad certandum vigore. Belgæ contrà magis, ac magis ardore prælij succensi, eò demum progressi sunt, ut Gallis quatuordecim cæsis, octo reliquis fugâ prolapsis, è quibus tres paulò pòst à vulneribus periere, redirent ex hoc etiam certamine victores. Quatuor ex ipsis tantùm, quos modò diximus, in Campo desiderati: unus postmodum, in conflictu grauiter saucius, Sylua-Ducis perijt.

Belgæ tres cū Ductore necantur.

Galli quatuordecim occisi.

Hoc exitu animaduerso, rusticus quidam Puer, qui cum alijs pugnam è longinquo spectauerat, equum sessore vacuum nactus, eum conscendit, & Syluam-Ducis versùs citatissimo cur-

1600.

ſu prouectus, reportatæ à Belgis victoriæ Nuncius fuit. Eo comperto Ciuium quidam, in publicæ lætitiæ argumentum, maiora duo tormenta, quæ in mœnibus erant, diſploſit. Quo ſtrepitu audito, tam Belgæ, quàm Galli inſidias timuerunt. Hi verò ſtatim in fugam ſe dare: illi fugientibus inſiſtere. Vnus ex ijs Breautæus, & alter ei ſanguine propinquus, lethaliter ſaucij humi iacebant. Vitam uterque ab Hoſte, grandi promiſſo pretio, precabatur. Adeò in mortis periculo demiſerat animum, qui ſe paulò antè tam glorioſè iactabat. Sed vicit in Victoribus vel conceptum de non parcendo iuſiurandum: vel ultionis ardor, & ſtudium Ductoris ſui, ac ſociorum cædi, Hoſtium præcipuè Ductoris, eiusque interfectoris nece parentandi. Eum ergo multis confoſſum vulneribus trucidarunt. Ferunt, ipſum paulò priùs è circumfuſis Militibus quæſiſſe, cuius Nationis forent. Reſponſum, Brabantos omnes eſſe. Illum verò eorum fortitudinem cum admiratione laudaſſe: quos nempe nuper tam contumelioſè deſpexerat. Eos autem militariter ſubieciſſe. Nullam ſe in toto terrarum Orbe Gentem pertimeſcere: nec dubitare cum quibuſcumque Bellatoribus in certamen venire, modò pares numero forent. Breautæi cadauer Dordracum poſtea delatum, eius Amicis ita rogantibus: atque ut erat ſex & triginta vulneribus, non tam deforme, quàm decorum, ſi pro iuſtiore cauſâ pugnaſſet; expictum fuit, & pictura in Galliam tranſlata. Quæ tantam in Amicis, & Conſanguineis indignationem commouit: ut eorum unus nomine Hocuincurtius, ad ultionem de illius cæde ſumendam, ſtatim in Belgium properarit: ipſumque Syluæ-Ducis Gubernatorem laceſſierit ad ſingulare certamen. Sed hunc eadem præfectura, ut antea, ab eiuſmodi congreſſu excuſauit. Victores Belgæ, qui ſuperfuerant, octodecim (quatuor tamen eorum ſaucij) Syluam-Ducis reuerſi, cum acclamationibus omnium, plauſibusque maximis excepti ſunt. Verùm luctus ex nece Gerardi, & ſociorum, ingentem lætitiam (uti frequens eſt in rebus humanis) temperauit.

Belgæ Victores.

Breautæus mortē deprecans perimitur.

Brabantorum generoſitas.

Breautæi imago impellit ad ultionem.

INTEREA Claudius Barlota duabus Legionibus inſtructus, alterâ ſuâ, Achicurtij alterâ, per occaſionem conglaciatorum fluminum, in Fœderatorum Prouincias expeditionem aliquam moliebatur. Ad eam pleniùs exequendam, magnam Militum partem, qui Sancti Andreæ Arci præſidio erant, ſecum deducere cogitauit. Quamquam interior cauſa, & potius conſilium erat, gliſcentis ibi ſeditionis primas ſcintillas extinguere, turbulentiſſimum quemque indidem ſubmouendo. Eò igitur profectus eſt decimo quinto Calendas Martias: luſtratoque toto Præſidio,

Campana l. 8.
Gaſpar Ens l. 21.
Hæraeus anno 1600.
Carner. l. 14. c. 6.
Beyerlinch anno 1600.

1600. ſidio, aliquot Militum ſuis adiungere ſe velle Copijs ſignificauit. Præſidiarij, ſeu veram eius rei cauſam ſuſpicati; ſiue Præfecti talis aduentum, opportunam rati ſuis proſpiciendi rebus occaſionem: tumultuari vehementer, & altâ voce ſtipendia poſcere: minas demum intentare, ni perſoluantur. Quibus circumuentus clamoribus Barlota, cum alijs Militum Præfectis, blandioribus verbis lenire animos aggreſſus, vicinam ſolutionem promittere: ſeditionis ignominiam, & periculum ab vicino Hoſte monſtrare. His delinimentis adhibitum præſenti malo remedium videbatur: ac turbæ omnes compoſitæ. Verùm, tenebris ſe primùm intendentibus, conſpiratione factâ, plerique Militum in ædes Præfectorum irrumpunt: fores effringunt: captos eos in vincula conijciunt: Gubernatoris ipſius domum diripere non verentur. Captiuos poſtridie cum Vxoribus, & Liberis Syluam-Ducis dimittunt. Peſſimi exempli contagione vicini (uti ſolet) infecti. Crepicordij nempe Præſidiarij pariter in ſubitum tumultum proruperunt: omnique vel pudoris, vel timoris abrupto fræno, inſolenti ſe licentiæ totos effuderunt. His adeo ſiniſtris præter opinionem euentibus Barlota conſternatus, ac nullâ ſpe proſperè aliquid gerendi relictâ, ad Moſam iterum ſe recepit.

Præſidiarii Arcis Sancti Andreæ, & Crepicordii tumultuantur.

FAMA expeditionis ab eo ſuſceptæ non leuem Fœderatis timorem incuſſit. Nota quippe multis in Belgio prælijs Viri virtus; & primi nouorum Principum ad bella conatus; res minimè contemnendæ videbantur. Quare Mauritius frequentibus extemplo Copijs contractis, & campeſtribus aliquot tormentis Dordraco per glaciem tranſuectis, Goricomium profectus eſt, ibi, quid Hoſtis attentaret, diligenter explorans. Vbi verò rumorem illum ad nihilum recidiſſe cognouit, ac tumultus audiuit in duobus Hoſtium Præſidijs recèns excitatos: fundare ſtuduit in alienis calamitatibus fortunam ſuam. Itaque nullâ interpoſitâ morâ (quâ nihil in bellicis rebus eſſe ſolet perniciofius) octoginta Peditum ſigna in ducentas naues imponit: famamque vagari iubet, à ſe Flandriam peti. At duodecimo Calendas Aprilis eaſdem Copias ad Crepicordium, Syluæ-Ducis proximum, exponit. Illâ ipsâ die Milites centum, ac triginta à Diui Andreæ Arce miſſi, eodem munimento recepti. Alij verò quadringenti Pedites Burgundiones Helmontio deducti, cum ad ſubſidium illuc properarent, propè Syluam-Ducis in trecentos Hoſtium Equites inciderunt, à quibus profligati fuere. Mauritius poſtridie obſidionem inſtruere cœpit: munitiones erigere: aggeres ad collocanda tormenta excitare. Vt tamen ſuorum ſanguini parceret,

Gorcum.

Iidem Scriptores, & Grotius l. 9. Lanar. anno 1600. Baudart eodem. Thuanus l. 124. Reidanus l. 17. Bentiuolus lib. 6.

Mauritius Crepicordium inuadit.

ceret, & cum Hoste clementiùs agere videretur: simulque fretus intestinâ seditione (quæ citiùs Arces euertit, quàm extrinsecùs admota machinamenta) misso ad Præsidiarios Tubicine deditionem postulauit. Illi, qui Vallones, quatuor sub signis, erant, partim tumultuum conscientiâ malè sibi à suis Principibus metuentes; partim experientissimi Hostis notis oppugnandi artibus, ac viribus exterriti, ante ullum bombardæ strepitum auditum, se ignauissimè dediderunt. Ijs, qui ex Arce Sancti Andreæ prodierant, ad eamdem redire permissum est. E reliquis centum ferè ad Partes Fœderatorum transierunt: uti facilis est à seditione traiectus ad rebellionem; & pronum, qui subiectus esse nolit, inimicum euadere. Alij tumultûs veniam ab suis Præfectis extorserunt: cùm alioqui, se pariter dilapsuros ad Hostes, minitarentur.

Bocxe potitur.

Ea re feliciter peractâ Mauritius ad nouum se, & maius opus accinxit: quod & fortuna tam recens propitia, & opportunitas vicinitatis suadebat. Nempe, ut Diui Andreæ proximam Arcem, tanto studio, labore, sumptu ab Hostibus extructam, summo etiam rerum omnium apparatu munitam, nec sibi minùs, quàm illis, imò & contra illos usui futuram aggrederetur. Huius quòque tentamenti exitum fortunatum in eius Præsidio excitata seditio pollicebatur. Quippe sapientis est Ducis, nonmodò sui Militis armis, sed etiam Hostium dissensionibus in Hostes pugnare. Igitur septimo Calendas Aprilis Alemum castra promouet, & diligentiâ maximâ, quâ præsertim Brabantiam spectant, communit. Tum aditus omnes, per quos in Arcem transmitti subsidium poterat, intercludit. Quoniam verò ex vicinâ Sylua-Ducis id facillimè licebat, celerrimèque deducere: ei potissimùm viam obstruere conatus est. Quamobrem & editiora loca munire Præsidijs, & planitiem interiectam superfusis latè aquis obruere. Marenæ verò, qui locus ex aduerso est Arcis, in celsioribus tumulis duodecim locata tormenta, quibus muri quaterentur.

Mauritius Sancti Andreæ Arcem expugnare contendit.

Praesidiarii magnâ significatione virtutis se principio defendebant, suas & ipsi bombardas in Hostem sine cessatione displodentes. Addebant Obsessis animos Sylua-Ducenses, qui frequenter è sublimi propositis ignibus, spem dabant adfuturi subsidij. Ipsique Præsidiarij, flammis elatis necessitates suas socijs declarabant. Quo animaduerso, Mauritius quòque in suis Castris extolli mandauit ignes, ad utrosque fallendos. Eum Obsessi rogarunt, ut Coniugum, ac Liberorum inutilem turbam ex Arce tutam dimittere liceret. Sed tam clementer inter Ho-

stes

1600. ſtes agi non ſolet; neque adiumenta victoriæ tam facilè ſinunt è manibus elabi prudentes Duces. Imò eam paſſi ſunt Sanctandreani repulſam in hac petitione, quam ipſi paulò antè dederant miſſis à Mauritio Tubicini, ac Tympaniſtæ: quibus deditionem poſtulantibus non aliter, quàm diſploſis ex tubo ferreo glandibus, reſponderunt.

CONATI ſunt etiam Syluaducenſes nauigia quædam planis carinis per inundantes aquis campos ad Arcem perducere: ſed ab Hoſtibus deprehenſæ, ac propulſatæ. Contrà verò ex Arce Milites duo audaciſſimi nando Syluam-Ducis allabi tentarunt, ut, quo loco res Arcis eſſent, Ciues edocerent; & quæ ſpes à ſocijs foret, ad ſuos referrent. Verùm ab Hoſtibus detecti ſunt, atque intercepti. Cùmque tempori ſcitè ſeruirent, ſeque ad eorum ingenium componerent, in quorum venerant poteſtatem; operam illis ſuam ad machinandam deditionem ſpoponderunt. Alterum eorum apud ſe retinuit Mauritius, velut obſidem ſponſionis: alterum ad Arcem remiſit; promiſſo utrique Centurionis officio, ſi res ex ſententiâ ſuccederet. Qui redux fuit, ut fidei proditæ reus à Commilitonibus incuſatus, ictu ſclopeti traiectus, ac præcipitatus in amnem fuit; præfixâ pectori ſchedâ, quæ palàm faceret: *Proditorem ſuorum à ſuis occiſum. Iret tunc ad Mauritium, & pretium præclaræ operæ Centurionatum acciperet.* Ita plerunque homines ambiguæ fidei, ac verſipellis ingenij; qui vel apud Hoſtes eſſe ſtudent incolumes, nè apud ſuos quidem tuti ſunt.

Internuncios ab Arce ad Syluaducenſes Hoſtis intercipit.

OBSIDIONE interea procedente, iuſſus fuerat Aloyſius Velaſcus ſupremus tormentorum Præfectus, cum ingentibus Copijs, ad ſubſidium Arcis obſeſſæ properare. Verùm aditus omnes obſeptos, interclusoſque offendens, ad Syluam-Ducis caſtra poſuit, eaque aduersùs incurſiones Hoſtium communiuit. Eâ ſpe deſtituti Obſeſſi, reſque in dies anguſtiores experientes, à penuriâ præſertim pecuniæ, veſtium, medicamentorum; cogitare de paciſcendo cœperunt. Miſſis itaque ad Mauritium Internuncijs, deditionem ſe facturos pollicentur, ſi quantum ſtipendiorum ſibi ab Rege, atque Archiduce debebatur, Fœderati perſoluerent. Erant autem aureorum quingenta millia. Tanti eam Arcem, iam propè ſuam, emere Mauritius recuſauit: ſed minorem obtulit ſummam, cum alijs non iniquis conditionibus. Vbi verò eos videt in petitione ingentis pretij peruicaces; inſtrui celeriùs opera, machinaſque vehementiùs adhiberi iubet. Illi rebus omnino deſperatis, cum Hoſte tandem conſentiunt. Maio igitur ineunte acceperunt à Fœderatis centum vi-

Præſidiarii Arcem dedunt non ſine pretio.

ginti quinque aureorum millia: vile admodum pretium Arcis tanti momenti, ut post Antuerpianam, nulla conferetur in toto Belgio præstantior. Ea pecunia inter Milites pro ratione stipendij, quod cuique debebatur, distributa. Præsidiarij ferè omnes, ut quam sibi meriti videbantur, effugerent, turpiter proditæ, & quasi venditæ Arcis pœnam, ad Hostium castra transgressi; sacramentum Fœderatis dixerunt: & sub undecim signis in unam redacti Legionem, Comiti Henrico Nassauio subiecti sunt. Et præsens quidem supplicium apud Archiduces euitare potuerunt: at perpetuam apud omnem posteritatem ignominiam (quod supplicij genus est multò acerbius animis generosis) nequaquam declinarunt.

Iidem ad Fœderatos transfugiunt.

1600. Reidanus l. 17.

ARCIS eius tam subitam iacturam, quo par erat animi dolore Belgij Principes accepere: cùm præsertim tot gliscentibus undique tumultibus Militum hic tanquam cumulus calamitatum accessisset. Quare prouidas eorum mentes, & de publico bono sollicitas, assidua urgebat cura tum excitatas componendi seditiones, tum præcauendi, nè nouæ quotidie surgerent, ac maiores. Commodùm accidit, ut ob initi solemnia Principatûs, coacti Bruxellas Ordines omnium Belgij Prouinciarum, quæ non secesserant in Fœderatos, adhuc apud Aulam Principum morarentur. Ergo cum his frequens ire in consilium Albertus: de rationibus agere, quibus & moti sedarentur tumultus, & mouendis occurreretur. Vnum malorum omnium remedium proponebat (quod tamen origo solet esse malorum omnium) pecuniam: eiusque vim ingentem à Prouincijs contribuendam. Id subsidij haud ægrè collatum iri, significarunt Ordines: sed unà votum commune Belgij repræsentarunt; ut aliqua concordiæ tractatio cum Fœderatis initetur potiùs, quàm continuando bellum æternarentur miseriæ. Annuit Archidux facientibus ad suum ingenium postulatis: negotijque suscipiendi opportuna quòque sese dedit occasio.

Ammutinamenti.

Archiducum sollicitudo de seditionibus.

ERANT eâ tempestate Bruxellis Cæsarei aliquot Legati, quorum princeps Salentinus Ysemburgensis Comes. Occupata superiore anno ab Hispanorum Exercitu loca regionis ad Germaniæ Principes spectantis (uti suprà memoratum) non sine frequentibus eorumdem Principum querelis, impulerant Cæsarem, ut hanc ad Archiduces legationem adornaret. Per eam efficacitate, quàm poterat maximâ Fratrem urgebat, ut occupatæ Vrbes, aut Arces Dominis redderentur: omniaque alienæ ditionis restituerentur in integrum. Alterum erat prætereà Legationis caput: Cæsaris nomine nouum Principatum Archiducibus

Cæsaris ad eos Legati, & postulata.

Camerus l. 14. c. 4. Campana l. 8. Bentiu. l. 6. Reidanus l. 17. Gaspar Ens lib. 20.

cibus

1600. cibus gratulari, simulque suadere, ut si qua pateret via ad concordiam cum Fœderatis ineundam, aliquid moueretur. Has omnes iniuncti muneris partes egregiè cum nouis Principibus peregere Legati. Illi contrà, quod spectabat ad regionem occupatam; absentiam à Belgio suam excusarunt: non nihil etiam causati sunt extremam belli necessitatem ad alendum, ac retinendum Exercitum, in angustias redactum tam rerum, quàm locorum. In posterum tamen omnia suo iuri reddenda spoponderunt. Gratulationi accommodatâ responderunt vice gratiarum. *Quod verò pertinebat ad concordiam cum Prouincijs Fœderatis; nihil priùs in suscipiendo Principatu suis animis obuersatum, quàm incensam cupiditatem Belgium videndi tot extra ærumnas, quas bellum importabat, in securâ tandem tranquillitate constitutum: & partem illam Europæ ingenijs, artibus, commercijs utilem uniuerso Orbi terrarum, unius, ut antea, coloris, & pristinâ integritate felicem. Huc præcipuè se vires omnes, huc industriam, huc mentem enixè collaturos, eo maximè Principatûs initio, quod nouitate sui, lætitiâque communi nouis consilijs aperiret viam.* Consentiente igitur cum Archiducum, eisque subiectorum Belgarum desiderijs Cæsaris quòque per suos expressâ Legatos voluntate; decretum est in Aulâ Bruxellensi, ut negotiationi mouendæ nulla interponeretur mora.

Archiducum responsa.

QVAMOBREM ipsimet Cæsarei Legati profecti sunt in Hollandiam ad Fœderatos. Hi coram Ordinum Delegatis in unum coactis, quæ sibi demandata fuerant ab Cæsare, protulerunt. Cùmque principio de locis occupatis verba fecissent; respondere Delegati quàm honorificè erga Cæsarem, & sacrum Imperium, tam contumeliosè, de more, aduersùs Hispanos. In eos incommodorum omnium, & communium querelarum culpam reijcere: ijs tot, ac tantas discerpti, ac vastati Belgij calamitates referre acceptas. Vbi verò de tractatione concordiæ relatum est, multò acriùs exulcerata in Hispanos indignatio Delegatorum. *Toties ab eis delusas, & dolosis artibus circumuentas, ingenuè pro more Nationis agentes, Prouincias Fœderatas, nunquam denuo passuras sibi verba dari: neque illis in posterum fidem habituras, qui fidem tanto tempore anteacto minimè præstitissent. Sed neque cum Archiducibus in ullam pacis institutionem venturas: siquidem optimè nossent, eam esse formam ab ipsis initi noui Principatûs: ut nomine solùm ijsdem speciosè concesso, re verâ vim imperij retineret Hispanus.*

Cæsaris Legati pacis tractationé offerunt Fœderatis.

Hi primò renuût.

IN contrariam tamen sententiam Legati Cæsarei tantâ rationum efficacitate, ipso nomine Cæsaris magnum pondus adden-

te,

Deinde annuunt: & congrediuntur; sed effectu nullo.

1600.

te, perorarunt: ut à Fœderatis extorserint, conuenturos in certum locum Archiducum, atque ipsorum Delegatos: ubi de commodâ utrique Partium concordiâ, si qua vestigari via posset, ageretur. Decretum igitur, ut huiusmodi congressus Bergæ ad Zomam haberetur: quod Fœderatorum Oppidum itinere unius penè diei distat Antuerpiâ. Eò postquam conuenere, multa ultro citroque disceptata: nihil ex bono publico definitum. Hollandi quippe, ut aliàs, expostulabant: *Tantum exteri Militis in Belgio detineri: Hispanarum artium argumentum id esse clarissimum; pacem petere, bellum adornare. Purgaretur priùs tantâ colluuie in Belgica damna collectâ regio illa uniuersa: tum de pace à nouis Principibus ageretur.* His, ac talibus Fœderatorum querimonijs, animisque ab omni concordiæ genere alienis commoti vehementer Archiducum Delegati, tractatione abruptâ, suas ad Prouincias redierunt. Quæ, pace tam obstinatè repulsâ, acriores in bellum insurgentes, ei validiùs promouendo, largam pecuniæ copiam Principibus erogarunt.

Sassi Gandauensis descriptio.

Bentiuolus l. 6.

MAVRITIVS inter hæc expeditionem insignem aliquam meditans, ingentem ornauerat Classem nauium fermè octingentarum. Vehebantur eis Peditum millia septemdecim, Equites bis mille, & quingenti: variorum præterea tormentorum, instrumenti bellici, & commeatuum ea vis, quæ tantis copijs, operique quod moliebatur, par esset. Vndecimo ergo Calendas Iulias ad Sassum Gandauense descensio facta. Ibi Arx est proxima ingenti, longæque fossæ, in quam eius regionis aquæ, atque unus è fluuijs Gandauum interfluentibus euoluuntur. Ab hac verò Vrbe quinque ferè leucis Arx distat. Nec procul inde Zelandia Insula iacet, in cuius mare copia illa omnis aquarum prorumpit. Arci custodiendæ Hispanorum Præsidium summâ sedulitate inuigilabat: ut aliquot præsertim cataractas tuerentur, quarum beneficio fossæ aquæ vel deijci poterant, vel attolli, & circumiectam planitiem inundare. Alia duo minora munimenta non longè surgebant: alterum Philippinæ nomine, alterum ad Pagum Bucho utum, Assenedæ. Hæc quòd inualidis defenderentur Præsidijs, nullo negotio ab Hoste capta, quà per vim, quà deditione. Sassum quoque, præcipuam eius regionis Arcem, oppugnaturus Mauritius credebatur. At ipse veritus in loco probè munito diuturniùs occupari, quàm maioris molis consilia paterentur; illac prætergressus, Exercitum omnem Brugas versùs promouit, ac tantùm non ad portas deduxit. Fama fuit, eum Ciuium aliquot, quos nouerat suarum Partium studiosos, operâ fretum, sperasse; admotis propiùs Copijs, ita se

suis

1600. suis fautoribus animos additurum, ut auderent aliquem in Vrbe tumultum excitare, Fœderatorum rebus profuturum. At ubi spes illa omnis euanuit; destinatum iter per oram Flandriæ maritimam perrexit. Dumque ipse cum Exercitu terrâ progrediebatur, eodem ferè cursu, quæ hunc deportauerant, naues mare tranabant.

Classis in Flandriam à Fœderatis immissæ causæ.

HVIVS in Flandriam expeditionis, tantâ nauium, ac Bellatorum mole susceptæ, haud leuia fuere Mauritio, ac Fœderatis irritamenta. Quippe tam diuturno, acri, & continenti bello non fessi modò, sed & viris, & opibus exhausti; grauissima vectigalia vix ferre iam poterant ad alendos Exercitus indicta: cùm præsertim pristinis essent prouentibus admodum diminuti, quos commercia cnm alijs Nationibus colligebant. Neque enim eis tantùm destituebantur lucris, quæ tot in Regnis Hispano subiectis, antè quàm ab eo secederent, faciebant: verùm etiam illis, quæ vicina Germania suppeditabat, in quam facilis per Rhenum aditus ab Rhenobergæ Præsidio claudebatur. Id namque tum in fluuio, quotquot sese offerrent, onerarias intercipiebat: tum crebris terrâ factis excursionibus, quidquid obuium erat siue Hollandorum, siue cum Hollandis negotiantium, prædabatur. Magnum quòque detrimentum, & facilè priore grauius, ex eo Fœderati accipiebant, quòd licèt duos molestissimos Flandriæ stimulos iniecissent; Ostendæ scilicet alterum, alterum Bergæ ad Zomam Præsidium: non multum tamen, ut antea, ex eâ prouinciâ corradere pecuniarum, ac prædarum poterant. Siquidem Arcibus ex aduerso eorum locorum extructis ab Hoste, & communitis, valida eisdem fræna apposita erant: adeò ut neque pauci possent sine manifesto discrimine ad agendas prædas erumpere, vel ad prædationem redimendam, extorquere tributa: neque multi in apertum prodire, quin Hostibus patescerent, ijsque sese instruendi, contràque irruendi spatium darent. Vt igitur hæc ab se incommoda submouerent, peropportunum id temporis visum fuit Fœderatis, quo in Catholicorum Exercitu magnas fieri secessiones, ac tumultus inaudiebant. Cum enim Syluâ-Ducis mouissent Copiæ, ac Venlonam, Grauiamque versùs adducerentur; plerique dilabebantur è Castris, ita ut ad quingentos Pedites, Equitesque trecentos, quà Itali, quà Vallones ab reliquis secederent, atque Hamontium in Leodicensi ditione occuparent: unde paulò priùs Hispani, pariter tumultuati, Diestam in Brabantiam migrauerant. Nec multò pòst Equites alij trecenti se illis adiunxere: parumque absuit, quin uniuersus turbaretur Exercitus; ni statim Al-

berti

berti prudentia per solertes Militum Præfectos, & vicini stipendij pollicitationes, periculis minacibus obuiàm isset. 1600.

Eo motu rerum in suum uti compendium decreuere Fœderati. Sed utram expeditionem præhaberent; quæ Rhenobergam duceret, an quæ in Flandriam, ambigebant. Flandricam demum opportuniorem censuere: tum quòd Rhenobergæ Præsidium erat longè arduum ad superandum, atque hostilis ferè omnis Exercitus in proximo: tum verò maximè, ut grauibus, & continentibus occurrerent damnis, quæ vicina Zelandia, Hollandicæque naues patiebantur ab infestâ Friderici Spinulæ Classe. Hæc Dunckerchæ ad litus excubans, mare illud uniuersum habebat in potestate: atque hostilia quæque nauigia illac prætereuntia incursabat, ac prædabatur: promptumque nanciscebatur, ubi opus foret, receptum Slusam, ac Neoportum. Quòd si vel unum ex his duobus locum Fœderatorum Exercitus occupasset; eâ vexatione, ac molestiâ suas se Prouincias liberaturum sperabat. Iam tùm ab anno superiore decem triremibus Fridericum præfecerat Hispanus Rex. Earum octo in Hollandico, ac Zelandico mari multum terroris, ac detrimenti Hostibus, multum emolumenti Catholicæ rei afferebant. Egregij huius Classis Moderatoris cum facienda sit in posterum mentio; multòque magis Fratris eius maioris natu, Marchionis Ambrosij; cuius militari prudentiâ, ac fortitudine tot annos Belgicum bellum administratum fuit; cuiusque prælijs, ac victorijs enarrandis ferè tota huius Historiæ pars altera impendetur; & pleraque referentur ex ipsius, aliorumque literis decerpta: operæ pretium erit, eorum patriam, genus, institutionem, & quibus gradibus ad bellicæ laudis apicem ascenderint; paucis memorare. Id verò initio Libri Decimitertij exequemur.

Friderici Spinulæ Classis Hollandis, ac Zelandis infesta.

Campana l. 8. Gaspar Ens lib. 20. Grotius l. 9. Continuator Aitsingeri. Beyerlinch. Lanarius. Harans. Thuanus l. 124. Carnerus l. 14. c. 7. Reidanus l. 16. Bentiu. l. 7.